FRANCKESCHE STIFTUNGEN

# Alte Drucke

## MATTHÆI || GALENI, S. T. || DOCTORIS, ET || APVD DVACENSES || CANCELLARII, || COMMENTARIVS || In D. PAVLI ad Hebræos || Epistolam. || Vnà cum eiusdem ...

### Galen, Matthaeus van

### Lovanii, 1599

CONVERSIO A SYRO, ET ENARRATIO EPISTOLAE AD HEBRAEOS B. PAVLI APOSTOLI, EX praelectionibus M. Galeni confecta studio, atque opera Andreae Crocquetij, Benedictini, Duacenatis. S. TH. Doctoris, &c.

**Nutzungsbedingungen**
Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.
Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.
Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

**Terms of use**
All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downladed and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.
Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.
For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150590

Visual Library

# CONVERSIO A SYRO, ET ENARRATIO EPISTOLAE AD HEBRAEOS B. PAVLI APOSTOLI, EX prælectionibus M. Galeni confecta studio, atque opera Andreæ Crocquetij, Benedictini, Duacenatis. S. TH. Doctoris, &c.

## EPISTOLA, QVAE AD HEBRAEOS.

### Caput Primum.

Vesperi, & mane natalis domini.

*VISVM est hanc inscriptionem non omittere; vt norimus huius capitis maximam partem (quod est instar indicis germanæ intelligentiæ) natalitiorum Christi die prælegi in Syrorum ecclesijs; & ne quis temerarius Caluiniana impietate sectiones epistolarum, & euangeliorum tantæ vetustatis insigni decoratas irrideat.*

| *Conuersio à Syro.* | Latin. vulg. | |
|---|---|---|
| In omnibus instrumentis, & omnibus partibus locutus est Deus cum patribus nostris per prophetas ab initio; & in istis diebus nosteris | *Multifariàm, multisq; modis olim Deus loquēs patribus in prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio.* | Nouissimis quædam legunt syro fonti congruentius. |

locutus est nobiscum per filium suum.

*Si huius interpretationis ratio quædam reddenda sit, priusquam de sententia disputemus, vox* Instrumenti *commodius explicare visa est, quod agitur, quàm* modi, *cuius significatum latissimè patens, ambiguam quoque generat intelligentiam. Illud leuius, quòd græcus interpres commutarit ordinem. Iuuat magis Bezæ damnare proteruiam, detorquentis græcam dictionem πολυμερῶς ad significandam temporum vicissitudinem; quasi dictum esset subinde, multis vicibus ac per interualla. Notãdũ insuper mnauon, quod nos instrumentũ vertimus,* מנן *quãuis genuinè vasa significet, vt vasa mortis, quibus homo interficitur, interdũ quoque partium habere significationem: hoc tamẽ loco visum est hanc alteram accipere, ne bis idẽ dixisse videatur Apostolus, cùm* דשון *vox sequẽs damauon proprie partes designet. Licuisset etiam pro partibus sectiones dicere: quia vox ea signat partes resectas à corpore. Nunc ad rem ipsam.*

Omnibus instrumẽtis πολυτρόπως, *multis modis. Scripturæ subinde cõmutant* (omnes) *ac* (multos) *vnde mirum non est, si latine & græce* (multis) *syriacè legamus* (omnibus) *Sunt autem hæc instrumenta de diuersis rationibus intelligenda, quibus Deus voluntatem suam electo quondam Iudaico populo enuntiauit. Nec enim vno egit cum eis modo: sed interdum per somnia, nonnunquam per ectases, aliquando per visa, & apparitiones, nunc senis, nunc iuuenis imagine congressus; quandoq; sub gestionibus occultis. Vndè sæpenumero:* Et angelus qui loquebatur in me. *Fiebat aliquando vt solam experire-*

*periretur propensionem, & instinctum is, cui numen adspirarat; addebantur aliquoties externa signa, ex quibus Dei voluntas intelligi posset; nec otiosum erat rationale, seu τὸ λόγιον, in quo lapilli vario splẽdore micantes consultare reddebant.*

Et omnibus partibus. πολυμερῶς *particulatim: quia non omnia singulis, nec vni prophetæ, aut patriarchæ cuncta prodebantur: sed Ionæ quidem de Christi sepultura, Malachiæ de præcursore, deq; aduentu ad templum, ac futuro iudicio quædam, Esaiæ longe manifestius nostri seruatoris multa, non tamen omnia demonstrabantur, Abrahamo semen promissum est, Mosi pleniùs eadem constiterunt, cui Deus ore ad os loquebatur, Dauidi dictum est:* De fructu ventris tui ponam super sedem tuam: *adeò vt de eo ferretur elogium:* Vir, cui reuelatum est de Messia. *Ita se res olim habuerũt. Nihilominus ob hoc ipsum gloriabundus Moses:* Quæ est (*inquiebat*) natio tam grandis, quę habeat, *&c.* Deuter. 4. *& Dauid:* Non fecit taliter omni nationi, *&c.* psc. 147. *quia reliquæ gentes in tenebris idololatriæ iacebant; solisq; Iudæis veritatis radij diluxerant. Sed quantulum erat (quæso) lumen illud, si cum sole Christianæ religionis, ac fidei conferatur? Licebit ex ipso Paulo mox videre discrimen.*

Locutus est. *Hic est intelligẽda quædam synthesis. Nam quia tam diuersis rationibus id peractum, posita est species pro toto genere. Nec enim in visis, & somnijs erat sermo: sed quia metaphoricôs etiam res ipsæ loqui dicuntur, idem est hic intelligendum.*

Deus. *si quod res est dicere voluisset: angeli locuti sunt per prophetas (vt D. Stephanus in actis te-* Act. cap. 7.

*statur, & docet Areopagita) vt etiam nunc omnia per angelos facit, & administrat, conseruans eam distinctionem, & modum, quem in rebus à se conditis ipse constituit: sed magnificentiùs voluit istud eloqui Paulus, vt Iudæos magis erigeret.*

Cum patribus nostris. *Hebræus agens cum hebræis Paulus patrum nomine Iudæos omnes, qui retrò fuerant, partim pios, partim impios intelligit; quamuis potissimum cum impijs egerint sancti prophetæ, vaticiniorum suorum velut mercedem ab ijs ferè omnes illatam necem recipientes.*

Per prophetas. *Quærit Chrysostomus, quare non per angelos, dicitq; sibi videri factum, ne in immensum extolleret res Iudaicas, deinde quòd ij patres vt plurimùm contaminati, ac detestabiles fuerint, & indigni quibuscum illi purissimi spiritus miscerent colloquia.*

Ab initio. *Vt intelligantur omnia* Dei *beneficia collata in hunc ingratissimum populum. Itaque rectè monet Theodoretus refricari compendio parabolam, qua Christus inducit patremfamilias diuersis horis mittentem operas in vineam, hoc est, Deum certis ætatibus seculi iam olim cæpisse, nec destitisse porrò legare verbi sui ministros ad hunc populum, donec tandem ipsum quoque longè charissimum filium eodem transmitteret. Iam subijcienda altera pars antitheseos.*

Et in istis diebus posteris. *Æonas, & seculorum distinctionem nullus non audiuit, à condito mundo vsque ad Noachum, hinc ad Abrahamum, atque ad Mosen; vnde rursus in* Dauidis *tempora vsque ad Christianorum seculum, quod ad finem hu-*

ius

*ius mundi protenditur, cui succedet illud ter beatum seculum seculorum. De nostro igitur, hoc est, Christianæ religionis, præsenti seculo cùm scripturæ verba faciunt, nouissimam horam, finemq; seculorum nuncupant. Chrysostomus plurimum hic putat latere mysterij. Cùm enim de Hebræis conclamatum esse videretur; cùm defecisset ille prophetarum splendor iam inde à temporibus Maccabæorum (nam etsi non defuerint Simeon, Zacharias, &c. neque se tamen illi pro prophetis gerebant, neque tales habebantur) cùm suæ gentis reges nullos haberent, deesseté; sacerdotij legitima successio, denique cùm tanta foret eius populi partim malitia, partim hypocrisis, & superstitio, vt aliud nihil, quàm exitium in foribus adesse sperari posset: tum (inquam) Deus pro sua benignitate rebus deploratissimis faustissimum dedit exitum, & cùm ad summum peccata venissent, solaq; desperatio grauis incumberet, tùm ille summo beneficio adobruit nihil minùs sperantes, aut promeritos mortales. Hæc epitasis occultatur in pronomine* Istis, *quo veluti digito demonstrantur dies vel nouissimi, si respicias ad seriem seculorum, vel posteri, si de rebus Iudæorum tantùm intelligas. Præterea autem Chrysostomus, vt est mirè oculatus in eruditis Apostoli consilijs, vult inesse consolationem Iudæorum, iam expectando fatigatorum, in dictione* posteris, *quasi diceret: Estote bono animo, non erunt calamitates perpetuæ, iam adest iudex, iam liberator est in foribus.*

Damascen. lib. 2. orth. fid.

Locutus est nobiscum. *Sese Paulus vnà cum hebræis, ad quos scribebat, κατὰ προσποίησιν cum reliquis miscet apostolis, quibus quod à Christo dictũ*

*est, vtique dictum est vniuersis. Argumentum est dignitatis Christianorum, qui Dei sui alloquio non censentur indigni.*

Per filium suum. *Istud quoque rerum nostrarum dignitatem ostendit. Ne quicquam cogites de angelis, de prophetis, ac sacerdotibus, nec ad somnia, visa, & prodigia reuocari te putes: ipse Deus per filium ore ad os nobis locutus est. His auribus licuit verissimum illud euangelium, filiyq; Dei voces diuinas exaudire. Per filium (inquam) qui non per adoptionem, aut alia ratione sit filij Dei nomen consecutus, sed naturalem, eiusdemq; substantiæ, dignitatis, ac maiestatis. Eant igitur Moses, Dauid, cæteriq; prophetæ, & angelorum secum locutorum gloriam exaggerent. Nam quanto prophetis, & angelis maior est Dei filius: tanto vos, ô Iudæi, patribus vestris fœliciores.*

*Hactenus exordium, triplex vtriusque testamenti discrimen continens: nimirum, quòd Deus iam indè ab initio euolutorum seculorum sit locutus per angelos, & prophetas, idq; per ænigmata, & inuolucra, postremo particulatim:*

*In nouo autem testamento ipsemet congressus, & collocutus, adeoq; exactè, vt totam patris voluntatem adnuntiaret mundo, seu quicquid ad benè, beateq; viuendum faciebat, & quidem eo tempore, quo omnia desperata videbantur. Nunc ad epistolæ partitionem discedamus.*

| | *Syr.* | Vulg. |
|---|---|---|
| Posuit ad verbum. | Quem (cõstituit) possessorẽ vniuersi, | *Quem constituit hæredem vniuersorũ,* |

& per eum fecit se- *per quem fecit & se-*
cula. Qui est germē *cula. Qui cùm sit splē-*
gloriæ eius, & ima- *dor gloriæ, & figura*
go essentiæ eius, & *substantiæ eius, por-*
cōtinet vniuersum *tánsque omnia verbo*
vi verbi sui. *virtutis suæ.*

POssessoris, *quàm hæredis appellatio visa est cō-modior in eo, qui non præstolatur, sed iam habet hæreditatem.* Per eum. *ad verbum est* In eo, *quod Græcus est commodè interpretatus* per quem. Germen. *tsemcho quod ab hebræo tsamach deductum significat germinantem herbam, fruticem, arborem, pilum vt 2. Reg. 10.* Manete in Iericho donec crescat barba vestra: *denique quicquid suppullulat, & crescit, vt initio Geneseos de arboribus, & plā-tis. Transfertur etiam ad virtutes, artes, ac studia, & quicquid viget, ac floret. Christus itaque propter admirabilem cum ista m temporalem, tum æternam generationem, sæpe germen appellatur hac voce. Quòd si quis operæpretium iudicet animaduertere, quo flexu hanc vocem ad æternam illam de patre verbi generationem Paulus vsurparit: quemadmo-dum in herbis demessis videmus ex vna, eademq; ra-dice nouas stirpes pullulare succisis prius non dissi-miles, ita diuinitatis veluti radicem intueatur (sit fas lucis gratia tali paradigmate res adumbrare, quæ nullis verbis exprimi pro sua maiestate valent) tres autem sanctissimæ Triadis personas prorsus eiusdem naturæ, totidem stolonum instar ex vna radice prodeuntium. Græci tamen, vt diuersam vo-*

צמח
צמח

Zachar. 6. Oriens nomen eius, &c. Ieremiæ 25 Isaiæ. 4.

צלמא

cem ἀπαύγασμα, sic diuersam habent metaphoram. Et imago. *Syri vocant tsalmo hebræa voce, qua in Genesi dicitur homo conditus ad imaginem Dei. Et iterum, natus Adamo filius ad imaginem eius, hoc est, eiusdem naturæ. Pertinet etiam ad alias quaslibet imagines, & idola: sed Paulus mediam intelligit, quæ eiusdem naturæ habet significationem, vt imago certissima patris* Dei *filius, & connaturalis intelligatur.* Essentiæ. *Quoniam hypostasis, & substantia, quæ leguntur in interpretibus, sinuosa vocabula sunt: vtiliter nobis hic est ab hebræo Paulo præscriptum.* Continet. *achid legit Syrus, ab hebræa voce achaz, mutato zaiyn in daleth, quod est Syris familiare. Significatur autem (vt disceptationes de vocibus* φέρων, & portans *Syra bipenni secentur) rerum conseruatio, ne quid creetur periculi, alioqui perituraru, si* Deus *manum tolleret.* Vi verbi sui. *Versiones inuertunt ordinem: vnde mihi sit probabilius Lucam esse interpretem; nec aliu tantùm sibi in Pauli verbis arrogaturum. Sed de vocibus satis; nunc ad sententiam.*

אחד
אחן

Quem constituit possessorē vniuersi. *Quoniam Græcis πάντων, Latinis vniuersorum pluraliter legitur, nonnulli de hominibus intelligūt; suumq; commentarium fulciunt verbis psalmi secundi:* Postula à me, & dabo tibi, *&c. sed ibi quoque mox subiungitur, quod hoc intelligitur loco:* Et possessionem tuam terminos terræ. *Itaq; alij de mundo interpretantur: quamuis prior illa metonymia reijcienda non sit, quia certum est vtriusque mundi Christum conditorem, ac dominum secundum deitatem, naturam autem humanam rerum cunctarum*

Possessor vniuersi filius quomodo dicitur.

*vñius, imperiumq; accepisse. Quocirca ad neutrum est restringenda filij Dei hæreditas, qui & in homines potestatem accepit, & mundi totius rationis expertis, velut auctarium, accessit possessio. Hanc sententiam quia ambiguam ducebat acutissimus, & eruditissimus Photius, vbi curiosissimè cuncta lustrauit; ad postremum id placuit, vt πάντων non de mundo, vel hominibus, sed de admirandis ornamentis, rebusq;, ac virtutibus diuinis, sapientia, potentia, gloria, omniq; maiestate, & numine, quo præstat ipse Dei filius, acciperetur. Quem ego commentarium non profero, vt probem, cùm à Syriaca planè dissideat linea: sed vt istius editionis spectetur vtilitas in tollẽda ambiguitate, ob quam Photius id credidit esse germanum, quod minimè omnium fuit. Nonnulli disceptãt de vtra hic agatur natura, sed reuera de hominis filio, quem pater iussit esse huius vniuersi possessorem, est intelligendum. Ita Græci reliqui, & Chrysostomus, qui sapientiam nos hoc loco diligenter considerare, et imitari præcipit apostoli Pauli, discipulos interdum erigentis, sensimq; ad ipsum vsque cœli verticem extollentis, vt incomprehensibilem filij Dei maiestatem cœlestes orbes exuperantem contemplentur, & inde rursum, priusquam infirmus intellectus ad splendorem vicinum hebescat, ad inferiora deponentis, vt subinde Christi maiestatis, & infirmitatis consideratio partim stupore, partim amore corripiat humanas mentes. Quod igitur vniuersim in partitione propositum erat, ad filij Dei maiestatem pertinens, ne auditoribus vertigo oriretur, attemperat Paulus, admiscendo quod erat humanitatis, nempe, quòd ei pater ius rerum omnium*

*tradiderit. Nunc iterum subuehet altiùs.*

Et per eum fecit secula. *Putas me quiddam humilius de Christo sentire, quòd constitutum hæredem, possessorem, ac dominum rerum omnium dixerim? Ne credas (ô bone) propterea eum deprimendum. Ita enim secundum carnem hæres totius orbis factus est; vt ipse tamen condiderit vniuersa. Vides Iudæum puerum in cœlestes regiones sublatum. Augustinus Platonicis disciplinis imbutus, & eum secuti Latini perinde istud accipiunt, atque si dictum sit: Pater per filium, tanquàm per sapientiam suam, cuncta creauit; vt artifex arte quippiam efformat. Nec id ignorant scripturæ: non tamen ita loquuntur, quibus nihil est cum Platonis Philosophia commune. Itaque satiùs Græcos hac in parte sectari, qui propter Arianos ita dictum esse tradũt, vt primùm non tanquàm patris instrumentum esse filium, deinde robur, virtutem, & potentiam filij paterna nihilo inferiorem; vtriusque tamen distinctam esse personam intelligeremus. Sed quæ hæc sunt secula? Primùm, dum numero multitudinis nominantur secula, filij monstratur æternitas: ne quis Arianus hìc obreperet, patréq; filium posteriorem adsereret; quod humanæ pronum alioqui fuisset infirmitati. Sic alibi scripturæ:*

Ad verbũ: Qui ipse: eadem significatione, sed diuersa phrasi.

Qui est ante secula: *æqualem docentes, & quidem patri. Deinde, metonymicôs in seculis res omnes intelliguntur creatæ: quia Paulus non tantùm agit de dimensionibus æuorum omnium, sed simul de omnibus existentibus ex tempore.*

(Qui est) germen gloriæ eius. *Qui idẽ Christus: est alter ipse pater, quia per æternam de eo generatio-*

*nerationem habet omnia, quæ sunt in patre, demptis illis proprietatibus geniti, & ingeniti. Itaque quando de supermundana Trinitate disserentes, nostras professi tenebras, vtimur paradigmatis, & exemplis à rebus corporalibus petitis, non debet impium videri; cùm Apostolum idem fecisse cernamus. Græcis autem est à luce ducta metaphora. Nam vt videmus lunam illustratam à sole nobis acceptum redhibere lumen, & calibeum speculum susceptoradio igneſcere: talem in græca voce ἀπαύγασμα resplendentiam (si hanc dictionem grammatici ferrent) theologi veteres intelligunt. vt sicuti lumen è lumine sine fluxu, vitio, infirmitate, defectuq; nascitur: ita generarit filium pater nullo substantiæ defluxu, nullo nixu, labore, aut perturbatione; non secus atque splendor absque vllo lucis detrimento simul erumpit. Sic præter immaculatam, purissimamq; de patre filij generationem, Paulus coæternitatem quoque, & æqualitatem indicat diuinarum personarum.* ἀπάυγασμα, quid.

Et imago essentiæ eius. *Imaginis hac voce communem prodi filij, patrisq; dictum est naturam; vt qui filium intueatur, in eo patrem se videre credat, propter similem, & eandem per omnia vtriusq; naturam, atque substantiam. Tantundem autem in* essentiæ *nomine oportet intelligi. Non enim de persona, sed de trium hypostaseōn natura eàdem hoc dicitur, quæ non est alia in filio, alia in patre. Itaque filius ad viuum exprimit, habet, continet, quicquid in patre, vel credimus, vel intelligimus, dēpta proprietate. Græca porrò dictiones* χαράκτηρ, ὑπόστασις, *quas in antiquis theologis nos necesse est retinere; cùm in rebus theologicis magnus sit illarum*

Character, & hypostasis quid theologis.

rum vsus: videndum est, quomodo cum ista lectione conueniunt. χαρακτήρα igitur volunt significare formam rei cuipiam non quomodocunque impressam, sed insculptam; quamuis non ea vbique seruetur proprietas. ὑπόστασις autem Philosophis οὐσίαν denotat. Sic primo dialogo Theodoretus, & Hieronymus ad Damasum, nec aliter Damascenus lib. 3. cap. 6. orth. fidei. Verũ theologi veteres, maximè qui Arianam procellam sunt insecuti, vocabulum istud non pro essentia, et natura, quod verebatur Hieronymus, sed pro persona acceperunt; adeò vt Basilius scribens ad Nyssenum fratrem, οὐσίας, καὶ τῆς ὑποστάσεως hanc tradat differentiam, vt haec personam, illa naturam ostendat. Quaerunt autem scriptores Graeci, quid ita Paulo venerit in mentem vocare filium Dei. Et plerique volunt hypostasim pro vsia sumptam: quia personae patris filius character dici non potest; ne Sabellium in Paulo recipiamus, negantem inter patrem, & filium vllam esse distinctionem. Basilius autem libro de vsia, & hypostasi, vbi hanc mouisset quaestionem, nititur demonstrare Apostolum agere de persona; moxq; videns in promptu percunctatorem, quo pacto tunc adseruetur personarũ distinctio, respondet Paulum hoc loco non fuisse de natura solicitum; sed tantùm docere voluisse personas ita inter se distinctas, vt maneat περιχώρησις, & arctissimum vinculum; quo fiat, vt sit vna trium operatio. Et sunt ista quidem verissima: sed cum Syrus manifestè vocet essentiam; & graecorum plurimi hypostasin pro vsia dictam velint: non possumus ad personam deflectere. Nec secùs de Latina dictione substantiae dicendum; quae etsi non semel

apud

*apud veteres Latinos personæ significationẽ induat: hîc tamen ad naturam est referenda. Et caueant ab hæreticorum commentario, qui hîc toti sunt Ariani, Christianæ syncerit atis studiosi. Philosophentur (inquiunt Caluinus, & Beza) quomodo sit eadem filij, patrisq; natura; quomodo in filio cernatur pater, ob eandem vtriusque substantiam. Neque nos grauatim admittimus ignorantiæ Caluinianae confessionem; quia fidei nostræ simplicitatem tumida mens illius non suscipit: sed latet scorpius, qui arcuato vulnere perimat incautos. Ex omnibus (inquiunt) rebus creatis colligimus vestigium aliquod Dei bonitatis. Rectè. Sed quid de filio Dei, hoc est, de filio purissimae Virginis Iesu Christo? Dum videmus illum (aiunt) edere miracula, docere turbas, fame laborantibus cibos praebere, mortuos excitare; vtique ex eius actionibus, & doctrina nobis constat, quàm sit magnus, potens, ac bonus Deus, denique hac ratione verissimum patris characterem agnoscimus. Videte, quò erumpant callidi dissimulatores, & Arianismum vt reuehant in orbem.*

Hilarius de Trinitate.

Beza, & Caluinus Ariani.

Et continet vniuersum vi verbi sui. *Pertinet istud ad demonstrationem incomprehensibilis numinis; nosq; sublatos è terra infert sideribus, Christi summam contemplaturos maiestatem: proinde mirum non sit in tam paucis syllabis maximam inueniri difficultatem. Beza dum Latinam vocem* portans, *alia mutat, sustineat, ridiculè iactat se hebreae vocis mecalcal proprietatem reddere, hac ingenti vafricie, & impostura nugas suas apud obsessiores venditans: cùm Paulus habeat verbum idem, quo Ioannis 10. Christus iubet suos Apostolos gau-*

מכלכל

אותו

dere potestate retinendi, & remittendi peccata, vehementissima transitionis achid: vt quemadmodum ibi seruator legatos, & apostolos suos vult esse Deorum instar, qui habeant in cœlum, ac terram magnificum quoddam imperium; ita Continere istud intelligatur pro summo imperio, & inexplicabili numine. Sed quid per istam continentiam intelligẽdum est? Equidem non minùs græca, latináque voces, quàm syriaca nobis exhibent negotium diuersitate significatorum: sed ipsa tamen varietas tam bellè quadrat; vt interpretes, qui vnius, aut alterius dúntaxat rationem habent, Pauli mentem nedum adsequi; sed euertere non iniuria dici possint. Primùm enim quemadmodum vel oratio sententiam, vel corpora locus continet, vt magistratus ciuitatem in officio, vt dux militem, vt curator circi bestias: ita complecti Deus, & continere cuncta perhibetur. Adhæc alere, fouere, sustentare, ac permeare hac voce proditur, nec aliud Græci, quoties Deum συνοχέα vocitãt, illius proprietatem subindicantes, sibi volunt, quàm quòd ille sit tanquàm vniuersalis omnium locus, in quo moueantur, alantur, ac seruentur omnia vsque, adeò vt ipse Damascenus Deum in se esse pronuntiet. Præterea gubernat, ac regit vniuersa Deus; vt inter se pugnantissima nobis elegantem harmoniam præbeant. Feruntur enim sibi motu contrario, pugnacique concursu se non collidunt, aqua non incurrit in ignem, nec fluidum elementum cœlestiũ ignium conflagratione consumitur, sed pacem inter, pugnãq; perpetuam Deus pulcherrimè coniuncta conseruat. Adhæc egent eadem influxu perpetuo, numinisq; sustentatione: quòd si manum illud subducat,

Damascen. lib. 1. ca. 5. 14. 15. orth. fid. Ibi ca. 15.

velut

*veluti si fornicis tollas vmbilicum, pessum ire, corruere, ac penitus interire necesse est, quæ ita creata sunt, vt assidua conditoris virtute subsistant. Postremò nõ solùm fouet, ac sustentat, sed permeat, perlustrat, vbique præsens non sola energia, sed tota essentia. Hæc igitur omnia sunt hoc in verbo* Continet *intelligenda. Quocirca (*chrysostomus licet τὸν φέροντα. *i. ferens, interpretetur per* κυβέρνοντα. *i. gubernãs: mox tamen idem aliis explanat verbis* συνεχῶν, συνάγειν, σώζειν. *i. continere, colligere, seruare, quamuis & quæ retulimus, ille omnia pro admirabili sua eloquẽtia congerat. Agnoscit præterea metaphoram petitam ab ijs, qui ingentes moles vel robore, vel industria, nullo quasi labore circumferunt, vt ad eum modum vastissimarum rerum corpora nutu suo agere, ac transferre Deum significetur, quod etiam portandi verbo à nostro interprete non infœliciter est expressum.*

Vi verbi sui. *Poterat vnico potentiæ verbo tãtumdem dicere: sed studio vitauit micrologiam isti negotio minimè necessariam; ne Dei filius laborasse quondam in rebus producendis, aut etiam nunc in conseruandis, regendis, ac fouendis esset dicendus, qui hæc omnia verbo, hoc est, facilimè administrat: quia nihil nobis quàm eos mouere, facilius. Caue sis enim hic verbum filium Dei intelligas, sed virtutem, ac potentiam, qua vt condidit, ita continet, permeat, portat, fouet, alit, compingit res omnes etiam pugnantissimas, idq; nullo prorsus labore. Nam ne vllam infirmitatem sommiaremus in verbo, ea quæ Dei sunt nostro pede metientes; addit Lucas interpres* τῆς δυνάμεως αὐτοῦ, *id est, virtutis suæ, quod*

*nihil*

*nihil aliud, quàm omnipotens. verbum significat. Est tamen occulta metaphora à principibus viris, qui sublimes in throno residentes vel annuant, vel eloquantur, quæ subditorum cuestigio sedulitate compleantur.*

| *Syr.* | Vulg. |
| --- | --- |
| Et ipse per sese fecit purgationem peccatorũ, & consedit ad dexteram maiestatis in excelsis. Et ipse tãtò augustior angelis est; quantò excellẽtius nomen præ illis possedit. | *Purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis; tantò melior angelis effectus, quantò differentius prae illis nomen haereditauit.* |

*Graca, & pleraque Latina, & Græcorum commẽtaria, retinẽt illud* per sese. Fecit, ποιησάμενος, faciens; *non quasi nunc in cœlis efficiat, quod sumus audituri; ne quis in Latina lectione aliud suspicetur. Postquàm fecisset commodissimè dixeris. Qualem habes Christiane, pontificem? quomodo de te meritum? Respondet Paulus: & hoc altero membro propositionis Christi pontificatum breuiter quidem, sed non absque insigni efficacia praedicat, pluribus in sequentibus euectus. Non caret emphasi pronomen* ipse. *Ipse tantus, quantum nunc ad cœli conuexa per me sublati cernere potuistis; ipsemet (inquam) non alterius opera vsus, fecit, quod dicturus sum. Hic autem in mentem venire debet ethnicarum superstitionum, & iudaicarum cæremonia-*

*moniarum; vt cum rebus illa conferantur Christianis. Nam in illa paganorum barbarie si regiones, ac ciuitates lue, fame, aut alio quouis modo laborare contigisset, non dicam interdum nobilissimos adolescentes gregatim mactatos; congerebantur, vt nunc ad triremes, viles animæ καθάρματα, & pessimi, qui si deerant, rapiebantur quique miserrimi; quibus instar sacrificandorum adornatis, & è sublimi præcipitatis in mare, credebant finem cladibus dari, ac prouinciam expiari. Quid sceleratius? Istud fortasis à Iudæis non videbatur expectandum, quòd videmus postulantibus Gabaonitis, vindice Deo, triennem calamitatem, quæ tempore Dauidis totam Iudæam infestabat, nepotum Saulis internecione depulsam. In eorundem lege boues, oues, aliæq; pecudes mactabantur, & bruto sanguine Deus coli se patiebatur; in quibus alieno malo sibi consulebant peccatores, neque proprio, sed pecudum sanguine litabant. Vnde Moses præceperat, vt is, qui sacrificium adornabat, manus imponeret victimæ capiti; quo liquidò cuncti cognoscerent pecoris vitam pro peccatoris anima dari. Christianos autem quid ni ita facere dixerim: qui suauissimis referti delitijs, & in catholici sacrificij pulchritudine voluptuantes, pro suis interim capitibus Deo charissimum offerunt filium; deq; alieno corio, sanguine, & patibulo ludunt? At Christus non pecuino, nec alieno sanguine, sed proprio, ac per seipsum fecit.*

Purgationem peccatorum, *& quidem non suorum, sed nostrorum. Vt enim Mosaici sacerdotes domesticarum priùs culparum, quàm plebis expiationi studere cogebantur; ita nostri non minùs in se,*

quod expient, quàm in alys deprehendunt. Christus autem totius expers peccati, fecit alienorum criminum purgationem. Abstulit Adami summum illud, quod & ipsum, nosq; perdidit, & radix est vniuersorum, & qua illi superaddidit cùm ipse, tum vniuersa posteritas. Itaque videtur desumpta translatio à cloacarum, & immundorum locorum emundatoribus, & ad viuum cuncta euerrentibus: vt pristinæ nihil supersit immunditiæ. Ita enim Christus genus hominum veluti sentinam olidam, & Augiæ stabulum sceleribus, & impietatibus omnis generis refertissimũ exhausit, eluit, vitiorumq; fibras rimatus altissimè reddidit omnia nitentia. Per crucis dispensationẽ istud gestum, & comparatũ est, quod deinceps per sacramẽta, & maximè per baptismũ singulis adsignatur, in quo non solùm exinanitur cloaca vitiorum, sed etiam homini datur robur quoddam contra peccatum, & penè dixerim impossibilitas ad peccandum. Vt sit prodigio non dissimile, hominem seruatum semel, et indutum Christo denuo seipsum inquinare. Erant olim non infœlices Iudæi, qui, si non deerat fides in Christum, adhibitis sacerdotum precibus, & indicibus fidei victimis, securi, ac tuti reddebantur. Neque mirùs beati patriarchæ, qui suo tempori congruis oblationibus eâdem fide temperatis, hauriebant de fluxuro post multa secula fonte Christi perpessionis. vnde mundarentur. Sed quantulum hoc est, si nostræ hoc est, Christianorum comparetur fœlicitati, quibus est tantùm non prodigè deprompta virtus omnis, et energia Seruatoris, si non desunt, in quos effundat sese? Illis erat vi, & ope summa connitendum: cùm ys, quæ exteriùs adhibeban-

bebantur, ceremonijs nil aut perparum haberẽt præsidij, soliusq; fidei videretur negotium: nobis autem ferè otiosis, & affatim cõparatis si modò non reluctemur, per efficacia instrumenta sacramentorũ elicere, haurire, & quantum satis est, absorbere licet. Tametsi nobis, et illis id commune fatear, vt qui paratior, & ornatior accedit, is adiuuetur, accipiatq; ampliùs. Vnde manifestũ Christianis omnibus euadit, quantùm nostris debeamus sacerdotibus, à quibus quodãmodo adhibitis sacramentis expiamur. Hic autem fidei, moribusq; expediret plurimùm declarare, quomodo vnumquodque peccatum suũ cœnum, ac spurcitias habeat: nisi foret idem prolixius, quam vt commentariorum breuitati conueniat.

Sua igitur morte Dei filius exhausit, absorbuit, consumpsit omne venenum generis humani, vsque adeò vt nostra corpori suo peccata inscripserit, & sibi à patre imposita in crucem secum sustulerit. Et hactenus de nostro pontifice Paulus nos, pro sua sapientia, in humum deprimens (nec enim quicquam abiectius de Christo dici potuit, qui se vt nos emundaret, quodammodo videtur inquinasse) vt mox admirabilius supra cœlos abripiat.

Et consedit ad dexteram maiestatis. Caue sis, Christiane, propter illam eluendarum sordium functionem putes te vilem habere pontificem. En tibi eius gloriam. Consedit, &c. Apostolo properanti visum est nimis prolixum de sepultura, resurrectione, & ascensione quicquam dicere: sed repentè nos à crucis consideratione trahit ad thronum maiestatis. Nec caret epitasi verbum (consedit.) Non eò nunc primùm peruenit; sed iam diu antè consedit. Præte-

rea denotat patris in filium affectum, quasi eum perpetuo complexu teneat, quia charissimos assidere nobis, latusq; claudere gaudemus. Graeca quaedam addunt vocem τοῦ θρόνου, quam & attingit Chrysostomus. Sed tantùm explicandi gratia. Si enim retineas; minùs dicetur, quàm rei poscit veritas: quia tunc in dextera throni considens, excluſus videretur à throno, quem tamen eiusdem credimus maiestatis, & gloriæ. Suspicor vocem ab Arianis additam. Ad לימין dexteram. Beza hebraicator hìc intẽpestiuus leia- על ימינו min ait, cùm Syri aal iamino legant. Est autem intelligendus iste consessus de aqualitate potentiæ, quia est constitutus iudex viuorum, et mortuorum filius, pari cum patre gloria afficiendus, cui instar regis, & iudicis assidere dicitur. Et rectè: quia suæ depressionis, & exhaustæ in via potionis recipit præmium. Maiestatis autem in voce gloriam patris intellige. In excelsis. Istud Beza non rectè excelsissimæ reddit; vt nec aly, qui ita circumloquuntur: quæ est in excelsis: quia tunc nusquàm apparet, quod Paulus vult. Potest enim aliquis ad dexteram sedere, vel humi, vel inferior: Apostolus autem indicat pari gradu, & ex aequo sedere (vt etiam Graeci interpretantur) supra omnes cœlos cum patre sublimem. Frequens est in scripturis positiuus pro superlatiuo; numerusq; pluralis suam habet emphasim; ne in angulo, aut depressum sedere putemus; sed altissimum.

בלה Et ipse tanto. culeh, quasi dicas: Omni eo. Augustior. Est eadem vox Syris, quam suprà in dictione maiestatis habuimus, ijreb in forma futuri, ירב ab augendo, et abundando ducta, quasi dicas: Neces-

se est,

se est, vt sit tantò augustior. κρείττων potentiam sonat; tantò potentior, quasi κρατῶν. Vtraque autem significatio latet in voce Latina melior. Nam & meliorem dicimus armis fortiorem, et consentire melioribus, id est, potentioribus, & primoribus. Effectus autem, siue γενόμενος nihil habent, quod in syro respondeat: vndè rectè pro ambiguo tempore vsurpantur. Nunc ad rem. Vt sentẽtia melius colliquescat, est huc reuocandum, quid Ariani Paulum hîc docere statuerint. Vrgebant enim illud γενόμενος, siue Effectus, & ex eo filium Dei nequaquam cum patre eiusdem substantiæ, seu consubstantialem moliebantur adstruere. Neque verò angelis negabant excellentiorem: cum iisdem tamen factum contendebant. Hunc nodum Athanasius, & qui ea tempestate vixerunt, dum explicant, non parum laborant, vt probent Paulum non, quod volebant Ariani, simpliciter factum dicere; sed factum excellentiorem, hoc est, exaltatum, sublimatum supra omnes angelos. Deinde veluti diuinantes id, quod res est: Si interpreti visum fuisset (inquiunt) vti verbo excellere, aut præstare; nihil habuisset hæresis, quod arrosisset. Postremò adserunt Paulum non agere de deitate, sed de incarnatione filij Dei. Hoc enim ad probandum sibi proposuerat. Itaque explicata partitione, confirmationem aggreditur: Cui enim dixit aliquando angelorum, &c. Nihil autem futurum est incommodi, si quis humanitatem filij Dei factam dixerit excellentiorem. Sic igitur hunc locum Ariani deprauarunt, & explicarunt Catholici: nobis autem, qui a veteri illa blasphemia liberi sumus, licet ingenuè dicere, quod sentimus. Vultne igitur

*hoc loco Paulus Dei, vel hominis filium esse factũ? Nequaquàm: sed hæc est eius sententia. Quantò necesse est præstet, atque excellat? Quem putatis hunc esse pontificem? num Mosi, vel Aaroni comparandum? Immò sum denocaturus in contentionem ipsos priùs angelos, et postmodum Mose, et Aarone longè præstantiorem demonstraturus. Verùm quia norat Hebræos Mosi suo tam impotẽter fauere Paulus, inuidiæ plenam disputationem dissimulans, prius committit Christum cum angelis, immò, vt vult Athanasius libro 2. seu oratione 2. contra Arianos, præfert, vt quem viderint angelicis spiritibus non iniuria præponi, pontifici quoque suo patiantur anteferri. Vultis igitur, ô Hebræi, cognoscere quantum sit interuallum inter huius filij Dei maiestatem, & angelorum dignitatem? Agite. loquatur ipsa nominum, quæ vtrisque tribuuntur, varietas.*

Quantò excellentius nomen præ illis possedit. *Hæc possessio de vocum vsurpatione in diuinis oraculis intelligenda est. Nequaquam tamen istud Christo contigit, sed diuino effectum est consilio, & εὐδοκίᾳ Dei æterna: nec à prophetarum res ista pendet arbitrio; sed à Dei iusto iudicio, qui filium ita suum appellari voluit. Hæc autem excellentia est peculiaris naturæ superiori: quia tamen filius hominis est in filij Dei eandem assumptus hypostasim, per antidosios regulas Paulus de eodem hic loquitur, qui consedit in dextera patris; quamuis illi non competat ista maiestas, nisi propter istam coniunctionem. Videri autem fortassis queat nonnullis hac tempestate (cùm Arianismus planè sepultus, & obrutus iacet) non admodum vtilis reliqua huius, capitis*

*pitis operosior explanatio: si quid tamen ego videam, non facilè aliunde maior sperari debet vtilitas. Primùm enim hinc tribus psalmis lux inferetur obscurissimis, & à nobis nunquam intelligendis, nisi Paulus facem prætulisset. Adhæc Christi maiestatem liquidiùs peruidentes, agnoscemus quanta religione sit colendus, & quàm eximia nobis de illo nos pollicerioporteat; cùm a magnis non nisi magna sperentur. Postremò (licet nostro malo) discemus meritò tractationis scripturarum, quam hodie comminiscuntur hæretici, methodum repudiandam.*

| *Syr.* | Vulg. | |
|---|---|---|
| Cui enim dixit Deus vnquã (angelorũ)? Filius meus (es) tu, ego hodie genui te? Et rursũ: Ego ero ei in patrẽ, & ipse erit mihi in filium. Rursum autem, quando inducit primogenitum in mundum, dicit: Vt adorent eum omnes angeli Dei. | *Cui enim dixit aliquando angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rursum: Ego ero illi in patrem: & ipse erit mihi in filium? Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terrae, dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei.* | (Ex angelis (Sis) |

*Sicuti deformis scorti fœditas casta, pudentisq; matronæ pulchritudinem, & honestatem illustriorem efficit: ita speciosa veritas magis enitebit, si è regione spectetur obscurum mendacium. Hoc igi-*

tur. Cui enim dixit vnquam angelorum *non habet magnam difficultatem: sed ipsum testimonium, quo adseritur ipsum Dei filium habere peculiare nomen, quod non quadret in angelos, summam habet quæstionem. Recepi me demonstraturum (ait Paulus) Christum, de quo agimus, donatum insignibus epithetis, quæ nemini præterea deferantur: quæ in re mihi suffragatur psalmus secũdus, ita inquiẽs:*

Filius meus es tu, ego hodie genui te. *Hæretici perspicuam Apostoli probationem cùm inficiari nequeant, cauillationibus partim esse aiunt, partim reddunt magis obnoxiam, dum ista non de Christo, sed de Dauide dicta contendunt: Ego te, ô Dauid, lectissimum famulum ad res maximas delegi ex mea sententia gerendas: & propterea ego hodie genui te, dum per prophetam meum Samuelem vnxi te in regem; vel hodie demum is es, quem ego te esse volui, deuictis omnibus hostibus, in rerũ summa pace, & tranquillitate regnantem. Si quæras, quid hoc ad Pauli disputationem? inquiunt re vera de Dauide scriptum, qui fuerit Christi figura. Quod si recipiatur: qui potuit hæc scriptura Hebræis fidem facere, Paulo nequaquàm satis credentibus? An non illicò Caluinianam hanc occinuissent cantionem Paulo, nempe, de Dauide conscriptum? At verò catholicis persuasum est, psalmos propriè de Christo cantatos: & proinde nemini huius intelligentiam, præterquàm illi, competere; nec aliud Dauidem, quàm filij Dei, quæ spiritu præuidebat, mysteria vaticinatum fuisse. Itaque post Augustinum, plerique Latini istud hunc in modum intelligunt: Tu, altera in sacrosancta Trinitate persona, meus*

es naturalis filius, quem ego ex me genui, lumen de lumine, Deum de Deo. Alij partim Græci, partim Latini hanc malunt sententiam: Tu es filius meus: quia secundum carnis dispensationem ego te in rerum naturam produxi. Nec desunt, qui ad vtramque naturam referant. Quæ à nobis referuntur, non quasi omnium probantibus sententias; sed vt inter varios cõmentarios fiat delectus. Cæterùm D. Theodoreti standum reor expositioni, non ob solam authoritatem scriptoris; sed quod ea ex antecedentibus, & consequentibus confirmetur. Tu, natura humana, nunc secundum beneplacitum meum a meo adsumpta verbo, es cooptata in filium; vt ratione huius coniunctionis tu iam sublimioris naturæ dignitatem adsecuta, filij mei nomen, ac veritatem habeas: non quòd à me sis ita genita, vt ipsa verbi natura; sed quia vtraque natura deinceps vnica erit persona, & filius. Simile quid Lucæ primo dicitur: Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei. Sed retexamus hanc telam. Quid sibi vult illud hodie? Augustinus, illiusq; sectatores interpretantur perinde, atque si dictum esset ab æterno: quia Deo semper est hodie, cui sunt omnia præsentia. Non enim transit illa generatio, vt in humanis; sed ita genuit pater filium, vt etiam nunc gignat. Qui ad generationem ex virgine referunt, de momento, quo prodijt ex matre, accipi volunt. Hæretici nonnulli neutram admittunt sententiam: sed de spiritali Christi apparitione, & eius, quæ per fidem est, cognitionis inchoatione, ac illius cultus per orbem propagatione contendunt esse intelligendum. Quid nos? Eam sequemur regulam, quam Marcus Euangel.

Euseb. lib. 2. cap. 17. Eccl. Hist. Nicephor. lib 2. ca. 16 Ec. Hist. Act. 13.

*suis tradidit therapeutis, quaq; hac ipsa cõfirmatur epistola; nempè, vt interpretibus discrepantibus, scripturas ipsas suimet interpretes audiamus. Paulus igitur ca. 13. actorum confirmans resurrectionis Christi fidem,* Fratres, *inquiebat*, nos vobis annuntiamus eam, quæ ad patres nostros repromissio facta est: quoniam hanc Deus adimpleuit filijs vestris, resuscitans Iesum, sicut & in psalmo secundo scriptum est: Filius meus es, &c. *Quis tam irreligiosus; vt Paulum non admiretur, ac suspiciat? Quòd si quis antiquitatis huc momenta conferri cupiat: ita locum illum explicant Origenes, & Hilarius ad psalmum eundem: Ego, fili mi, hodie fœlici, perpetuaq; coniugatione, & quadam regeneratione, corpori in sepulcro iacenti redeuntem ab inferis animam coniunxi. Huius commentarij semina in sacris deprehendet eloquijs, quisquis ea non oscitanter fuerit perscrutatus. Nam Matthæi 19. Christus ipse resurrectionem* τὴν παλιγγενεσίαν. *i. regenerationem appellat, quasi tunc homines generandi sint, quia eius virtute resurgent. Nec raro apostolica scripta patri resuscitationem filij tribuunt; quamuis nec ipse sibi filius defuerit. Sed aliunde nũc oritur difficultas. Quorsum enim Paulus hunc locum citauerit; si dè resurrectione debeat intelligi? Nodus tamen nullo soluitur negotio: immò quanti facienda sit hæreticorum, scripturas hic secus, quàm Paulus intellexerit, produci iactantium obiectio, liquebit; si respondeamus istud* Ego hodie genui te *allatum ab Apostolo non quasi eius adsertioni necessarium, sed quòd esset contextum ys, quæ ad eius faciebant institutum. Cuius rei, nempe non necessa-*

*via citationis, exemplum est in actis ijsdem; vbi quod* Ibidem.
*prius adfertur*, Filius meus es tu; *contrà quàm hic quod posterius, ad rem non ita facere videatur. At nunc orthodoxi quidam nos adorientur. Hóccine est apostolicæ grauitatis, ex inani vocum sonitu argumenta ducere? Quasi verò maiorem angelis filium id conuicerit, quod filius appelletur. Quin igitur angelos aut seipsis, aut ipso etiam filio dicimus esse maiores, quos eodem filiorum* Dei *nomine constat* Iob. 1.
*esse donatos? Neque deinceps id honoris hominibus* Ps. 21.
*absque iniuria negandum videbitur; qui non tantùm filij, sed dij quoque, & elohim dicuntur. Verùm hanc in primis à Christianis hominibus religionem expectamus, vt scripturis veteribus ne vim adhibeãt, aliásq; super interpretentur, quàm apostoli, & euangelistæ docuerunt. Dictus est psalmus ille de Christo, non de Dauide. Proferatur locus: audiemus dictum significantissimè* Filius meus es tu; *iuxta id, quod in Matthæo:* Hic est filius meus *non quilibet, sed* in quo bene complacuit mihi. *Homines interdum vel ob conditionem, & magistratum, in quo diuinitatis imaginem, typumq; referunt, vel ob solam adoptionem ita vocantur, angeli autẽ propter immortalitatẽ, quã degustant, quodq; ita charitate* Deo *coharent, vt excidere nequeant: at Christus personali coniunctus communione illi naturæ, quæ est verbum Dei, solus id nominis ita promeretur, vt sit idem proprius, vnigenitus, dilectissimusq;, quem pater exaudiri iubet, filius. Nunc transeundum ad alterum argumentum, & cãdem opera diluendum, quod obijcitur ab hæreticis.*

Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium.

filium. *De his quid aduersarij sentiant, priùs est dicendum; quàm orthodoxa nobis appendatur sententia. Quidam igitur non solùm vim adferre scripturis aiunt, verumetiam è canone dispungendum hunc authorem esse contendunt; alij paullò mitiores, neutrum volunt, sed ista primum quidem de Solomone conscripta, typum Christi gerente, spiritali autem intelligentia Christo etiam conuenire: nos autem, qui in ecclesia Dei censemur, edocti sumus hæc nullo pacto in Solomonem competere; multò autem minus vim illatam esse scripturis. Quod vt perui-deamus, locus est leuiter inspiciendus. Primò igitur, vt erat princeps piissimus, inducitur solicitus Dauid de constituendo cultu Dei, & vt gratam mentem ostendat, reuocat in memoriam cuncta, quæ per omnem vitam ei collata fuerant diuinitùs beneficia, moxq; non ferès pietatis desiderium: Quid, ô Deus, tot immortalibus bonis queam rependere? Tandem id sedet animo, templum augustissimum excitare, in quo Dei coalescat, seruetur, exerceatur religio. Postremò adest Nathan regijs succinens votis, & quid opus sit facto declarans, qui inter cætera hoc etiam attulit vaticinium, futurum esse, vt post obitum Dauidis excitetur semen, cui istud competat: Et ipse erit mihi in filium, &c. quod in Solomonem nequaquam quadrare vel hoc vnum abundè testatur, quòd ille patre superstite nedum natus, sed & in regem vnctus fuit. Hoc ergo propheta volebat: Tu quidem piè cogitas, neque mihi displicet religionis amor, & studium: sed ecce de tuis olim posteris nascetur Christus, qui mei cultus veras hominibus rationes est traditurus. Addit insuper, quo fortius hæreti-*

cum

cum commentum explodatur, thronum huius filij firmum, æternumq; fore, ipsumq; Dauidem suis hoc ipsum oculis inspecturum: scilicet, quia è sede illa sanctarum animarum proreperet ad cernendum, quo pacto se regnum filij Solomonis haberet. Ridiculum. Immò de Christo hæc prænũtiabantur, cuius regnum Dauid inspexit, & gauisus est. Nam in ijs fuit, qui reducem ab inferis comitati Christum, ipsi reduuiui gloriam resurgentis intuiti, & cum illo regnum cœlorum ingressi creduntur. Sic igitur locus ipse seipsum tuetur satis, & Christo vendicat. Quis enim alioqui Solomonis regnum non videt haud fuisse perpetuum, cuius filius maxima ex parte patrio fuerit exutus imperio? Quòd si ad psalmum 88. transeamus, vbi res tractatur eadem; fortiora suppeditabũtur argumenta. Nam isti filio à flumine vsque ad terminos orbis terrarum, id est, totius orbis imperium promittitur: Solomonem autẽ in sola Palæsthina, nec in ea tota regnasse compertũ est. Porrò quod ex capite septimo Qui si iniquè aliquid gesserit 2. Reg. vrgent, tanquàm indignum Christo; ac proinde neque cætera super eo exponi debere, aliàs diluimus, & psalmus 88. germanam habet interpretationem, nempe, iuxta Ticonianarum regularum primam Christum pro Ecclesia, ducem pro milite, caput pro corpore positum. Si Christiani recesserint ab officio, si Christus in membris suis non manserit in legibus meis, neque me religiosè coluerit: haud equidem illum penitùs abijciam à facie mea, vt quondam impium Saulum, sed castigabo; plagisq; meis, fame, lue, peste, bello compellam, vt frugi se filium exhibeat. Absit à me, vt abdicem Ecclesiam, vt alterum

rursus populum conquiram. His ita constitutis, facile est videre, quid statuendum de commentarijs eorum, qui citatas veteris instrumenti scripturas de Christo sic accipiunt, vt tamen velint sensu grammatico ad Dauidem, Solomonem, aut quemuis alium, de quo texatur historia, pertinere, quod somnium hoc vno loco licet affatim discutere. Qui enim torquebis, ô praclare, ad Solomonem: Cúmq; completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semẽ tuum post te, quod egredietur de vtero tuo, & firmabo regnum eius? Si autem libeat tergiuersari, ac dicere, eatenus in Solomonem ea competere, quatenus Christi typum habuit: necesse erit Solomonis regnum per totum orbem demonstrare summa quiete, fœlicitate eq; vigens, & simili rerum, constantiq; tranquillitate perpetuũ; ac ne tum quidem quadrabunt omnia, priusquam ostendatur Dauidem tot seculis extinctum per aliquam rimam filium suum intueri fœlicissimo illo regno beatum. Adhæc, doce (quæso) quæ stropha fingi possit Dauidem, aut Solomonem, qui tam graviter peccarunt, vt de huius salute sit non immeritò dubitatum; esse maiores angelis. Si enim Christus propter perpessionis iniuriam, interprete Paulo, re vera fuit angelis inferior: quid de ijs, qui nullum sine leuioribus culpis, & nauulis exegêre diem, dicendum est? Verum est, inquies; meritò, naturaq; sua nequaquàm angelis præstantiores; sed solùm figura, quam gestabant. Neque nouum est, ac scripturis inauditum, quod re vera minus est, figuratè maius dici. Rectè: & si quidem quicquam alicui, quod sonet quiddam maius, ita tribui velint, non inficias iuero: sed vt quid-

*quiddam excellens, ac longè præstantissimum; probandum est. Summus tamen sacerdos (nam hoc se tuentur exemplo) vt Christi typus, inter Deum, hominesq; mediator dictus est; quod nequaquàm angelis delatum est. Esto: sed non animaduertis totam in syllabis quæstionem consistere? Neque enim perinde rem ipsam sacerdoti competere docebis, quæ propria est antitypi. Sic angelos, hominesq; diximus filios Dei, deosq; vocatos: quibus tamen res ipsa negatur, quæ solius est vnigeniti, cui dictum est,* Filius meus es tu. *Hinc igitur liquet posse rerum vocabula quibusdam tribui diuersis: cùm tamen non sit eadem substantiæ ratio. Itaque non sunt audiendi, qui nescio quem sensum litteralem affingunt huic, vel alteri, in ijs scripturis, quæ passim ex priscis oraculis citantur in nouo testamento; ne vel ipsis Iudæis nostrorum mysteriorum, & fidei deprehendamur magis ignari. Nam à Christo quondam illi interrogati, quomodo Christus Filius Dauid diceretur. satis euidenter ostenderunt se psalmum illum de Christo intelligere. Rursus apud Marcum videmus plebem non ignaram intelligentiæ germanæ psalmorum, illum versum:* Benedictus, qui venit in nomine, &c. *de Christi aduentu prædictum agnouisse, cui promissum esse credebant regnum æternum Dauidis patris eorum. Sed hactenus cum falsitate pugnatum satis.*

Matth. 22. Psl. 109. Marc. 11. Psal. 117.

Etrursum. *Est modus plura citandi testimonia; quasi diceret: Ne inopia suffragiorum causa videatur deterior: en vobis alterum; vt Christum angelis esse maiorem, ex epithetorum diuersitate confirmem.*

Ego

Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium. *Non libet ab hebraismo discedere, quem Lucas etiam retinuit, & D. Hieronymus 1. Reg. ca. 7. quamuis non sim nescius quosdam sic malle: Ego ero illi loco patris, &c. truncato, ac periculi pleno cōmētario, ne quis inde suspicetur nequaquàm esse verum, ac naturalem filium, sed loco filij habitum. Loquitur autem personæ. Constabit duabus naturis in eandem diuino vinculo coalescentibus hypostasim: propterea verè dicetur filius meus. Nam humanitas, quam sacerrimus Virginis fudit vterus, perpetua compage coijt cum verbo. Quo modo est intelligendum, quod dicitur psalmo 88.* Inuocauit me, pater meus es tu, &c. *Quanta est hæc dignitas, & prioribus seculis inauditum elogium, nostræ saccum mortalitatis eò euectum esse, vt certissima, & verissima filius Dei ratione vocetur? Igitur in huiusmodi fidem nostram exerceamus, neque Dei mandatis non obtemperando deuocemus illam maiestatem in inuidiam, vt dicatur in nobis peccātibus, quos Deus vocat filios, qui ipsius membra sumus, ipsa peccare. Nec ab eadem vile quid, & abiectum expectemus, quæ vt voluit à nobis carnem sumere, ita vicissim quicquid est, habetq; boni, in nos est transfusura, si modo nos comparauerimus. Jam tertium quoque testimonium est productura Apostolus, cum elegantissima citationis formula.*

Rursum autem, quandò inducit primogenitum in mundum, dicit. *Particula* autem *aduersatiua est, distinguens hoc ab alijs testimonium, quasi dicat: Et vt addam tertium, rem eandem confirmat Deus in psalmo 96.* Rursum, *non iterum,*

non

non secundum significat, sed tertium: Ut tertiò probem. Vndè Latinorum quorundam tractatorum à scopo Paulino discedere sententiam perspicuum est, duas hoc loco Christi in mundum inductiones comminiscentium, alteram cùm de Virgine natus, alterā cū de sepulchro veluti renatus prodiit. Etsi enim id aliquo modo non ineptè dici queat: tamen aliud agit Paulus. Quando inducit. Si ad verbum syram phrasim exprimas, fecit ascendere: quia olim ædium fores erant eminentiores, & in eas erat ascendendum. Est autem inducere idem, quod cum publico testimonio, & authoritate mittere in possessionem. Quandò Deus pater filium suum editum ex Virgine, veluti armatum omni iure, & authoritate inducit in orbem. Hinc elicere debent scripturarum studiosi genuinum in totum psalmum 96. commentarium; ne credant fidem hæreticis habendam, aut alys aliorsum trahentibus. Audiāt potiùs Paulum, immò spiritum sanctum adserentem ibi quondam à Dauide prædictam emissionem, seu immissionem Christi filij Dei à patre in possessionem suam. De primogeniti nomine dictum est ad euāgelium Matthæi. Sed quid hæc inductio ad susceptū argumentū?

Vt adorent eum omnes angeli Dei. Errones, quorum commentarios tantùm, vt ne illis credatur referimus; scripturas more Iudæorum interpretantes, nihil hic aliud, quàm mundi huius quandam ecphrasim tradi suspicantur, in qua obiter idololatræ reprehendantur, ob cultum delatum idolis (nam sic vocem elohim accipiunt) quæ potiùs æquum erat vero Deo venerabunda procumbere; & vel ruina sua illius prædicare maiestatem, quemadmodum de

simulachro Dagõ, & de AEgyptiacis narrat Palladius. Ita sensit, immò verius desipuit Caluinus, cui persuasit nominata caligo, in qua Deus fertur habitare; tametsi iuratissimus Caluinianus Beza hoc eum loco non probet. Sed illis inter se, vt visum erit, conueniat; nos nihil aliud, quàm quod habent septuaginta, quod appendit Lucas græcus interpres, quod Paulus Syrus postulat, minimè ad verbum hîc secutus Hebræos. sed, quæ tunc ferebatur, editionem syriacam; retineamus. Ergo Adorent eum non idola, non homines, non iudices, quibus interdum nomen elohim tribuitur; sed angeli Dei, ne spiritus refugas intelligamus. Nam etsi sint Dei creaturæ dæmones: non tamen angeli Dei vocantur. Igitur omnes angeli Seraphim, Cherubim, omnes illi admirandi ordines supremi, medij, infimi adorent filiũ meum eo cultu, qui summo, soliq; debetur Deo. Nemo excipiatur; habeant eum vniuersi pro Deo suo. Volo enim eum esse totius orbis hæredem. Videˊn (Christiane) qualem habes seruatorem: quem omnes illi sanctissimi spiritus, decidentes quodammodo è cœlis in terras, proni venerantur, & adorant; ne tu idem facere cunctaris? Iam ergo sunt in ordinem angeli coacti, qui adeò pares non sunt, vt adorare debeant: & propterea fortissimum istud argumentum Paulus inter triarios constituit. Esset autem hic magnũ operæpretium totum psalmum discutere: sed quia id longioris foret operæ, & is à nobis ordine suo pridem est enarratus; nunc istud breuiter, Deum inducere filium in terras, & dicere: Facessant omnes dæmones, tyranni diffugiant: volo vt ab eorum seruitute genus humanũ liberetur, solusq; filius meus regnum

occu-

*occupet, eumq; omnes cum angeli, tum homines adorent. Ipse autem miseris mortalibus leges meas, viamq; commonstret, qua deinceps mihi credere, de me sperare, me diligere; seq; ita seruare possint. Nūc Paulus, rebus ita constitutis, non ignarus artificij, quo solent oratores, vbi causam fortissimis argumentis in tuto collocarint, ludere in antithetis, & leuioribus, aggreditur collationem epithetorum, quibus & ipse filius, & angeli nuncupentur.*

| *Syr.* | Vulg. |
|---|---|
| De angelis autem sic dicit: Qui fecit angelos suos spiritum, & ministros suos ignem incendentem. | *Et ad angelos quidem dicit: Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis.* |

*D. Beza hic micans in tenebris, dicit eil pro aal positum: cùm planè sit contrarium.* Fecit, *habent Hebræi participium oseh, vt Græci ποιῶν, syrus autem daauad præteritum. Hinc obseruare licet, psalterium mirè fuisse Apostolo familiare. Nec obiter tantùm inspicienda noua citādi formula, qua ipsum argumentum pro citatione ponitur, quasi diceret: Deus ipse psalmo 103. nobis abunde testatum facit, quales debemus existimare angelos esse. Vos Hebræi magnificè de angelis iudicatis, neq; id iniuria. sunt enim magni, & pro sua dignitate non semel deorum nomen accipiunt: ego verò nō sum vobiscum perfidè, ac dissimulanter acturus, aut angelorum laudes malignè pressurus. sed quæque illis à*

עיל
על
עשה
רבעה

Deo præstita elogia in medium proferam.

Qui fecit angelos suos. *Quidam putant istud non de prima creatione dictum: Syrus tamen Paulus nos ad originalem illam conditionem reuocat; quod arbitror esse retinendum. Jam de angelis est quæstio. Et primum de ipsomet Paulo, eius græca versione, & septuaginta interpretibus certum est propriè dictos angelos, non veredarios, nuntios, cursóresve vertisse; quod & Erasmus rectè est imitatus. Beza autem, & Caluinus retinendam alteram significationem adserunt: quia non agitur (inquiunt) de illis beatissimis spiritibus; sed flatibus, & ventis. Et vt suum commentum fulciant; vocem angelorum hoc loco non subiecti (vt loquuntur Dialectici) sed prædicati locum obtinere volunt: Qui facit spiritus angelos; qui ventis tanquam nuntijs iræ suæ missis ad euertendas domos, turres, &c. vtitur. Nos autem prorsus inuersam constructionẽ seruamus, authore Syro Paulo, qui diuersitate numeri inter spiritum, & angelos tollit ambiguitatem.*

Et ministros suos ignem incendentem. *Hic est hæreticorum commentarius: Deus vtitur fulgetris, ac fulminibus aduersus sceleratos homines pro ministris. Quòd si id voluerit Paulus; næ insigniter sophisticen exercet, scripturasq; contorquet, qui de angelis instituta disputatione, ad ventos, & fulmina discesserit? Vident ista quidam saniores aduersarij, nec audent Apostolo tortæ scripturæ culpam affingere, sed tantùm aiunt coactiore vsum comparatione. Nam cùm Deus leuissimis, & incorporeis rebus illis tanquam lictoribus vtatur: euadit cunctis perspicuum idem de veris illis angelis sentiendũ.*

Insa-

*Insani, quid opus fuit Spiritui confugere ad tam alienas intelligentias : cùm illi tota pateret bibliotheca scripturæ diuinæ? Absit, vt persuadeatur Christianis mentibus Paulum torsisse scripturam, qui cum* D. *Luca, septuaginta, & interprete nostro de angelis propriè dictis istud ad hunc modum intellexit. Qui, Deus Pater, initiò condidit eos primùm ruach spiritum, seu (vt habet Dauid) ruchoth. i.* רוחות רוח *spiritus. Non enim sunt omnes vnus spiritus, sed natura spirituali conditi Sed et tunc obscurum esse istud fateor ei, qui in antiquitate theologica versatus non est, & scripturas suo pede magis, quàm maiorum placitis interpretari consueuit. Areopagita, meo iudicio, bellissimè videtur istud tradere capite 15. Cœlest. Hier. vbi scripturas omnes congessit, quæ angelis nostrarum rerum aliquid videantur tribuere, aitq; ventorum appellationem nonnunquàm esse delatum, ob maximam, quam habent cum Deo, familiaritatem demonstrandam. Vndè liquet nihil angelis indignum hoc loco Paulum dixisse. Venti autẽ, & angelorum similitudo ferè gemina est, in celeritate, & ascensu, descensuq; velocissimo. Nihil enim vento rapidius, qui præterea repentè de sublimi præceps terris incumbit, moxq; resiliens in altum tollitur : quemadmodum angeli suæ quodámmodo volũtatis efficacitate sunt vbique, núncque ad nos è cœlis desiliunt, moxq; rursum citissimè cœlestia repetunt, nec vlla est inter voluntatem, ascensumq; & descensum mora. Alterum est, quòd angeli superiora deriuent à Deo primùm in se, ac deinde traducant ad infimos angelos, gradatimq; ad ipsos vsque homines: à quibus iterum veluti resultantes, ipsos quoque se-* Cœl. Hier. 15.

cùm interdum subuehunt ad Deum. Adhac, quæ adspirant ventorum instar viuificant, cùm morientes peccatis homines extimulant ad pœnitentiam. Præterea vt nescimus vndè prodeant flabra ventorum, qui subitis eruptionibus ingruunt: ita repentè adeunt, ac recedunt angeli, nec potes ingenio consequi, quo se recipiant, vel vnde prouolent. Sed iam ad alterum membrum.

Et ministros suos ignem incendentem. Paulus veluti præsagiens hostium nostrorum commenta (quid enim velint, notum est ex præcedentibus) vt manifestior esset comparatio, singulari numero ignem extulit. Fecit ministros suos tales, qui nobis ignis huius nostri (nec enim de cœlestibus somniandum) proprietates referrent. Neque nullum est hac etiam in re decus illorum spirituum. Nam vt docet ibidem Areopagita, creatis in rebus ignis maximè diuinam ob oculos ponit naturã, propter quandam cum ea (si qua tamen dici rectè valeat) proprietatum similitudinem, quæ effecit, vt scripturæ multa Deo tribuant ab igne petita. Et in Deo quidem inuenias illas proprietates perfectè redditas, in angelis nõ perinde, sed quasdam magis, quasdam minùs expressas. Quæ autem illæ sint, enarrandum Areopagitæ relinquo, qui plus minùs triginta sex annotat, quarum omnium illam potissimùm hoc loco spectari credo, quòd ignis communicatione sui non minuatur. Angeli enim suam hominibus candidissimè fœlicitatem impertiuntur, nosq; satagunt, quoad licet, in angelos transformare, planeq; igneos reddere, nisi mortalium præpediantur malitia. Non est igitur contemptibile, quòd post Dauidem Paulus conditos

adserat

*adſerat angelos ita, vt eſſent inſtar vrentis ignis. Nunc videamus, quid opponit pro filio Dei.*

| *Syr.* | Vulg. |
|---|---|
| De filio autem dicit: Thronus tuus Deus in ſeculũ ſeculorum. Virga recta, virga regni tui. Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis præ participibus tuis. | *Ad filium autem: Thronus tuus Deus in ſeculum ſeculi: virga æquitatis, virga regni tui. Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem: propterea vnxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis præ participibus tuis.* |

THronus tuus. *Syrus habet ad verbũ: Thronus tuus, qui tibi: ſed dandum eſt hoc phraſi.* Virga *ſchabto aliâs ſceptrum ſignificat.* Iniquitatem, *quam nempè Græci* ἀνομίαν *vocant, pugnantem cum lege Dei.* Conſortibus, *ad verbum commilitonibus, contubernalibus, vt ferè græci interpretes. Dixi (inquit Paulus) ingenuè Dauidem de angelis ſentire, & loqui magnificè: contrà autem, quãta filij Dei in ſcripturis præſtantia demonſtretur, attendite. Nec eſt negligendus citati teſtimonij modus. Non enim vel Dauidem, vel prophetam nominatim adducit: ſed perinde quaſi Deum teſtem, & litis arbitrum inducit, cuius vtique iudicio nemo ſtare dubitauerit.* Thronus *metonymicôs regem eſſe declarat, quaſi dicat: Regnum tuum (ô Chriſte)* שבט

*est æternum. Cæterùm quòd* Deus *dicitur, habet quæstionem. Hebræorum enim alij nominandi, alij gignendi casu efferunt: Regnum tuum est* Deus, *aut, Regnum tuum est Dei. Deus tibi concessit solium suum, suiq; populi principem constituit. Ipse quidem rex erat: sed regem petentibus dedit Saulē, quo reprobato, elegit te. Nos autem Septuaginta, & Lucam secuti, vocandi casum retinentes, ita credimus explicandum: O Christe (ὁ θεὸς Atticè dictum) qui simul es Deus, et homo, regni tui insigne æternum est. Sunt hoc loco expendendæ geminæ antitheses. Angelos enim primùm dixit ministros, ac nuntios, non tantùm qui Deo, sed qui nobis etiam deseruiāt: filius autem Deus appellatur. Deinde facti esse illi dicuntur: Christus autem si Deus, & conditor sit oportet. Adhæc illi ministrant: Christus in patrio solio residet sublimis, ac regnat iudex, ac dominus. Quis ergo non perspicit longum inter hunc, illosq; discrimen?*

עולם

In seculum seculorum. *Istud ostendit esse stultissimos, qui ad Solomonem deflectunt: quia in hebræo Dauide est olam, id est, diu, siue multo tempore, quod Lucas, & septuag. seculum seculi reddiderunt. Nam cùm seculum seculorum æternitatem significet, quomodo in terrenum illum regem ista competēt, cuius regnum euanuit, nec ad filium integrum peruenit? Mirum est homines, qui Christi gloriæ, & scripturarum, maximè autem Paulinarum, germanæ interpretationis patrocinium suscepisse videri volunt, in re tam seria ab ipso Paulo dissentire, & psalmum 44. ad Solomonem referre: cùm sit certo certius, interprete Apostolo, nuptiarum Chri-*

*Christi, & Ecclesiæ nobis in eo narrari mysteria. Quòd si Paulus hoc persuasum non habuisset, aut illius ætatis hominibus fuisset dubium: non indè produxisset testimonium in Christi negotio, saltem sine probatione; nunc autem citat apertè, tanquàm securus omnibus cõstare non aliò psalmum totum, quàm ad filium Dei pertinere.*

Virga recta. *Ita vocat sine omni curuatione proceram, & altam. Nam licet de sceptro intelligatur: non debemus tamen ad nostrorum regum aurea, & argentea sceptra, quæ ignorauit rudis vetustas scipionibus vsa, spectare. Quia autem plerosque, cæteroquin diligentes, video dictionem* εὐθύτητος *trahere ad eam, quæ in legibus, vitaq;, & morum præceptionibus versatur, æquitatem: visum est admonere, vocem Dauidis mischor re vera pertinere ad viarum, itinerumq; rectitudinem, & quorumlibet aliorum, quæ non deducant ad diuerticula, sicuti non rarò lex via dicitur. Vox autem, qua D. Lucas post septuag. est vsus, habet duas has notationes, quòd primùm significet id, quod est aptè collocatum, vt sit ea æquitas, quæ distributiuam exerceat iustitiam, quæ bene bono, & malo malè rependat: deinde celeritatem, atque impetum denotet, ne putes Deum esse ignauum, cessatoremq; iudicem, & quasi laborare in administratione iudiciariæ potestatis, sed statim qui animaduertat in commeritos, & subueniat laborantibus. Syra autem dictio peschito habet suum veriloquium à virgis cortice renudatis, quasi dicat: Virga tua nullam prauitatem occultat, nihil fuci, nihil impostura continet. Ex his omnibus hæc nobis nascitur sententia: Tu nequaquam vel ad gratiam,*

מישור

משוטת

*vel ex odio iudicas; sed ex æquo, & bono: ex iustitia, cui temperamentum accedit misericordiæ, cuncta decernis. Et hoc explicatur magis membro sequenti.*

Dilexisti iustitiam; & odisti iniquitatem. *Tu, Deus, nequaquàm corruptores iudices imitaris, vt vel nihil punias, vel nusquàm connineas: sed nec peccata dissimulas obstinatorum, legesq; tuas propria malitia violantium; nec ea rursus oblitus misericordiæ punis, vbi vides per infirmitatem, & miseriam esse peccatum.*

Propterea vnxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ, &c. *Ecbaticum istud est, non aiiologicum. Non enim iccirco vnctus hic fuit rex, quia iustus: sed ad eum modum euenit, vt cùm fuisset vnctus à patre, ita se regnando, ac iudicando gereret. Natura tua humana est coagmentata diuinæ; & in illo intimo congressu prorsus Spiritu sancto delibuta, vt interpretatur Petrus cap. actorum decimo. Non quasi participationem quandam habuerit Spiritus sancti Christus; cùm dicatur diuinitatis in eo habitasse plenitudinem: sed ibi Petrus, & hîc Dauid, loquuntur pro eorum, quibuscum agebant, intelligentia. Absit enim, vt credamus priùs natum, ac postea donatum spiritu sancto, qui simul atque conceptus est, habuit eam diuinitatis copiam, vt ad complementum deinceps nihil vnquàm addi potuerit. Et iccirco dicitur vnctus præ participibus, seu consortibus, qui de eius plenitudine erant accepturi.*

Io. 1. Coloss.

| *Syr.* | Vulg. |
|---|---|
| Et rursum. Tu iam inde ab initio iecci- | *Et, Tu in principio Domine terram fun-* |

iecisti fundamenta terræ. Et cœli opus manuum tuarũ sunt. Ipsi transeunt, & tu stas; & omnes ipsi sicut vestimenta veterascent; & sicut amiculum complicabis eos. Ipsi mutabuntur; & tu sicuti es. Et anni tui non consumentur.

*fundasti; & opera manuum tuarũ sunt cœli. Ipsi peribunt: tu autem permanebis; & omnes vt vestimentum veterascent. Et velut amictum mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.*

ET rursum *scriptura nimirum præferẽti Christum angelis suffragatur.*

Tu iam inde ab initio. *Hîc laborant Hebræi iuxtà ac Græci, & Latini. Nam Hebræis est lephanim, ante facies, quod peregrinis est sensibus obnoxium. Undè & Ariani sunt ea significatione abusi in voce κατάρχὰς; quasi non fuisset Christus æternus, sed secundum principia, & circa mundi constitutionem conditus. Nostri partim à, vel in principio, partim sine præpositione efferunt. Sed notandum eâdem dictione vsum Apostolum, qua & Moses in principio Geneseos bereschith. Quemadmodum itaque Moses nomine principij designat Deum esse æternum, & omni æuo priorem: ita quandò hîc dicitur Dei filium in principio fundasse terram, sic intelligi debet orbem condidisse, vt infinita secula præcesserit; si secula dici possint, vbi nullæ temporum dimensiones.*

לפנים

Genes. 1.

בראשית

Iecisti

Iecisti fundamenta terræ. *Non sic istud accipere debemus, quasi Deus altum fodere, iacere lapides, & cætera moliri debuerit, quæ in ædificijs fieri videmus, à quibus ducitur translatio; sed propter nostram tarditatem ista hunc in modum enuntiata sentire. Vt enim rex nobiles moliturus ædes, insignia iacit fundamenta: ita scripturæ de* Deo *loquuntur; vt intelligamus terram ab eo sic institutam, vt nullus de ruina sit metus. Quocirca non malè quidam reddunt: Terram firmam, ac stabilem creasti. Quãuis nequaquàm sit ignorãdum, quod est in ipso Paulo; qui dum adserit filium Dei terræ iecisse fundamenta, proculdubiò æternum ostendit. Horum autem omnium hæc est sententia, Dei immensa virtute factum esse, vt terra non modò creata sit; sed etiam ita stabili robore librata, vt nunquàm sit collapsura; vtq; illius Nurembergensis physici liceat friuolam rationem cõtemnere, qui contrà, quàm fuerit hactenus persuasum, cœlos omnes stare, vnicam autem terram in eorum medio volui docere conatur.*

Et cæli opus manuum tuarum sunt. *Sic est istud accipiendum, vt superius à Dei filio terram esse fundatam. Alibi dicuntur opus digitorum, hîc manuum Dei cœli; vt operandi facilitas indicetur. Hunc autem psalmum non torqueamus ad synagogam, & Iudæos in Babylone degentes: sed quò fertur, ad Christum referamus, vt etiam Beza non hæreticè hac quidem in parte à suo Caluino dissentiens. Neque tamen ista propriè in Deipara virginis filium, id est, in humanam naturam trahemus; nisi* κατ' ἀνθίδωσιν, *propter vtriusque naturæ conglutinationem. Esto igitur sensus iste. Christe, fili Dei, tu es*

tam

*tam potens, vt rerum principio de nihilo condideris omnes cœlos, & quicquid illorum orbibus continetur; tuam virtutem quodammodo conijcimus, & hisce haurimus oculis, in tam vastarum molium, & ingentium corporũ solo tuo nutu cõditorum consideratione: itaq; multùm abest, vt tibi ex æquo conferantur angeli, quos à te vnà productos edocemur alibi à propheta; cùm Moses cœlorum fictionem denarrãs, spirituum illorum occultam mentionem tantũ fecerit, aut sanè prorsus superuacaneũ censuerit meminisse. Hic ergo Paulus dum & cœlos, & angelos particulatim dicit esse à filio Dei productos, in caput illud Geneseos non obscurum dedit commẽtarium. Et cùm inter conditorem, & res conditas nulla sit comparatio: tamen propter orbium istorum præstantiã, ad quam obstupescentes quondam mortales in idololatriam prolapsi sunt, propheta, & post eum Paulus, longiùs proferunt comparationem; vt in illis nihil dignum diuinis honoribus fiat manifestius.*

Ipsi transeunt. *Sic loquuntur alibi frequenter de cœlis nostræ scripturæ, intelligentes hunc transitum, non solùm de eo, quo possunt penitùs deperire, nisi Deus virtute sua foueret, & contineret assiduè: sed & illam demutationem, qua olim sortientur statum omnis vitij, & corruptionis exortem. Cadit igitur in cœlos mutatio; nec deest in præsenti tempore epitasis, quam & hìc Paulus, & interpres eius Lucas, & septuaginta seruarunt, indicantes rem non procul abesse; tametsi Dauid habeat futurum tempus iobedu.* 2. Petr. 2. יאבדו

Tu autem stas. *Tu es tibi similis; tibi nec accedere, nec decedere quicquam potest. Hieronymus eodem*

dem verbo reddit hebræa) nisi quòd futurũ habeat: sed præsens tempus semper magis conuenit Deo; quod etiam indicarunt septuag. verbo διαμένεις, vt perpetuam identitatem intelligamus.

Et isti omnes, sicut vestimẽta, veterascent. *Non solùm elementa hæc nobis vicina, nec ipsi duntaxat planetarum orbes; sed omnes cœli* veterascent. *Et quemadmodum vestis, cùm diu gestatur, tandem deteritur, & consumitur, & attrita deijcitur, & altera mutatur: ita cœlis est euenturũ; quia nunc suum quodammodo sustinent vitium; à quo liberati, optata diu incorruptione mutabuntur.* Syræ vocis proprietas iebelon ex cap. Iosue 9. perspici potest, vbi astuti Gabaonitæ vestes detritas ostentat. Balah enim & seniũ, & consumptionẽ significat.

בלה

Et sicut amiculum cõplicabis eos. *Ne quis putet nos temere abstinere à vocabulo nostri interpretis; thachsitho non quámlibet vestem, aut operimentum, sed quod ornamenti caussa adhibetur, denotat. Nec aliò vocat Dauidis vocabulum leboschi: & ferè videmus extimas vestes esse cultiores. Neque absurdum fuerit suspicari Paulum, ac prophetam ijs vocibus, ne quisquam viles, abiectosq; cœlos crederet, vsos; vt comparationis decoro seruirent. Est igitur tibi, ô Deus, tam facile trãsformare cælos, quam facilè homines pretiosum amiculum complicant, & componunt. Vesana est igitur hoc loco Bezæ mutatio, qui non* ἑλλίξεις, *sed* ἀλλάξεις *contendit esse legendum: cùm Paulus vtatur verbo theouph, quod cõplicare significat, siue duplicare; licet in Daude sit chalaph. At quia Paulus non solet verba, sed sentẽtiam appendere: debemus potius illius stare commen-*

תחסיתא

לבוש

תעוף

הלף

tario,

*tario, quàm Beza, qui græcum contextum ad Hebræum corrigere, hoc est, depravare voluit.*

Ipsi mutabuntur. *Notanda vocis proprietas, ne de mutatione substantiæ accipiamus. Hebræum igitur, & Syrum chaleph significat mutationem talem, qualem indicant scripturæ, cùm mutatorias vestes nominant: quamuis negari non possit ad arbores, herbasq; transferri, suo modo, dum virent, frondentq; mutatas. Quocirca nulla est hîc cælorum contumelia; sed potius indicatur præclarum, quo amicientur olim ornamentum, detractis tenebris, quas nunc illis offundunt nostra peccata: vt nihil aliud voluerit oraculum, quàm cælos ad Dei nutum in melius esse commutandos.* חלף

Et tu sicuti es. *ad verbum, Et tu secundum esse tuum es, nulli es obnoxius mutationi, neque rerum vicissitudine hûc, illucq; verteris: & quamuis interdum nostris nobiscum sermonibus vtaris, vt nostro more balbutientem meliùs adsequamur; manes tamen simplicissimus, tuiq; similimus.*

| *Syr.* | Vulg. |
|---|---|
| Ad quem autem angelorum vnquàm dixit: Sede ad dexteram meam, donec ponã inimicos tuos scabellum sub pedes tuos? Nõne oẽs ipsi sunt spiritus ministerij, qui mittuntur in | *Ad quem autem angelorum dixit aliquando: Sede à dextris meis, quoáduſq; ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Nónne omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium* |

in ministerium, propter eos, qui possessuri sunt vitas.

*rium missi, propter eos, qui hæreditatem capient salutis?*

AD quem autem, &c. *Quod Paulus per interrogationem negat de angelis, multò verius de hominibus est negandum. Et mirum est Paulum scribentem Hebræis, istud adeò confidenter proferre, tanquàm confessum, nempè, psalmum illum de alio, quàm de Christo, accipi non posse, qua de re etiam superiùs est quiddam obiter dictum. Itaque quibuscumque ad Dauidem, Solomonem, Ezechiam, aliosve detorquentibus, solumq; de Christo secundum anagogen referentibus, oportet cum ipsius Christi, tum apostoli Pauli, & illius ætatis theologorum, id est, Pharisæorum iudicio præscribere.*

Sede ad dexteram meam. *Fingant quiduis, ac mentiantur aduersarij: Tu sede à dextris meis, figuratè exponant, perinde atque si dictum esset, ego te elegi, tu places mihi, & similes nugas excogitent: hic vnicus, ac germanus est sensus: Iudica omnes gentes, viuos, ac mortuos, teq; mecum eodem cultu prosequantur vniuersi.*

Donec ponam inimicos tuos, &c. *Donec ego tuæ religionis, ac fidei hostes ad vnum omnes è medio sustulero. Quid tùm fiet? Num ipse filius in ordinem redigetur, propter hanc particulam Donec? Scripturæ ista vocula vtuntur, & cognatis, tantùm vt illud excludant, de quo poterat esse dubium. Quid enim si cuiquam venisset in mentem suspicari, Christum quidem primùm ascendentem in cælum honorificè fuisse susceptũ, attamen propter hostium*

*hostium multitudinem loco cessurum? Scripturæ igitur huiusmodi ineptam formidinem hac parcula amoliuntur. Nam si sedet, circumstrepentibus, & obturbantibus inimicis: multò id credendum magis futurum, post eos deuictos, & detritos omnes. Sede igitur, tu, fili mi, quiesce, fruere potestate iudicis, satis depugnasti: ego, quod supereſt, redigam omnes aduersarios, satanam, hæreticos, Antichristum, sub pedes tuos, & suo tempore deprimam, vt vel inuiti numen agnoscant tuum, ad gehennam; ac tum securus regnabis consors imperij, etiã vt es carne indutus.*

Nónne omnes ipsi sunt spiritus ministerij? *Concludens Apostolus quodammodo istud sibi sumit. Quæro, num dubitaturus sit deinceps aliquis angelos esse ministros? Audiuistis nunc ex Dauide Christum esse regem, ac Dominum, deniq; tam sublimem, vt illi se pater quodammodo ministraturum polliceatur, subdendo illi hostes ipsius. Angeli autem sunt ministri, nõ Dei, et Christi duntaxat, sed etiam hominum. Itaque chaos est immensum inter Christi maiestatem, & angelorum quantámvis dignitatem. Nonne igitur omnes isti spiritus ministrant, & inseruiunt? Nemo negabit eos bonam operam suo nauare creatori: hoc tamen non addit Paulus, sed aliud, de quo maior controuersia.*

Qui mittuntur in ministerium, propter eos, qui possessuri sunt vitas? Vitas: *Ita syri nuncupant salutem: quia ea demùm vera vita, quæ æterna, & beata est.*

*Equidem omnia, quæ fiunt, electorum gratia geruntur; vt induamus gratam mentem cum erga Deum, qui angelos mittit, seu legat, vt habet græca*

dictio, nè simpliciter nuntios intelligamus; tum ergà illos ipsos, qui nostram incolumitatem habent charissimam: non tamen dubitandum est, quin propter frumentum idem zizaniorum magnam habeant rationem. Hîc autem erat ea pertractanda quæstio, an spiritus illi omnes mittantur: sed quia id videtur alio pertinere; dicam compendio, quid hac de re solidum, & germanum censeam. Et fateor alios aliter sentire: sed quia nihil mihi visum est perpetuò sanctius, & eruditius, quam in scripturarum intelligentia referre virorum apostolicorum traditiones; ab Areopagitæ præscriptis non discedam. Is igitur geminam hac de re sententiam proferens, dicit sua quosdam ætate sensisse, quampiam ex iis virtutibus, quæ nobis præfecta sunt, Seraphim appellatam, propter eam, quam prophetæ labijs exhibebat, purgationem, peccatorum obliterationem, & vitiositatum incensionem: se tamen dicit à quopiam edoctum, potiùs ita nuncupatum angelum, quia id prophetæ præstiterat, quod ipsemet per primam hierarchiam acceperat à Deo. Qui seipsum veluti totum insinuans primis illis, nobilissimisq; spiritibus, per eosdem gradatim, pro cuiusque captu, & ordine, inferioribus providentiæ suæ dispertitur operationes, similiq; progressu ad mortales usque delabitur, absque vlla confusione; vt omnes inter se cohæreant, & hac necessitudine conglutinentur. Capite autem eiusdem libri quinto disputat martyr sanctissimus, qui nomen angeli conueniat omnibus, si non mittantur omnes: aitq; propterea fieri, quia omnes eloquantur, & enuntient sibi proximè subiectis Dei voluntatem; hincq; factum, vt apud Malachiam pontifex, & sacerdos ange-

Cœl. Hier. ca. 13.

*angelico nomine cohonestarentur; quòd ipsi per angelos illuminati, vicissim accepta lucis radios in subiectum refundunt populum. Quæres probè cognita, multis in locis erit vsui. Nam sæpenumerò dicitur Christus offerre sacrificium in altari, absoluere, baptizare, &c. non quòd è cœlo descendat; sed quòd per quandam ordinationem, & semel Ecclesiæ concessam potestatem, in suis operetur ministris. Quòd si hanc diuinarum emanationum seriem retineamus: non mouebimur aduersariorum inuidētia, qui diuis, aut angelis nihil deferri permittunt; quasi Deus per seipsum obiret vniuersa; nec in operationis, & gubernaculi partem, scilicet, inuidus quemquam suorum admitteret. Cùm igitur hæc ita sint; & angeli cuncti nostræ saluti inuigilent: an non simus ingratissimi, si nullam his impendendam venerationem nobis persuaderi sinamus?*

## CAPVT SECVNDVM.

### SYRI TAMEN DIVERSAM habent sectionem, & caput primum longiùs producunt.

*ACTENVS Latinæ sectionis primum caput: ex quo licuit agnoscere, quantæ dignitatis, ac maiestatis, præ angelis omnibus, sit Christus; deinde quantò lege, ac prophetis præstet euangelium, quod ijs omnibus longè sublimiorem promulgatorem habuerit; ac postremò quantùm*

*hæc epistola faciat ad propriè intelligẽdum, & enarrandum vetus testamentum, ob creberrimas psalmorum citationes, ex quibus, tanquàm Ariadnes filo, ad similium locorum interpretationem germanam deducamur. At verò quòd ad sequens caput secundum attinet; mirificus est in eo toto Apostolus, seq; ipse vincere videtur. Nam in primis persequitur, atque efficit, quod extrema præcedentis capitis parte proposuit, hoc est, ostendit non solum Christum angelis, sed & Christianos ijsdem non abs re iudicari excellentiores; vtpotè qui in vnum cum suo seruatore corpus coaluerint, dum ille non angelos, sed Abrahæ semen apprehendit. Insuper enumerat præcipua beneficia in ecclesiam Christianam à Deo collata, vt hinc etiam Christi fidelibus dignitatis non parùm accedat. Hæc autem sic agit Paulus, vt obiter sui non obliuiscatur instituti, nempè, angelos filio Dei nequaquàm comparandos. Initio autem vtitur quadam paræneſi, ne Iudæos videatur scripturarum authoritate minùs vrgere, ac premere, nonnihilq; respirare permittit, eosq; recreat exhortatione, qua defunctus, redit ad negotium.*

| *Syr.* | Vulg. |
|---|---|
| Propter hoc oportet vt nos ampliùs aduigilemus in eo, quod audiuimus, vt ne excidamus. | *Propterea abundantiùs oportet obseruare nos ea, quae audiuimus; ne fortè perefluamus.* |

PRopter hoc. *quia habemus tam præstantem legislatorem: æquum est, vt solicitiùs excubemus,*

*mus; ne vsquàm desimus officio.* Aduigilemus. *Verbum syrum id est, quo toties in euangelijs Iudæi recinunt adhibendam custodiam monumento dominico, nempè, custodibus adhibitis, cum sigillis; vt maximam intelligamus diligentiam, quæ nihil omittat eorum, quæ rem præstent accuratè seruatam.* Vt nè excidamus. παραῤῥυῶμεν *pertinet ad aquas effracto, pertuso ve vasculo effluentes, estq; contrarium verbi* προσέχειν. *Ita quidam: ipsi tamen Græci interpretes aliter. Chrysostomus enim putat petitum è 3. cap. prouerb. vbi habent septuaginta* ἵνα μὴ παραῤῥυῇς. *Noli fili, committere vt leges meæ, monita, & institutio excidant tibi. Itaque non censet ille petitam metaphoram à vasis pertusis; sed ab aquis hinc indè dilabentibus, quomodocumque id accidat, quæ semel effusæ colligi denuò non possunt, quasi dictum foret: Retinete doctrinam vobis traditam, quam semel amissam non valebitis iterum nancisci; non magis, quàm aquam effusam in vas reuocare. Noster autem Syrus Paulus vtitur excidendi verbo, ducta translatione ab ijs, quæ pendent in sublimi, quæ semel inde collapsa denuò eodem conscendere non valent. Cùm nunc satis constet Christum diuina præditum esse maiestate, ac immensum omnes angelos superare: danda est opera, vt quicquid per euangelium nobis traditum est, diligenter excolamus, ac in recente semper habeamus memoria; nè si oscitates fuerimus, excidamus; nè Deum sic offendamus, vt nunquàm liceat è gratiæ sublimitate præcipitatis ad pristinam resurgere fœlicitatem. Hinc discimus, quanto Dei beneficio perduremus in orthodoxia, quibus nondum deplorandus hæreseos casus accidit. Nec illud dissimulan-*

mulandum nobis hic demonstrari, quàm sint homines animarum, & salutis prodigi, qui in Christianismo perinde versantur, quasi ludus foret, nec metu, aut solicitudine esset opus: cùm Paulus iubeat nos adhibere omnem diligentiam, nullisq; laboribus, ac vigilijs parcere; vt ne per nos stet, quo minùs perstemus; alioqui serò nostram ruinam deploraturos. Quam autem infelices Christianorum plurimi, qui omnium, quæ docuit Christus, tam sunt rudes; vt nè id quidem, cur ita vocentur, intelligant. Iam quàm sunt illi quoque reprehendendi, qui ea quidem non ignauè legunt, audiunt, intelligunt: tam agunt tamen oscitanter; vt quæ norunt, nescire videantur? Quid enim isti aliud sibi parant inani dogmatum nostrorum cognitione, quàm vt miserabilius pereãt, & damnentur grauius. Postremò licet hinc causam intueri, cur tam multi nunc à fide excidant. Tamen Apostolus non agit de illa ruina potissimùm, qua quis in infidelitatem, hæresim, aut apostasiam delabitur: sed de ea maximè, qua diffluit quispiam à spe salutis omnibus Christianis proposita. Deniq; quicunque sub nomine Christiano vitam ducunt antichristianam, omnes diffluunt, excidunt, pereunt: & priusquam lapsum instaurent, grauiter sudandum est. Quis ista nobis docentibus haberet fidem, si non suffragaretur Apostolus; nimirum, tantum studij, & cognitionis adhibendum; & probè cognita longè diligentiùs excolenda, inq; vitam, & mores traducenda; si certum alioqui perditionis, & excidij periculum euadere libeat? Sed hæc Paulus ipse copiosiùs.

Chrysost. Ita Theodoret. Theophyl.

Syr.

*Syr.*

Si enim verbum, quod dictũ est per angelos, confirmatum est, & omnis, qui audiuit id, & transgressus est illud, recepit mercedẽ in iustitia: quomodo nos effugiemus, si contẽnamus istas tãtas vitas? Hæ cœperunt à Domino nostro adnũtiari, & ab iis, qui ab eo audiuerũt, in nobis cõfirmatæ sunt, cùm testaretur de iis Deus signis, & prodigiis, & potentiis variis, & diuisionibus Spiritus sãcti, quæ datæ secundũ voluntatẽ ipsius.

Vulg.

*Si enim qui per angelos dictus est sermo, factus est firmus; & omnis præuaricatio, & inobedientia accepit iustam mercedis retributionẽ: quomodo nos effugiemus; si tantam neglexerimus salutem? quæ cùm initium accepisset enarrari per dominũ; ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est, contestãte Deo signis, & portentis, & varijs virtutibus, & Spiritus sanctꝰ distributionibus, secundum suam voluntatem.*

HIC *terminatur caput primum Syra distinctione.*

Verbum. λόγον. *Quid sit, disceptant interpretes. Quibusdam enim non de lege placet accipiendum, sed de quibusdam appendicibus: vt sit ea phra-*

sis, qua verbum pro re ponitur, & significet, quicquid per angelos inter homines in veteri testamento, gestum est, hoc sensu: Si quicquid angeli fecerunt, dixerunt, præceperunt filij Dei nomine, sortitum est effectum, si verum, ac ratum fuit. Verùm si revocemus in memoriam, quomodo Paulus alibi de lege loquatur, & ea, quæ superius ex Areopagita dicta sunt, legis potiùs amplectemur significationem. Ad Galatas enim cap. 3. legem per angelos traditam scribit, quos Deus ita solet illustrare, vt illi proximis inferioribus eosdem radios emittant eousque, donec prophetis, & iudicibus infimorum angelorum ministerio Dei leges innotescant. Sic Stephanus actorum 7. ait legem acceptam de manibus angelorum. Quo circa mihi rectissimè sentire videntur vetustissimi, qui legem, ac prophetas, & denique totum vetus testamentum hic intelligunt. Si lex, & prophetæ, & cuncta illa oracula, quæ tamen non ore Dei, sed angelorum ministerio, prodita sunt, rata fuêre, nec impunè violari potuerunt: quid statuemus de euangelio, & doctrina Christiana, quæ habuit Christum authorem, qui de cælis eam pertulit ad nos, oreq; sacro enuntiauit?

אשתרת שרר

Confirmatum est *Syri habent eschtharratha, scharar*, quod occurrit ferè, quoties scripturæ veritatem illam denotant, quam orthodoxiam dicimus, vt in Matthæo ad Pilati quæstionem copiosiùs est demonstratum. Undè facilè quiuis conijcit agi de certissimo euentu, ac veritate, qua nihil falsò, temerè, vel obscurè conflictum, aut intentatum sit: Si lex quicquid, & angeli veteri populo adnuntiarunt, fide dignum fuit, bonaq; iuxta, ac mala euentum sortita

sunt:

*sunt: quid æquum est nos ominari, si non fecerimus officium.*

Et omnis, qui audiuit id, est transgressus est illud. *Id est, si in lege veteri is, qui non obediebat præceptis à Mose, & prophetis, nunquàm tulit impunè; sed.*

Recepit mercedem in iustitia. *Id est, iustissimas dedit panas, nõ solùm iudicio Dei sed suo etiam ipsius. Notandum autem Lucam interpretem isti loco lucem adferre voluisse. Nam Paulus vnicam speciem peccati, nempè, transgressionem videtur habere: Lucas autem addit etiam contemptus crimen: quia bifariam peccari solet, vel non admittendo, vel admissam violando veritatem. Et Iudæi quidẽ prophetas olim veluti deliros aspernabantur, non sine scelere: nunc autem Christiani, ijs receptis, nihilo peccant leuiùs, propheticis regulis vitam aduersam gerendo. Quid ergo futurum est?*

Quomodo nos effugiemus. *Notat Chrysostomus ingeniosam Pauli percunctationem. Non enim ait, hæc, illáve patiemur: sed relinquit auditoribus, vt de hac re pronuntient; nè in initio, quo adhuc allicit eos, defertq; illis plurimùm, vehementiùs eos conturbaret. Iudicate vos ipsi, quomõdo non simus extrema pernicie dignissimi; si vel non credamus Deo, vel eius mandata violemus. Emphasis enim verbi* effugiemus *ostendit magnum infortunium imminere, quasi diceretur: Nequaquàm nostris imminentem ceruicibus* Dei *manum subterfugiemus. Vtinam autem istarum rerum nobis veniret in mentem, cùm delitiamur, voluptuamurq;, tuti, videlicet. Quid si tùm Paulus quispiam nostris*

intonaret auribus: En, tibi præest exitium, iam te arripit damnatio? pigeret credo peccatorum.

Si contemnamus istas tantas vitas, istam præclaram salutem. Iudæi ferè terrenis spebus trahebantur. Sedebitis vnusquisque sub ficu sua, bona terræ comeditis; si autem minùs frugi præstetis mãcipia, gladius deuorabit vos: in Christianismo autem, vt de gehenna, ita de vita æterna res geritur; quam numero plurali Syri non absre proferunt, propter illud æternum, & infinitum bonum. Cæterùm Lucas non immeritò videatur quiddam præterea designare: nimirum, haud quaquàm hoc vno nomine puniendum Christianum, quòd vel non credat, vel quiduis intrepidè patret flagitij; sed eum quoque extra teli iactum non fore, qui in religione Christiana putat sibi negligenter agendum. Quid ergo dictura est Christianorum pars multò maxima in torpore tanto? Esto, non pelluceas atrocibus vitijs; si edas, stertas; nonnunquàm publicos Christianorum conuentus adeas; habearis denique vir bonus: ô Christiane, si cætera desint, non meministi securim admotam tuæ arboris radicibus, nisi edas fructus? habes patremfamilias mirè auarum, apud quem otiosus Christianus, malus est. Quod igitur in nostra legitur versione.

Si tantam neglexerimus salutem, ostendit quantùm oporteat aduigilare, ne qui iam Christo est initatus, a fidei suæ scopo corruat. Nunc superest, vt ex Apostoli verbis colligamus, quantò atrocius tormentum excipiet Christianum immorigerum, quàm Mosaicæ quondam legis prævaricatorem, quod quadruplici argumento liquebit. Nequiquam autem negli-

*negligendæ salutis hanc addit ætiologiam.*

Hæ cœperunt adnuntiari à Domino nostro. *Vis nosse, Christiane, quàm tuum sit horrendum peccatum, si putes tibi te indulgere posse, post receptam fidem? Age. Jam dixi legem ab angelis datam: euangelij autem authorem habes Dei filium. Quantùm igitur præstat hic illis, tantò tibi maior pœna debetur. Est autem hæc sententia illi similis, quam habuimus in epistolæ principio:* Nouissimè locutus est per filium.

Et ab iis, qui ab ipso audierunt. *Ipse quidem Dei filius exorsus est: sed quia non erat illi constitutum hærere perpetuò in terris, habuit deinceps suos hypophetas, qui cœpta perficerẽt. Vt sit gemina euangelij commendatio, quod ipsemet Christus fuerit illud auspicatus, & lectissimi eius Apostoli reliquum suppleuerint. Cæterùm huius argumenti põdus hunc in modum eleuant hæretici. Quid refert, siue Deus, siue angeli dixerint: cùm certum sit legem esse verbum Dei, eandem, quæ in euangelijs, Dei voluntatem complectentem, nec minùs à Deo profectam, quàm ipsum euangelium? Equidem non negamus legis, haudquaquàm sine impietate contemnendæ quasi latæ ab angelis, Deum authorem: sed tamen, quandò dicit Ioannes in prima sua epistola:* Quod audiuimus, quod vidimus, & manus nostræ contrectauerunt: *& in euangelio:* Vnigenitus, qui est in sinu patris, ipse enarabit: *procul dubiò voluit quiddam aliud indicatum, quẽadmodùm & ille propheta:* Post hæc in terris visus est. *Significant enim referre plurimùm, quo modo, quóve instrumento Deum quis audiat, an per somnia,*

1. Io. 1.
Io. 1.
Baruch. 3.

somnia, columnas, fumos, angelos, & apparentias, an viuo ore filij Dei. Vt si rex interdum voce propria, interdum per fecialem aliquid denuntiet, erit quidem eadem voluntas, modus tamen longè diuersus. Itaque Christiane, cùm audieris ipsum Dei verbum, sanctissimumq; filium tecum agentem, cùm illum senseris, conspexeris, attrectaueris, non est relicta præstigiarum vlla suspicio. Rursus autem videtur percunctationi locus. An non lex per mediatorem? Rectè. Sed Christus ita loquebatur, ita legem promulgabat tunc Dei filius, vt nusquàm non ænigmatis ratio seruaretur. Maiores nostri (fateor) nõnulli contendunt ea omnia, quæ tùm gesta sunt, à Christo facta, sed obscurè tamen, & alia ratione, viso mox euanescente, quodq; alienum esset ab incarnationis constantia. At in euangelio nostrum hunc induerat hominem, nostro more, verbisq; loquebatur. Sit igitur lex à Deo: minimè tamen tã efficax, quã est euangelium. Verùm quod adiungitur de Apostolis, videtur priora nonnihil eleuare. Non immeritò id in Latina, & græca lectione quispiam suspicaretur: in quibus deest, quod habent Syri, Ab eo, nempè, audierunt, absque illius ore sacratissimo pependerunt. Ab iis, (inquam.) In nobis confirmatæ sunt. Idem est verbum, quod superiùs. Sed quomodo conciliabuntur ista cum iis, quæ alibi ab eodem Paulo dicta sunt: se nequaquàm ab hominibus edoctum, sed ab ipsomet Christo institutum? At iam olim Theologi veteres, dum Arianis respondent, nostris quoque videntur hæreticis respondisse: nempè, Apostolum in iis, quæ pro se illi adducunt locis, alia in pugna versari, tum q; sese à calumnijs pseudo apostolo-

Galat. 3.

Iustinus in Tryphone. Eusebius in demonstr. Euangel.

1. Cor. 9. & 15. Galat. 1. Ephes. 3.

*stolorum, qui legem euangelio commiscebant, seq; falsò Petri, Iacobi, atque Ioannis principum Apostolorum, exemplo facere prædicabant; Paulum autem, veluti qui nuper ad fidē accessisset, neque Christum vidisset, cum cæteris Apostolis neutiquàm cōparandum, sed potiùs hæreticum habendum. Horum igitur sycophantijs Paulus non semel obuiam ire compulsus est, suamq; sibi tueri dignitatem. Addunt & istud, Paulum ijsdem in locis ita loqui; quia non perinde constabat omnibus numinis instinctu rem geri, cuius ipse quendam ageret interpretem: hic autem quia statim huius rei factam fidem signis, & prodigijs adserit, minùs ea de re fuit solicitus, cunctis persuasum ratus, Apostolos diuinitùs esse locutos, & se quoque ab ipso Deo legatum. Nam (vt ait Oecumenius) non dicit: Ego vobiscum audiui: sed* In nobis confirmata sunt; *vt hanc personam primam per antidosin accipere debeamus. Paulus enim loquens Hebræis, non suis discipulis, se pro discipulo gerit: In nobis (inquit) hebræis, qui à lege migrauimus ad euangelium. Quæ forma sermonis magnam habet modestiam, dum in se deruat, quod est aliorum; seq; in ordinem redigit. Non desunt, qui* ἐις ἡμᾶς *ita premant, quasi innueret magnum spatium inter huius epistolæ scriptionem, & euangelismum Christi: Ante multos annos cœpit Christus adnuntiare euangelium suum, quod tamen ad nos vsque peruenit. Sed qui nouerit syris non esse al, sed* בן על *ban; nullius esse momenti speculationem istam deprehendet. Etsi enim certum sit, longè posteriorem fuisse hanc epistolam: quòd tamen hinc colligere se putant, non est germanum. Hoc igitur spectauit potiùs,*

tiùs, hebræos vnà secum mordicùs fidem retinere semel acceptam. Christus sui nobis euangelij copiam fecit, quod receptum retinemus, nec illud nobis eripi sinimus: vt sit oratio cohortantis, vt porrò perstent in fide. Hactenus primum argumentum.

Cùm Deus testaretur de iis: *nimirum vitis. Potuisset dicere quispiam apostolos nihil habere Mose, prophetisq; præstantius; ac proinde perexiguum esse robur in argumento Paulino. Immò, inquit, lōgè secùs se res habet. Nam etsi locuti sint apostoli (hos enim intelligit) non deerat testis, ac suffragator illorum doctrinæ Deus, fidemq; concilians istis vitis, id est, rebus adnuntiatis in euangelio; nec ipsæ res obscurum de se testimonium prodebant; nec deerant Apostoli. Quæ omnia accidentibus miraculis, & prodigijs confirmabantur. Et primùm.*

Signis. *Habuerat lex signa sua: sed illa nihil ad ea, quæ habuit euangelium; vndè illud:* A seculo non est auditum, &c. *Signa igitur ista significant ea miracula, quæ dicit Marcus secuta doctrinam apostolorum. Latet hìc & illud argumentum. Moses equidem, & prophetæ nonnulli prodigijs insignes, non item alij fuêre; at in christianismo ferè nullus non ea valebat potentia; tametsi alij alia virtute pollerent magis, plerique tamen omnes præditi erant vi eijciendi dæmonas.*

Ioan. 9. Marc. vlt.

Et prodigiis. *Videtur idem, quod prius, dici; si duntaxat aliquam epitasim, & significationis incrementum adhibeas: quia tamen tria vocabula posuit apostolus, ea arbitror indicari, quæ maximam omnium cierent admirationem. Nam syra dictio thedmeretho ab admiratione dicitur vndè et miracula.*

תדמרתא

Et

Et potentiis variis. *Istæ quoque virtutes miracula sunt: sed hoc habent peculiare, vt ea tantùm designent, quæ arguunt Dei potentiam incomprehẽsibilem. Ergo quatenus nos ex editis miraculis possumus adsurgere ad diuinæ virtutis contemplationem, eátenus virtutes appellantur. Proinde viderint, qui has ad fidem, spem, & charitatem detrahunt.*

Et diuisionibus Spiritussancti, quæ datæ sunt secundùm voluntatem ipsius. *Ita Syri paraphrasticòs græcam vocem referunt μέρισμος, quæ elargitionem, & partitionem significat. De his charismatibus vberrimè disserit Paulus 1. Cor. 12. quibus vel singulis, vel pluribus interdum præstabãt Christiani. Et Paulus non rarò disputans hinc aduocat præsidia: Per quid, cedo, accepistis spiritum?* Gal. 3. *per legémne, an per auditionem fidei? Ad eum modum cùm Ierosolimita cernerent gentiles perfundi spiritu:* Ergo etiam gentibus dedit Deus salutem? Act. 10. *Vsque adeò illa signorum, ac donorum varietas cœlitus olim concessa, palàm valebat ad fidem constabiliendam. Spiritui autem istud tribuitur, quia munera largiri benignitatis est, ac munificentiæ: licet sit re vera à tribus æquè personis. Verùm quoniam apud Iudæos propter ignauiam (vt volunt Græci) dissarebant sensim hæc dona: consolatur eos nonnihil, quòd audiunt pro Dei voluntate ea distribui, vt si cui data non sint, non agrius ferat, certus ita visum Deo optimo, cui autem tale quid obtigit, agat gratias. Quia quicquid in singulos statuitur, iustissimo Dei nutu libratum est.*

*Disputatur autem, quid referat pronomẽ* ipsius *vel* suam. *Et plerique de Spiritusancto explanant,*

*iuxta*

iuxta quod ad Corinthios doceri videtur: id tamen, quod modò attigi, retinendum est, distributionem quidem acceptam ferri Spiritui sancto; eadem tamen dona posse eodem iure, ac potissimùm adscribi Christo, qui nobis ista promeritus est; neque tum pater erit excludendus. Tunc enim ista sequentibus cohærebunt: Non enim angelis, &c. vt Christum veluti quendam ἀλοχράτορα nobis inducant, cuius omnia sint subiecta pedibus. Quia tamen nullum habeo huius sententiæ principem; non libet nouæ interpretationis authorem videri: tametsi nonnihil iuuet, quod hic Apostolus versetur in collatione Christi, & eius euangelij cum lege. Erant etiam aliqua legis veteris dona; etsi non ita confertim suppeterent; at in euangelio audire fuit omnium loquentem linguis Apostolum, edentem miracula, prophetiæ spiritu nequaquàm destitutum, ne cæteros adferam; quemadmodum docent elegantissime Iustinus in Tryphone, & Tertullianus in primo libro aduers. Mar. Quocirca videri haud immeritò posset ad Christum ista proculdubiò pertinere: quasi diceretur: Christus à Mose, cæterisq; prophetis ita diuersus est, vt ibi singulis singula ferè; hic autem omnibus cuncta, vel plurima. Hic autem vehementer

Hæretici sudores.

sudant hæretici, vt nobis argumentum intercipiant, quo dicitur Deus miraculis, ac prodigijs suæ doctrinæ attestatus. Ferunt enim ægerrimè catholicorum insultationes, miracula, mortuorum suscitationes, & reliqua à nostris maioribus copiosissimè quondam exhibita in demutatæ religionis, ac doctrinæ confirmationem poscentium; cùm videamus id, quod in apostolis poterat esse suspectum, miraculorum authoritate

tate dilutum fuisse; idq; obseruatum in cunctis religionis veræ assertoribus, Mose, Elia, & alijs. Pergũt tamen impudentes papistarum, id est, nostram ridere stultitiam (ita enim illi homines sapientes appellant) qui velint religionem signis confirmari. Quod an meritò postulemus, ex istis quatuor, signis, prodigijs, virtutibus, ac Spiritus diuisionibus liquet. Et nè non vbique sint sui similes; aiunt miracula nostra haud esse vera: nempè, quia nuper natum euangelium conuellunt. Quasi verò nos aliud adsertum optemus, quàm nostram doctrinam orthodoxiam esse, cui constituendæ olim tam multa Deus prodiderit: cùm isti nouatores tantùm interea nugentur, neque quicquam præstent. Ne quis tamen catholicus idem ab orthodoxo requirat; Chrysostomus notat causas, cur iam rarissimè virtus illa reperiatur. Ac primò dicit Iudæos, ad quos scribit Apostolus, per suam inertiam charismata cæno, situq; adobruisse, ijsdemq; propterea spoliatos. Nam ἐπροτρέπετο, veluti amotis cineribus, susceptam gratiam: nè vel amitteretur, vel elanqueseeret; sicuti Martinus, & Nicolaus, viri sanctissimi, non semel quærebãtur sibi contigisse, quoties vel in communionem hæreticam coiuissent, vel alio quouis pacto gratiæ fumos offudissent. Addit & istud, etiam tum plerisque negata dona gratiarũ, quia Spiritus nouerat collocatum iri sua munera in iactabundos, fastuq; turgidos, neque rectè vsuros acceptis. Denique frequentia, & tempore dignitatem apud homines non potuissent retinere integram.

Surrectio primæ feriæ sextæ crucifixionis. Non putaui omittendas has epigraphas, contra to-

tius antiquitatis iuratissimos hostes, qui omnes huiusmodi sectiones explodant, & merecq; canendum, & saltandum esse, neque statis diebus, ac festis quicquam accommodandum clamitant. Surrectio igitur id est quod nocturnum vocamus. Quondam enim in solennibus diebus, ac profestis pervigilia celebrabant, omniumq; diligentissimè per totam magnam hebdomadam a vespera vsque ad solis ortum. Sub horam igitur nonam conueniebant Episcopus, clerus, & alij, plebs aliys rebus, vel quieti vacabat. Ibi vtriusque testamenti fragmenta legebantur in horam ferè duodecimam, ac tum plebem adesse oportebat, isq; secundus nocturnus vocabatur, in horam circiter tertiam. Et tùm cuiita visum erat è populo discedebat: vniuersus autem hierarchicus ordo iisdem artibus tertium nocturnum absoluebat. Nostra, si ad ista conferantur, non carebunt antiquitatis lineamentis: sed priscus ille feruor, attentio, grauitas nusquàm apparebit. Sed hæc præter institutum. Hactenus autem permensi sumus euangelij, legisq; comparationem, quam doctissimè Theodoretus iys quatuor comprehendit argumentis. Primùm ibi angeli, hic Dei filius nomotheta fuit. Adhæc lege quidnam gerendum, euangelio qua ratione adsequamur vitam beatam traditur. Præterea tametsi non defuerint ibi quædam miracula, nihil tamen ad ea, quæ hic à Christo, eiusq; apostolis, ac sequacibus edita sunt. Postremò neutra in parte desiderata spiritus dona: sed hic vberius multò, ac in pluribus fuerunt. Nunc proxima se nobis offert pericope, qua Paulus denuo Christum confert angelis, ac præfert, in qua discemus obiter totius psalmi octaui germa-

nam

*nam interpretationem: porrigeturq; nobis ex Paulinis armamentarijs bipennis, qua nodos, & controuersias, quæ nobis partim cum hæreticis, partim cum veteribus enarratoribus de illius psalmi scopo, & phrasibus intercedunt, penitùs exscindantur.*

*Syr.*

Nõ subiicit enim angelis seculum futurum, de quo loquimur: sed secundùm quòd testatur scriptura, & dicit: Quid homo, vt memor sis eius; & filius hominis, vt visites eum? Minuisti eum paullulùm infra angelos. Gloriã, & honorẽ posuisti super caput eius, & cõstituisti eũ super opus manuũ tuarum. Et vniuersum subiecisti sub pedes eius. In hoc autẽ, quod vniuersum subiicit ei; non reliquit quicquã nõ subiectum:

Nunc

Vulg.

*Non enim angelis subiecit* Deus *orbem terrae futurum, de quo loquimur. Testatus est autem in quodam loco quis dicens: Quid est homo, quòd memor es eius: aut filius hominis, quoniam visitas eum? Minuisti eum paullóminus ab angelis: gloria, & honore coronasti eũ, & constituisti eum super opera manuũ tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius. In eo enim, quòd omnia ei subiecit: nihil dimisit non subiectum ei. Nunc autem*

Caput 2. Syra sectione. (est)

Nunc autẽ nẽcdum videmus vniuersum subiectum ei. Eum autem, qui minutus paullulùm (est) infra angelos, videmus esse Iesum, propter tormentũ mortis eius; & gloriam, & honorem positum super caput eius.

*tem nẽcdum videmus omnia subiecta ei. Eum autem, qui modico, quàm angeli minoratus est, videmus Iesum, propter passionẽ mortis, gloria, & honore coronatum.*

*Particula* Enim, *quid sibi velit, ex supradictis patet. Si namque pronomen* Ipsius, *quod in fine superiùs habuimus, sit intelligendum de seruatore nostro, qui dicebatur cœpisse adnuntiare euangeliũ: eodem spectabit ista caussalis, in hunc sensum: Ego aio pro arbitratu Christi dispensari spiritus omnia charismata, vtpotè qui sit imperator, ac dominus omnium: cuius rei fidem, si quisquam dubitet, id facere potest, quòd ipsi, & non angelis est vniuersum subiectum, ipsecq; sedet arbiter omnium, ac proinde meritò dictum est cuncta geri pro illius voluntate. Si per antiquitatis praiudicium liceret ad hunc modum explanare, oratio plana, & aperta foret: sed aliò trahunt veteres, & partim ad initium, partim ad finem capitis referre volunt, vt sit oratio reuertentis ad id, quod intermiserat, de terra totius hereditate. Nonnulli reuocant ad illud: Constitui te heredem vniuersorum: quod si non absurdum, certè mirum videtur, tot interiectis, repentè ad id, quod tam dissitum est, resilire, maximè si spectemus eius rei,*

*rei, quam hîc demùm confirmari volunt, probationes, & argumenta non desuisse. Tamen quia venerandæ est antiquorum canicies; sequamur & nos.* Non *igitur* subiicit angelis seculum, *sed* mundum, futurum *Quodnam est istud? Quidam non alium, sed hunc ipsum mundum intelligunt; quemadmodum superius orbem terræ sumus interpretati. Chrysostomus, & alij sunt in hac sententia: tametsi Theophylactus, & Oecumenius diuersam quoque adhibeant. Theodoretus futuram vitam intellexit. Sed quomodo hic mundus dicitur futurus? Respondent Paulinæ phraseos exemplo ex cap. 5. ad Roma. vbi Christus futurus dicitur; non quasi nondum in humanis natus, & passus; sed quia tunc id adhùc erat futurum, cùm Adamus erat in viuis. Simili modo hunc locum explicant; quia Christus Dei filius immensis annorum miriadibus orbem terræ antecesserit. Ingens est authoritas Chrysostomi: vix tamen deducor ab eorum commentario, qui de futuro seculo credunt enarrandum, quod post iudicij diem inchoabitur; quibus adstipulatur verbum* subiicit, *vel vt communis habet lectio,* subiecit, *& quod Dauid dicit 8. psal.* Omnia subiecisti, *&c. vt de eo, quod iam factum est, verba fieri manifestum sit. Atqui mox dicet Apostolus istum, quem cernimus, mundum nequaquàm illi subiectum; in quo tyranni vnà cum diabolo, eiusq; administris latè dominantur; ipsiq; adeò eius cultores prauis operibus illi aperta fronte repugnant. Quin cap. 15. prioris ad Corinth. idem palàm declarat, tùm numeris omnibus illam subiectionem perfectum iri, cùm nihil supererit, quod recalcitret eius imperio.*

De quo loquimur. *Indefinitè. De quo partim locuti sumus, partim loquemur: tametsi potiùs ad sequentia deuergat oratio. De quo nunc nobis est differendum.*

Sed secundum quòd testatur scriptura, & dicit. *Habemus longè diuersam in latinis, græcisq; sententiam: quod nonnulli, parùm aduertentes interpretẽ Hebræis detulisse in sacris scripturis versatissimis, credunt contemptim ab Apostolo dictum. Paulus autem ipse non dubium authorem, sed scripturam nominat, elegantissimo, semperq; nouo citandi genere non hìc primùm vsus.*

Quid homo, vt memor sis eius, & filius hominis vt visites eum? *Hæretici, antiquo more, contendunt hunc psalmum non ad Christum, nisi violenter contortum, sed ad Adamum, & vniuersum hominum genus pertinere. Et siquidem intuearis protoplastum in illa conditionis dignitate perseuerantem; tum aiunt propriè psalmum illi congruere: sin autẽ deiectum, & miserabili ruina collapsum; tunc, nè videantur iniquiores, Christo accommodari permittunt, & ijs, qui sunt ab eo restituti. Sed quàm Dauid, qui norat Adamum corruisse, ac totam eius eodem collapsam posteritatem, scribebat, quod in eum quadrare non valebat? Nihil respondent; nisi forsitan ita collibitum ostendere, quam nactus fuisset persistendo fœlicitatem. Idem tamẽ tantùm abest vt velint homines infideles, & alienos à Christo, huius vniuersi dici possessores: vt certissimi furti dicant accusandos in die iudicij, quòd vestes, ac cibos, & catera non sua bona, vsurparint. Inauditum hactenus deliramentum. Sed quid opus est ijs, qua*

cum

cum huius loci natura repugnant? Quin apertè dicimus psalmum ad Christum pertinere: præsertim cùm ipse nobis, hac in parte iam olim præscripserit, dum apud Matthæum ostendit hoc de se dictum esse vaticinium? Adde quòd præter hunc istius epistolæ locum, in prioribus ad Corinthios, & ad Ephesios versum integrũ germanè sit interpretatus Apostolus. Quid autem, quòd Lydius lapis scripturarum intelligentiæ palam faciat non posse hominibus competere, quod de angelis inficiatur: & dum tam constanter illud sibi adsumit, paullulùm minoratum Christum ab angelis, satis persuasum sibi declarat, id aliò, quàm ad Christum, torqueri non oportere? Est igitur hæc sententia: Domine, quid est humana natura, vt illam tanto dignareris honore, naturæq; diuinæ coniungeres in eandem filij tui hypostasim? Et quoniam eorum, quæ habemus charissima, meliùs recordamur: iccircò hominis memorem dicit, quem tantopere dilexit, ostendens præstantissimam naturæ nostræ fuisse portionem, quæ à Dei verbo suscepta est. Nos igitur, quoties horũdam diuinitatis maiestatem intuemur, merito obstupescentes, quærimus, quis sit ille homo, quem è puris Mariæ sanguinibus, ad tantam Deus sublimitatem euexit. Ea autem, de qua hic agitur, visitatio non est quauis, sed vt optimè Septuaginta. diuusq; Lucas hebræam, syramq; vocem expressérunt, illi similis, quam obeunt episcopi, dum suos perlustrant greges. Quantus, aut quid denique est is homo, quem (ô Deus) in tanto habes pretio, vt in eum assiduè sacerrimos defigas oculos, illum euchas eousque, vt Deum haberi, & dici velis? Docemur à propheta gratias agere Deo, qui

Matth. 21.

1. Cor. 15. Ephes. 1.

tantum honorem naturæ nostræ contulit.

Minuisti eum paululum. Hebræa vox Dauid meat ambigua est, vt vel temporis quantitatem, vel durationem significet; neque ferè est alia græca vocis βραχύτι natura: & propterea Græcorum, & Latinorum alij de temporis puncto, & momento volunt intelligi, referentes ad mortis triduum, vel passionis tempus vniuersum; alij alterum significatum arripiunt, vt perparum dicatur depressus. In hac sententiarum varietate, & hebræa, græcaq; dictionum ambiguitate, syrum vocabulum, quid sequi debeamus, clarissimè commonstrat. Nam Kalil ad quantitatem refertur, vt Roman. 15. vbi se Paulus excusat, quòd aliquanto liberiùs eis scripsisset; vbi autem actorum 5. iubentur apostoli paululùm secedere, est edono zouro. i paruo tempore. Infra angelos. Nec istud caret quæstione. Nam hebræis est elohim, quod Hieronymus vertendum adserit Deo, vel Dijs. Nen sunt ignotæ Fabri, & Erasmi non ignobiles super hoc negotio apologiæ; quorum ille Dei vocem mordicùs retinens, caussam alioqui proditurum Paulum contendit; si Christum angelis diceret inferiorem, quem longè ijs antecellere probandum susceperat. Sed obseruandum est Septuaginta habere angelos, nec aliter Lucam esse locutum: certè syrus Paulus habet maloche; nec aliud habet Ionathas paraphrastes, quàm min malochio. Adde quòd hebræum vocabulum non solùm ad Deum, sed ad angelos quoque, & homines nonnunquàm pertinet; & quod mox ipse Paulus seipsum de angelis interpretetur. Cum igitur grauissimis iniurijs, ac doloribus, quibus vtiq; carent angeli, nobilissimum illum hominem condide-

מעט

קליל

עדנא
ושורא
אלהם

מלאכא
בין מלאכיא

ris obnoxium; & ad postremũ in cruce mortem oppetere, iacêre in sepulchro, cæteraq; perferre, quæ mortalibus habentur miserrima, iusseris, ô Deus: non tantùm secundum tempus, verùm re ipsa quoque infra angelos illum depressisti. Quin ipse quoque vermem, & reiectamentum hominum se appellitat: vt nédum infra angelos, sed infra homines quoque videatur deiectus. Sed hoc qui parum videri potest? Cur non igitur ad temporis breue spatium restringis? Respondemus, Pauli testimonio nos edoceri, hoc de tormento eius perpessionis intelligendum, quod neutiquàm diuturnum, fuit quasi pretium, & meritum insecuturæ gloriæ perennis, quæ angelica incomparabiliter præstantior esset futura: vsque adeò vt idem seruator suam crucem, gloriam suam nuncupet; quia eo pacto immortalitatem, & nomen omni nomine præstantius promeruit. Et quidem non exiguum, quòd ita lancinatus, contusus, confossus, ac mortuus est: sed si consideremus nulla necessitate, nullo metu, sed amore nostri talia libentissimè deuoraſſe, si summam innocentiam, si collatum decus, & honorem in medium proferamus; maxima pars supplicij, et ignominiæ detrahitur. Igitur hac in parte quodammodo excellunt angeli: sed in ijs, quæ sequuntur, longè aliter se res habet.

/Gloriam, & honorem posuisti super caput eius. Gloria in cognitione, & fide Christi sita est, vt significet nominis celebritatem, & famam per totum orbem diffusam, qua homines credunt illum esse Deum, & ad dexteram patris consedisse. Honorem autem intelligimus de latria, et cultu post illam gloriam exhibito ei ab omnibus credentibus. Impone-

*re autem capiti perinde est, atque coronare, vt indicetur copia. Sic alibi præcipitur nobis, vt congeramus carbones super capita aduersariorum, quod sit, quãdo hominem ita adobruimus beneficijs, vt hostiles deponat animos. Tu, quantùm per rei naturam fieri potuit, incredibili gloria, & honore naturam humanam cumulasti, Deus.*

Et constituisti eum super opus manuum tuarum. *Vtique cum imperio, & potestate. Fecisti eum rerum omnium dominum. Scholat enim cum potestate constituere significat.*

שולט

Et vniuersum subiecisti sub pedes eius. *Id quia aliãs perstrictum fuit, nunc breuiter. Tu non tantùm constituisti eum iudicem, vt esset tibi per omnia æqualis, eiq; deferretur honor ab omnibus: sed ad postremum nihil patieris esse illi aduersum, quin omnia quæcunque infesta, reddes illi ad nutum parata, & obedientia, vt neque mors, cui tunc insultare licebit, neque Satan, neque val. diſsimum eius instrumentum Antichristus, hiscere possint, denique*

1. Cor. 15. *quicquid in nobis reſidet vitij, auferetur. Nihilóminus etsi tùm maximè sortietur effectum istud oraculum, quia peccata quandiu regnant, non omnia Christo perfectè subiecta sunt: tamen interea, pro omnipotentia sua, nouit ipse abuti etiam impiorum ministerio, & cogere nolentes, vt sibi obsequantur.*

Eum autem, qui minutus paullulùm infra angelos, videmus esse Iesum. *Hæc est citati psalmi accommodatio. Vos omnes mecum videtis esse positum extra omnem controuersiam, hunc psalmum loqui de Christo seruatore, quem infra angelos dicit imminutum. Sed qua parte, aut ratione?*

Propter

Propter tormentum mortis eius. *Ideò minutus, quia mortuus. Falluntur enim plerique, non rati mortem, sed patibilitatem indicari. Nec enim friuolo pleonasmo tormentum mortis pro morte ponitur: sed etiam tùm Valentinianos, cæterosq; phãtasiastas præuidebat spiritus, qui pro sua stulta sapientia putabant indecens Christum pati mortem. Ne quis igitur diceret Christum non sensisse mortẽ, sed cuncta in phantasmate gesta; vel suppositum esse Simonem Cyrenæum, aut asini caput: vocauit* tormentum mortis; *& quidem* eius, *quod habet emphasim; quia non apparenter tantùm, sed verè pertulit dolorem. Diximus autem alibi de vocis chascho significatione, quæ à compressione, et collisione dicta, morte collisum, & compressum dominum indicat. Quid nunc dicent, qui psalmum nolũt ad Christum pertinere; nisi fateantur se Pauli interpretationi vim inferre, dicentis* videmus, *certo scimus.*

Et gloriam, & honorem positum super caput eius, *filij hominis, quem à Deo coronatum adserere Dauidem nobis est persuasum. His autem, quæ dicta sunt, istud adiecisse sit satis, loqui Apostolum de gloria immortalitatis Christi, & eius nominis celebritate. Quamdiu hîc agebat* Dei filius, *licet nihil ei deforet, propter adiunctam diuinitatem: non erat tamen gloria, & honore cumulatissimus; erat nostra circundatus mortalitate; læsi poterat, & iniurijs appeti; immortalitas illi in resurrectione collata est, cui nominis accessit gloria. Nam qui priùs habebatur seductor, qui hùc illuc discedere propter aduersarios visus est, nunc passim celebratur, & adoratur.*

Syr.

| Syr. | Vulg. |
| --- | --- |
| Ipse enim Deus, pro sua bonitate, pro omni homine gustauit mortẽ. Decebat enim eum, cui vniuersum inmanu, & propter quẽ vniuersum, & multos filios adduxerat in gloriã suam, vt caput salutis eorum, tormento consummare. Is enim, qui sanctificat, & ij, qui sanctificantur, ex vno sunt omnes. | *Vt gratia Dei pro omnib⁹ gustaret mortem. Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem salutis eorum, per passionem consummare. Qui enim sanctificat, & qui sanctificantur, ex vno omnes.* |

(vitarum)

*OLim in Latinis, & græcis quibusdam exemplaribus, vt etiam nunc apud Theodoretum, Theophylactum, & Oecumenium cernere est, χωρὶς τοῦ θεοῦ legebatur: quamuis duo posteriores corruptam à Nestorianis lectionem adserant. Habebant enim illi hæretici inter alia delramenta hoc etiam impiamentum, Christum Dei filium non fuisse coniunctum naturaliter, & personali vnitate filio Mariæ; sed verbum Dei in homine perinde, atque in diuersorio habitasse: & in firmamentum erroris ex isto loco Paulum testem producebant, vbi secundum eorum depravationem diceretur diuinitas patienti, ac morienti Christo non adfuisse. Theodoretus au-*

Theodoretus aliquãdo fauit Nestorianis.

tem

tem lectionem non damnat; sed catholicam adiungit enarrationem: tametsi simplicis bonitatis, & candidissimi pectoris vir, Nestorianis aliquando minùs cognitis impensiùs fauerit; vt testantur, qui inter opera Cyrilli extant, libelli in Chalced. concil. damnati. Sine Deo, inquit, quia omnia, etiã angeli, Christi morte indigebant, excepta sola diuinitate, cui accedere nihil vnquàm potuit. Quod autem magis mirum, ita legit D. Ambrosius lib. 4. cap. 5. de fide; nè quis illam lectionem temerarius expungat, quam viderit Ambrosium non aspernari. Interea tamen cum lectionis germanæ, tum genuini sensus ratio satis probatur. Cùm autem Cæsareus codex Viennæ cuius habeat, vt vertimus, & catholicorum habet lectio (ipse enim Deus) exemplar m. s. electoris Palatini, haud dubiè à Syris Nestorianis depraua-tum, græcæ illi corruptelæ, consentaneæ nomini Dei præponit ετερ μιν, id est, absque, præter, quod Tremellius secutus ausus est vertere contra fidem orthodoxi coaicis: Ipse enim, excepto Deo, per beneficentiam suam: annotans pro, suam, etiam, eius, transferri posse, ac de patre intelligi. Satis Nestorianè. חטרמן

Ipse enim Deus. Propter intimam humanæ naturæ cum diuina coniunctionem, per antidosim, quæ sunt vnius, alteri naturæ tribuuntur; quod Nestorius adsequi non potuit.

Gustauit mortem. Quibusdam id metaphora dictum videtur ducta ab ijs, qui venenum hauriunt; quò scripturæ sæpè alludunt, quoties calicem vini meri, furorisq; Dei, ac faces inducunt hominibus propinatas. Vt enim illi mortiferum virus, ita Chri-

*Christus mortem exhausit, cui in se potestatem permittebat. Græci tamẽ interpretes aliam notationem esse volunt; nempè, vt non epotasse, sed summis dúntaxat labris degustasse demonstretur mortem, qui neque sensit corruptionem, neque vltra triduum iacuit, dormienti quàm mortuo similior, qui tam facilè, celeriterq; surrexit. Verùm nec istud vndequaque solidum. Fateor ipsum obdormisse (vt loquitur idem de sua morte) sed tamen scripturæ phrasis aliud habet, quæ mortem degustare ait etiam illos, qui in cineres dissiliunt, vt Ioannis 8. Quocirca mortem gustasse, verè mortuum esse interpretor, quod apostoli nusquàm non cogebantur propter δοκήτας, & phantasiastas (vt Ignatius in suis indicat epistolis) inculcare.*

Psal. 3.

Pro bonitate sua, χάριτι θεοῦ. *Ergo Christus est Deus. Hic autem latet ingens mysterium, & fortissimum calcar ad pietatem. Nulla incumbebat filio Dei necessitas, nullum eius tale meritum, neque cogi poterat, vt moreretur: sed quicquid factum est, fuit pro eius summa clementia. Non despexit ille figmentum suum, & humanam testam, miserè conquassatam, noluit penitùs conterere, sed nos voluit esse bonitatis suæ participes: vt iam à Christianis abesse debeat superba cogitatio, quasi aut viribus, aut merito suo redempti, iustificati, ac saluati forent, cùm id ob solam Dei bonitatem contigerit. Hæc ergo est sententia: Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. Morere, fili, fortiter, et gloriosè, vt viles homines tanto corripiantur compertæ dilectionis incendio. Pretium est vniuersis cõparatum, medicus est omnipotens: si adsint, qui accedant,*

dant, vtantur, seq; velint fieri participes.

Posteaquam ad istum modum Apostolus Christi perpessionis leuiuit opprobrium, per immensam vim amoris, & incredibilem pietatem, qua nos pater est complexus: nunc pertexit filum, & partim scripturis, partim rationibus hoc ipsum facit eui dẽtius.

Decebat enim eum, cui vniuersum in manu. *Quod in alijs editionibus legimus,* δι' ὃν, & propter quem, *præterquam quòd obscurius est, videbatur coniunctum vel patris, vel eius, de quo agebatur, cum aliqua contumelia. Vbi enim quid propter aliquem fieri dicitur, mox alicuius additamenti egentem suspicamur. Verùm vt nihil tale nobis hîc veniret in mentem, aiunt, Chrysostomus, eiusq; sequaces, additum fuisse:* Per quem. *At si oculos in Syriacum contextum coniiciamus, nulla talis erit amolienda suspitio. Intelligemus enim potestatem, ad cuius nutum cuncta moueantur, & fiant. Meritò autem illud omnes interpretes patri adscribunt, cui vbique defertur potentia.*

Et propter quem vniuersum. *Parum refert inuersum hic ordinẽ obseruare,* Per quem, & propter quem: *illud vtilius, vanam apparere cauillationem Arianorum, qui ex præpositione* Per, *quæ de filio subinde dicitur, Christum egenum instrumentum patris in rebus producendis adserebant. Nam cùm eadem hoc loco patri tribuatur omnipotentissimo: nugamentum esse profectò liquet, quod de filij somniarunt instrumento. Quid decebat? Mox dicet: sed priùs audiamus tertiam partem periphraseos.*

Et multos filios adduxit in gloriam suam.

Ad

*Ad verbum. Ascendere fecit. De prædestinatione quidam verbum istud accipiunt, nec malè, quia vox latissimè patet: sed simul contineri dicamus totam illam Dei beneficiorum cathenam, in hunc sensum: Decebat Deum patrem, propter quem, & per quem omnia, & eum, qui non contentus prædestinatione vnigeniti filij sui, voluit illi adiungere multos adoptuos filios, & miseros, inque massa perditionis obrutos abluere à sordibus, iustificare, & in gloriam adducere. Posuit enim Paulus vltimum beneficium reliquorum instar. Hac igitur periphrasi docemur Deum patrem adduxisse secum, ac subuexisse in gloriam, quotquot ad salutem pertingent. Filius quidem obiit laborem: sed tamen patris amor filium mouit, vt vellet facere; &, vt scripturæ loquuntur, tradidit. Quid porrò decebat?*

Caput salutis eorum, *quos ipse pater decreuerat in gloriam adducere.* Tormento consummare. *Prodigij simile. Itáne decebat patrem iubere amantissimum filium luere pœnas pro perditis, & filius Diaboli? Profectò. Nè putes fuisse ratione carentis humilitatis, quòd filius dicitur imminutus: sic decebat, eratq; iustissimum. Quo iure? Idne iustitia requirebat, vt sæuiret in filiũ pater optimus, quò seruos perfidos bearet? Cur ita? Propter suam bonitatem. Vt misereretur fugacium mancipiorum, qui etiam nunc post illud immortale beneficium fugitant, decebat.* Consummare. *De hac voce Latini, Græci, & Syri disceptant.* τελειῶσαι. *Quidam reddunt consecrare, pro vsu veterum Theologorum, qui dum de baptismo, aut martyrio verba faciunt, aiunt* τελειῶθηναι, *id est, perfectum esse, propter vim*

*martyr-*

*martyrij, quæ hominem planè securum repræsentat Deo. Et propterea ferè sacramenta omnia magnus Areopag.* τελειῶσεις *nũcupat. Quasi mens ea Pauli fuerit: Decebat Deum patrem consecrare filium suum morte crucis. Vt intelligamus omnes Christi actiones, & non solam crucis coronidem, fuisse quædam sacra, & luculentum sacrificium, quo genus humanum dedicaretur. Atque sic omninò se res habet; nec aliter Christus apud Ioannem dicit, quòd sanctificaret seipsum, loquens (vt quibusdam placet) de tremendis mysterijs, vel potiùs (vt alijs videtur) de sua perpessione: Ego sum me immolaturus tanquàm piacularem hostiam in cruce. Et iste commentarius per ea, quæ sequuntur, redditur probabilior. Vox syra* יגמריוהי *ihgmeriouhi est ambigua ad consumere, seu prodigere; et consummare, seu perficere. Itaq; licuisset cõtritionis significatum accipere in eam sententiam, qua dixit Isaias:* Voluit dominus conterere eum: *sed propter D. Lucæ versionem, maluimus alterum eligere. Hinc autem diluitur illud, quod Pauli videbatur instituto refragari. Tantùm enim abest, vt quicquam honoris moriendo Christus deperdiderit: vt per eam ipsam mortem seipsum perfecerit, suumq; corpus, & membra omnia, quæ subuexit in gloriã. Nec rarò in scripturis crux gloriæ nomine occurrit intelligenda. Quia enim de torrente in via bibit: propterea exaltauit caput.* Io.17. יומריוהי Luc.13.

Caput salutis eorum. *Latina voce authoris quidam offenduntur; quoniam authoritas in scholis theologorum patri, ~~vt plurimùm~~, tribuitur: sed nemo tam iniquus, qui alia ratione eandem filio deferri posse negauerit. Lucas habet elegantem dictionem*

ἀρχηγον, *quæ principem, ac reliqui ducem agminis sonat: quia suos ille cohæredes adduxit in gloriam. Hoc pacto sensim nos in illius arcani consilij sacro-sanctæ Trinitatis cognitionẽ deducit. Superiùs enim dixerat ob solam benignitatem degustasse mortem: iam id quoque decuisse testatus est. Quomodo? Prædestinarat ipse pater filium, vt fieret humani generis conciliator, & pacificator, quod intoleranda commeritum erat supplicia, idq; adeò viritim, ac sigillatim. In tanta mortalium turba nullus erat, qui pro alijs decoqueret, omnibus eodem ære grauatis. Quid autem Dei misericordia? Arripit ipsum caput, & omnium peccata eius imponit humeris; iubet mactari agnum innocentissimum; & quod in eum coniectum, & ab eo expiatum fuit, voluit omnibus præesse. Perge, fili, indue vincula, vt omnes liberi sint; ingredere hoc mundi barathrum, vt indè meos electos eripias. Sed hoc est immane, Paule: & dum videri cupis erga nos immensam Dei charitatem, non animaduertis labefactari amorem patris in filium. Nullum, inquam, est periculum. Nam ipse quoque filius certatim cum patre nos efflictissimè diligit.*

Ipse enim qui sanctificat, & ij, qui sanctificãtur, ex vno sunt omnes. *Nè putes istud violentum fuisse; neque minùs arctè tibi patrem complectendum, qui sic animaduertit in filium. Nam is est dux eorum, quorum saluti consulitur, qui debebat corruptissimos homines sanctificare, immò, quod mirabere magis, qui è suo educuntur cæno, sunt vnum cum eo, qui ipsos eruit. Nonnullis tamen ista magis arridet sententia: Sunt omnes à Deo patre, caput cum membris, creati; quátenus ille dux est homo. Et*

istis fauet, quod præcessit, Per ipsum, & propter ipsum existere omnia, quod non procul à creationis abludit significato. Verùm id aliunde tùm oritur incommodi, quòd minùs illustre futurum est argumentum Pauli; neque tam bellè probabit, quod probari non potest. Quis enim satis probauerit, esse humano iudicio consentaneum, quòd pater filium perdere voluerit, vt fugitiua seruaret mancipia. Hæc igitur ita credo exponenda; vt sit is, qui sanctificat, Christus patri pro hominibus pretium numeraturus; qui vnà cum iis, qui sanctificantur, electis nimirum, iisq; beneficijs à Deo destinatis, vnius, eiusdemq; naturæ: ac propterea sic Deus pater decreuit in proprium filium, quem aliis plane similem sciebat. Nam quatenus homo, futurus erat summus sacerdos, & dux; in quem ideò pater caterorum nomine animaduertit. Nec te mirari velim. Si enim angelis ea prouincia demandata fuisset, videretur nequaquam legitimè genus humanum esse redemptũ: quia vt homo peccarat, ita victimam, qua expiaretur peccatum, hominem esse oportuit, nè dicam innocentissimum isti rei fuisse maximè idoneum.

His ita declaratis, pergit Apostolus ostendere filium nihilo minùs quàm patrè nos amasse, & vnum è nobis factum, vt ita probetur homo ab homine redemptus. Id autem facturus est tribus scripturarum capitibus, quæ vt summam vtilitatem, ita difficultatem habent maximam.

| Syr. | Vulg. |
| --- | --- |
| Propter quod non erubescit vocare eos fra- | Propter quam causam non confunditur fra- |

fratres suos, cùm dicit: Adnuntiabo nomen tuum fratribus meis; & in medio ecclesiæ laudabo te. Et rursum. Ego ero fretus eo. Et rursum: Ecce ego, & filij, quos dedisti mihi, Deus.

*fratres eos vocare, dicens: Nuntiabo nomen tuum fratribus meis; in medio ecclesiæ laudabo te. Et iterum: Ego ero fidens in eum. Et iterum. Ecce ego, & pueri (mei) quos dedit mihi, Deus.*

Mei iugulandum.

PRopter quod. *Quia nimirum ipse ex vno cum illis verus Adami filius, nihil humanum à se duxit alienum.*

Non erubescit vocare, *ad verbum est*: Vt vocet eos fratres suos. *Quis non obstupescat, tãtum monarchã vix ereptos a morte iustissima, tam familiariter, blandeq; complecti; vt dulcissimum fratris nomen nec illis inuideat, nec abnuat ipse? Huc adde, prophetam non ista locutum de Christo etiamnum mortali, præ se ferente metum persecutionum, aut in hoc denique calamitoso seculo diuersante; sed rediuiuo, iamq; glorioso, quod est summæ Christianorum dignitatis, & Christi modestiæ; superata iam morte, vt habet illius psalmi vaticinium. Hîc igitur habemus veræ pietatis seminarium.*

Quando dicit. *Id est, quãdo Dauid facit Christum loquentem. Sunt formulæ citandi familiares Apostolo. Non est autem hic nobis laborandum de huius propria psalmi tractatione, quibus sufficit Paulum id dicere. Postquam igitur particulatim*

ibi

*ibi Christus enumerasset totam suæ mortis tragœdiã; deq; ea questus fuisset: tandem deuicta morte, vbi pro sua fiducia esset exauditus a patre, iamq; rediuiuus adornaret triumphum, ducturus in eo liberatos ab orco, tum dicit.*

Adnuntiabo nomen tuum fratribus meis. *Nè aberremus à germanitate, ponderandum est verbum, quo septuaginta, Dauid, Syrusq; Paulus, & Lucas vsi sunt; cùm certo certius sit, altissimo consilio spiritum Dei scribis suis verba subministrasse.* Narrabo *inquit latinus Dauid. Septuaginta autem volentes hanc narrationem explanare,* διηγήσομαι *aiũt, narrabo, sed accuratè, singillatim; vt nullum caput beneficiorum Dei prætermittam. Lucæ verbum* ἀπαγγελῶ *indicat Christum ea narraturũ, quæ acceperat in mandatis à patre; vt sepè loquitur: quia ipse primùm mandatam à patre sibi veritatem nobis exposuit. Deinde psalmus præter dogmata fidei, quibus illustratur intellectus, Dei quoque beneficia prædicat, quorum assidua recordatione, tanquàm oleo, scintilla diuini luminis fouetur, & mens ad redamandum illum accenditur, quem tam liberalem, ac beneficum experitur, & credit. Syra vox propria est euangelij; vt Christus hîc se profiteatur adlaturum faustum nuntium de totius mundi liberatione, & æterna piis omnibus vita tribuenda, &c. Et quem ista (quæso) non exhilararent?*

Nomen tuum. *Dei patris: tametsi notitia totius intelligatur Trinitatis. Cur non dicit munificentiam, bonitatem, veritatem, quod eleganter dici potuit? Sed hebraicè loquitur Paulus: & quicquid de Deo notum, & auditum, est hominibus necessa-*

rium, vt salui fiant, Dei nomen appellat: simulq; latet hæc notatio, nos ea cognoscere, vt ipse laudetur, non tantùm à nobis, verùm et ab auditoribus nostris. Nam vt Christus antesignanum hoc loco profitetur, ad Dei nomen concelebrandum: ita quisque Christianus pro sua virili debet agere, vt Dei nomen sanctificetur, & laudetur.

Fratribus meis. Vt orationis filum indicat, ijs quibuscum mihi est eadem natura, propriè tamen electis, ac prædestinatis, qui non tantum ad tempus hæredes sunt, sed permanent æternum possessores. Dedit ille tamen operam, vt in omnem terram exiret sonus eorum, hocq; nomine dignatus est omnes etiamtum inquinatissimos. Nam antequàm accipiant nominis Dei notitiam, vniuersi sunt dæmonis, & iræ filij, & nihilominus pro sua ille pietate tales nuncupat fratres: quæ res anchoræ nobis instar esse debet, quoties vel incumbit desperatio, vel ambigimus de perstando in virtute. Quid tum? Fortè cuipiam insusurrabis in angulo. Minimè.

Et in medio ecclesiæ, seu multitudinis, laudabo te. Pro mea bonitate, & cupiditate omnibus cõsulendi, aduocabo ex vniuerso orbe, quoscunque potero, atque omnem in partem exclamabo, quanta Deus fecit animæ meæ. Non eos imitabor, qui, quod acceperunt, aliis inuident: sed candidè vel inuitis ingeram Dei beneficia; vt omnes intelligant, quàm sit ille benignus, quam beata veritas, & eius honoranda religio. Hoc tamen alio verbo expressit Paulus, Laudabo te: tametsi qui veritatem, ac fidẽ explanat, qui Dei beneficia prædicat, re vera laudet Deũ. Voces hebræa hilel, & græca ὑμνήσω ad laudes, hymnosq;

nosq3, quibus Deum prosequimur, pertinent: vndè maiores nostri Christianorum munus esse colligunt, diuinis hymnis, laudibusq3 vacare ad Christi seruatoris exemplum, qui hymno est immortuus. Prophetiæ tamen scopus is est, quem priùs dixi. Ego docturus sum gentes, quæ credere, quæ agere, quæ recolere oporteat: denique ego Christiano defungar officio, quod nomine laudis sexcenties in scripturis occurrit.

Et rursum: Ego ero fretus eo. *Margines codicum lat. & græc. indicant ps. 17. & eò ferè concedunt interpretes; quòd versu tertio quædam habeãtur in eam sententiam. Nam quòd nonnulli refragantur, ob verbum* (sperabo) *nihil est; cùm sit interpretis, neque mutet sententiam. Inter hæreticos quidam arbitrantur ex cap. 8. Isaiæ depromptum, vbi quæ Lucas græcus hîc habet, ad verbum reperiũtur: neque hoc nihil est; cùm videamus Lucam frequentiùs referre septuaginta; licet interdum quædam immutet, vt nunc videmus in ἀπαγγελῶ, pro διηγήσομαι. Parùm refert: mihi tamẽ arridet, quod nescio an cuiquam fuerit obseruatum. Quæ mox sequetur authoritas, ex Isaiæ cap. octauo prolata est. Atquî ea, quæ proximè in manus nobis ventura sunt:* Ecce ego, & filij, *&c. apud septuaginta prorsus eadem, antecedunt hæc, quæ iam exponimus,* ἐσομαι πεποιθὼς ἐπ' αὐτῷ; *nec aliud significant, quæ leguntur hebræis, vekiuethi lo. Vndè fit mihi verisimile, Paulum ex eodem loco citauisse: nisi cuipiam huic opinioni refragari videatur, quod Apostolus dicit:* Et rursum; *licet consuetudo, iam satis spectata, loquendi hoc excuset, quasi diceret: Hæc quoque idem probant: vel,* Rursum *probat Christus se*

Septuag. κ' ἐγὼ ἐπ' αὐτῷ πεποιθὼς ἔσομαι, & paulò post καὶ πεποιθὼς ἔσομαι ἐπ' αὐτῷ. וקויתי לו

*hominem, ac nostrum esse fratrem.*

Ego ero fretus eo. *Tantundem Latini dicunt, cùm se in alicuius tutelam, ac fidem receptos dicunt: Ego te patrono nitar; ego me sub tuas alas (vt scripturæ loquuntur) coniiciam. Sed quorsum hæc? Certum est verba Isa. cap. 8. & 12. item psalmi 17. testibus quoque aduersariis, qui aliud huc ex Paulo Rom. 15. testimonium, quò res fiat manifestior, adferunt, ad Christum pertinere: itaque veluti confessum sumimus, ea omnia loca, vndè videri queat hæc pericope petita, super Christo exponenda. Interpretes autem ita plerique tractant: Ne quis me putet vnum esse è multis; audiat quid Isaias cap. 8. vel Dauid ps. 17. (si indè petitum arbitretur) de me pronuntient; se videlicet meo patrocinio fretos, munitosq; fore. Premimur equidem magnorum virorum authoritate: sed fas sit vera loqui; Paulinum illa sententia filum procul effugit. Nam ista dicuntur ab Apostolo, vt Christum esse probet hominem; neque id infœliciter. Nolim tamen hîc te προσοποιησιν imaginari; quasi ex persona id nostra dictum fuerit, fidelium (inquam) & Ecclesiæ: sed propriè, ac præcipuè de ipso capite, quamuis nec ipsa excludantur membra, intelligito. Ego (Christus nimirum) cùm sim homo adhuc crucifigendus; eoq; fretus (patre inquam) meum caput obiecturus mille periculis. Hoc autem cùm in Dei verbum non cadat, qui patris se clientem dicere non potest: palàm est his verbis hominem se profiteri, & quidem miserabilem, qui turpissimam mortem esset obiturus. Vel hinc igitur intuemur Pauli artificium, qui relictis aliis clarioribus locis, hunc potissimùm isti negotio delegit; quem*

*nemo*

*nemo sic ausus fuisset interpretari, nisi spiritus in apostolo nos docuisset.*

Ecce ego, & filij, quos dedisti mihi, Deus. *Reproba est lectio, quæ habet pronomen* Mei; *cùm idipsum in sequentibus intelligatur. Nec debet quẽquam offendere, quòd alij pueros, græci παιδία pueruros, nos filios legamus: vocem enim Isaiæ ialedim patriarcha Iacob de suis vsurpat filiis. Diuersum tamen ab Isaia vocabulum adiungit Moses, nempe, chanan, quod ἠλέησεν septuag. verterunt. Ionathas autem illos benoie ialedim vocat; quam vocem hîc syrus Paulus retinuit. Septuaginta autem vtrobiq; παιδία seruant; vt idem esse vnum illarum significatum appareat. Est autem sermo Christi querentis rarissimos inueniri, qui morem gerant christianæ fidei, etiam ex Iudais. Quicquid vociferor, pater, quicquid polliceor, ac denuntio, abominantur. Pater autem respondet: Nihilominus, fili, doctrinam obsigna; & refer in litteras, quam tibi mandaui, veritatem; non deerunt, qui amplectentur. His mox filius ista subiungit: Ecce me vnum ex iis, qui te ducem, ac magistrum sequentur: habes me paratum, pater, ad audiendum, cognoscendum, laudandum nomen tuũ. Sic loquitur doctor, & caput omnium Christianorũ.*

ילדים חנן נתן Isai. nathan na bet, 70. ἐδωκεν. בניא ילחים

Et filij. *Quasi parùm fuisset Christianos in præcedentibus fratres appellatos; quod tamen ingens ornamentum: nunc optabiliori nomine filios vocat, quo nihil habet natura propinquius. Quos tamen tu filios intelligis? Num quales aliquando fuerunt iræ? haud sanè: sed de meis propriis, ac genuinis filiis loquor.*

Quos dedisti mihi, Deus. *Ita scriptura loqui-*

tur, pro eo, quod mortales impiè sibi arrogant: nè dicam ingratos sæpenumerò indignari, tot sibi nasci liberos, cùm Iacob docens eos Deo ferri acceptos oportere, qui quando, & quot vult tribuit, maximæ Dei misericordiæ testatur hoc esse beneficium, nisi quòd hîc allegoricè, ibi propriè scriptura loquatur. Nam Christus gignit spirituali regeneratione, & vindicatione à tyrannide, seruitute, & (vt sic dicam) filiatione diaboli, suo meritò filios Dei constituens. Sic enim se habet mysterium prædestinationis, & liberationis, vt pater è turbæ, & colluuie damnatorum elegerit, pro quibus filius satisfaceret: quápropter filio suo dicitur dedisse filios, quos ille beavet. Nam est hîc dialogismus patris, ac filij: vndè noster Paulus vsus est secunda persona. Et hactenus de tertia scriptura, qua probatur Christum esse verum hominem, nec à reliquis quicquam habere in illa natura diuersum, præter innocentiam.

Genes. 33.

Hîc syra distinctione terminatur caput secundum. Rursus autem præfigitur index capituli ecclesiasticis vsibus seruituri.

Natiuitatis domini. Hinc elici potest summa eorum, quæ tota capite continentur, cùm sint hæ distinctiones antiquissimæ, & eius ecclesiæ, in qua primùm Christiani dici cæperunt.

| Syr. | Vulg. |
|---|---|
| Nam quia filij participauerũt carnem & sanguinem: etiam ipse ad eundem | *Quia ergo pueri cõmunicauerunt carni, & sanguini: & ipse similiter participauit* |

Syra phrasis habet. In carne, & sanguine.

dem modum participauit eadem, vt morte sua destrueret eum, qui potẽtia mortis præditus esset, id est, satanã, & liberaret eos, qui timore mortis tota vita sua subiecti essent seruituti.

*pauit eisdem; vt per mortẽ destrueret eũ, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum; & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxÿ erant seruituti.*

*PRius quam progrediamur, est obseruandum esse quandam hic epexegeticam epanaphoram, hoc est, Paulum, quod iam dixit obscuriùs, explanare, & nonnihil confirmare. Itaque sensus quidem non erit à superioribus diuersus; sed priùs dictis lucem adferet pleniorem. His igitur lineis húcusque progressus est Apostolus. Post multam de Christi gloria disputationem, dixerat per quandam occupationem: Atqui dicitur idem (Christus angelis quodámmodo factus inferior. Passus est. Sed hoc non aliqua eius infirmitate, vel vitio (inquit) quin Dei potius misericordia factum est, & propter singularem eius erga homines charitatem. Ergone debuit pater tam rigidè in filium animaduertere charissimum? Id decebat eius bonitatem; tum vt ipse filius glorificaretur magis. Verùm quæ hac iustitiæ ratio poscebat, vt pro sontibus lueret supplicium, qui nihil erat commeritus? Quia is erat vnus ex nobis homo; & ad hominum gloriam pertinebat, vt homo se sibi vindicaret: quod quia alij non potcrant, nimirum peccatores; id illum innocentem præstare oportuit; qui vt*

*suos*

*suos fratres amabat impensissimè, fecit libens. Superest nunc vniuersorum complexio. Cùm ergo constet Christi fratres fuisse homines; nemo illi naturam eandem detraxerit: itaque vt illi miseri, & calamitosi; iisdem illum quoque obnoxium aerumnis dicendum est, prater peccatum. Paulus autem ingeniosè filiorum nomen hìc retinuit; quod & initio disputationis, tanquàm gratissimum, adhibuerat.*

Nam quia filij participauerunt carnem, & sanguinem. Filij *habet emphasim, propter syrum dolath, quasi dicas: Electi filij. Est autem hìc definitio, ac periphrasis hominis longè diuersa ab ea, quam tradunt Philosophi; vt homo sit carnem, & sanguinem dici audiens, de se sentiat submissius; quamuis non desit synecdoche. Quia igitur ij, quos pro sua benignitate Christus filios vocat, fuerunt homines, & quidem miserabiles: quid erat consequens?*

Etiam ipse ad eundem modum participauit eadem. Etiam ipse. *Quamuis Dei filius, & Deus: tamen etiam ipse.*

Ad eundem modum. *Lucas habet παραπλησίως, latinus interpres* similiter; *quæ sunt simul cõflanda; nè putes monstrosè fuisse naturæ, quemadmodum veteres nugabantur hæretici; sed prorsus ad eundem modum, vt carnem, sanguinem, animam, & quicquid est illis adiunctum, dempto solo peccato, participarit. Quis non admiretur, maximè si naturæ diuinæ præstantiam cogitet; Dei filium non dedignatum in carnis, sanguinisq; sordes descendere? Sed hæc sunt sobriè cogitanda. Ad quid verò?*

Vt morte sua destrueret eum. *Deus enim iugulare diabolum proprio gladio immortalitatis non pote-*

*poterat: ideò fuit adsumenda caro, vt mortuus eum perderet, qui hominem occiderat. Voces Syra battel, & græca καταργήσῃ primùm significant quicquam ita cohibere, & frangere, vt deinceps mouere se nequeat; quales scelerati luxatis, fractisq; artubus imponuntur rotis. Nè tu igitur, Christiane, præditè gratia Dei, trepides: iam contusus, planeq; confractus est hostis; vt si nolis, ipse te lædere non possit. Verissimè enim ab Areopagita dictum, sibi semper magis metuere Diabolum à bono viro, quàm sit illi formidini. Intérea tamen non est socordiæ locus: quia idem alibi vt leo circumit, si quos oscitantes queat opprimere.* בטל

Qui potentia mortis præditus esset. *Penes quem esset peccatorum carnificina; qui homines sontes impelleret in mortem; cui Deus permisit, vt impios, & à Christo discedentes torqueat. Et hanc ille potentiam malis artibus conquisiuerat, dum pertraxit homines ad peccatum.*

Id est, Satanam. *Minùs rectè quidam aiunt hateros in esse numeri: cùm sit veriùs synecdoche, nominetúrq; caput pro toto corpore.* De *hoc nomine dictum est ad cap. 16. Matthæi.*

Et liberaret eos. *Hìc in primis notandum est, hãc vocem liberationis ad rerum perplexarum, qualis est animæ, corporisq; connexio, dissolutionem pertinere. Eâdem dicitur liber dissidy soluere, quos Deus adglutinarat, & muti: linguæ vinculum esse dissolutum: vt appareat opus fuisse magna vi, & potentia ad hanc de manu Satanæ ereptionem.*

Qui timore mortis tota vita sua subiecti essent seruituti. *Plerisq; timor mortis, & seruitus,* Ad verbũ (totis vitis suis.

tus, eadem sunt: sed syra distinctione refragatur. Sunt enim duo diuersa; vt geminum liberatoris Christi beneficium agnoscamus. Nam homo peccando fit peccati mancipium, induitq; seruilem conditionem, quia reatus seruitus est, quam consequitur euectigiò timor, qui seruilis dicitur. Christus igitur venit, vt nos manumitteret, sicq; à timore liberaret: quoniam aliàqui liberatus non ita repentè ponit timorem, qui magna Christi deiectione, vt infrà videbimus, & beneficys fuit excutiendus. Hanc autem formidinem nequaquam huius mortis, quæ æquo pede pulsat pauperum, regumq; domos, intelligimus, quamuis includi non negemus: sed agi credimus potissimùm de ter infœlici animæ morte, quòd homines sibi malè conscij perpetuo metu grauiter vrgebantur, quò tandem post hanc vitam essent cuasuri. Et tametsi non deessent interdum, qui nõ vererentur vitam pro laude pacisci: tamen futurorum incussa formido generosas animas contrahebat, & tantò quisque solicitior hinc emigrabat, quãtò cordatior, & melior. Qui autem diuinitatis veram hauserant opinionem, vti Iudæi, ignari iustis præmia, scelestis ignem esse repositum, acriùs angebantur, propter humani cordis impermeabilem caliginem. Hæc tamen sic accipienda sunt, vt non putemus patriarchas, prophetas, aliosq; sanctos huc esse cogendos, qui per fidem in Christum timoris huius grauissimam tyrannidem effugerant: sed de iis dũtaxat loquimur, qui peccatorum sibi cõscij, acerbam seruiebant seruitutem, neque tamen harum rerum qualemcunque cognitionem sceleribus penitùs extinxerant. Hoc de timore. Vox autem hæc subiectionis tyrannica est: qua homines vi opprimuntur

muntur, & exhauriuntur. Simul enim atque incipiebat ratio Dei legem, et peccatum intelligere; hinc metus, & impotens mortis horror; & quod erat omnium deterrimum, iugum semel susceptum Diaboli, nequiebant excutere. Itaque miserandum in modum vincti, laqueis trahebantur à peccato in peccatum; & si vllum effugissent, in deteriora prolabebãtur; vsque adeò, vt gratia Dei (externam intellige) nihil aliud, quàm maioris criminis fieret materia; vt in Pharaone videmus. Postremò habebat ista seruitus certam sibi coniunctam condemnationem. At verò quanta hîc facta fuerit rerum mutatio, licet non ex nostris (cùm penè vigor omnis languerit) sed ex maiorum nostrorum rebus agnoscere. Illi enim, qua fide, & spiritu erant præditi, summum in hoc seculo bonum mori ducebant; &, si dici liceat, sibi tantùm non adserebant manus, mortem captantes vndique, & carnificum rictus, vngues, flammas, gladios in seipsos irritantes. Audis me (inquiebat ardenti pectore Cyprianus ad Demetrianum) Christianum profitentem: excanta mihi hanc mentem, si potes; elimina de corde meo Christi mei charitatem. Hæc tibi caro exposita, sæui in corpus, &c. Nec segnius pueri, ac puellæ sese tyrannorum obiiciebant crudelitati: delicatæ autem virgines, ac matronæ genus omne cruciamentorum pleraque ridentes obibant, nullam sentiscentes molestiam, nisi quòd à suo Christo vel tantillum, dum hanc vitam abrumperent, secluse viderentur. Neque nunc tamen desunt lectissima nomina, qui fidei, & virtutis ergô quiduis adirent; non ventosa iactantia, quod in hæreticis nonnunquàm cernimus; sed quia tam bonum, ac po-

tem-

*tentem se dominum habere cognoscunt.*

| | *Syr.* | Vulg. |
|---|---|---|
| | Non enim ex angelis apprehendit: sed ex semine Abrahã apprehẽdit. Propter quod iustũ fuit, | *Nusquam enim angelos apprehendit: sed semẽ Abrahæ apprehẽdit. Vnde debuit per omnia fratrib⁹ similari: vt misericors fieret, & fidelis pontifex ad Deũ, vt repropitiaret delicta populi. In eo enim, in quo passus est ipse, & tentatus; potens est & eis, qui tentantur, auxiliari.* |
| (In totum) | vt (per omnia) adsimilaretur fratribus | |
| | suis: quòfieret misericors (& princeps) | |
| (caput) | sacerdotũ fidelis in | |
| (eo quod) | (iis quę) Dei; & pro | |
| (pro peccatis) | pitiaret (peccata) populi. In eo enim, | |
| | quod ipse passus, & | |
| (inuenit) | tentatus est (potest) auxiliari iis, qui tentantur. | |

APprehẽdit. ἐπιλαμβάνεσθαι, *authore Chrysostomo, habet metaphoram à venatoribus, qui fugientem feram persequuntur. Nostra enim natura culpæ sibi conscia, Deum fugitabat, si quid salubre, si quid boni propositum, aduersabatur, ludicra, & pernicioſa consectans: ne dicam etiam nunc fide praeditos, & à Christo seruatos nonnihil tale facere, neglectis melioribus, deteriora captantes. Deus igitur, pro sua misericordia, vt venator insignis, persequebatur fugientes, & vix tandem comprehendit: Quod, si quid aliud, valet ad inflammandos affectus.*

ctus. Ita ille charos habuit mortales, vt sibi volupe duceret esse cum filiis hominum, quos è fuga retractos, vt seruaret, induit: vndè & caro dicitur factus, non angelus. Nam licet iuxta veterum sententiam dicamus (vtcunque seres habeat) Dei verbum non semel in angeli forma demonstratum: fuit tamen id momentaneum, & mox adsumpta persona deponebatur.

Semen Abraham. Maluit Apostolus id angelis, quàm aliud quiduis opponere, vt Christum ex promisso semine natum doceret. Notant autem interpretes, hac synecdoche Paulum Hebræis adblandiri voluisse: interim tamen nihil aliud significat, quàm naturam nostram verè ex Abrahami posteritate desumptam.

Propter quod. Quid illud? Vt haberet (inquiunt quidam) vndè sacrificium faceret. Si enim angelos apprehendisset, nec mori, nec de se victimam præbere potuisset, ac proinde nè pontifex quidem fuisset, qui nihil obtulisset Deo. Adhæc (quod alibi monuimus) non perinde homini gloriosum fuisset: nisi suæ salutis ipse dedisset instrumentum. Propter hoc igitur, quia ita homines amabat, quia volebat eos insigniter, & cum eorum maxima gloria redimere: voluit, potuit, ac proinde iustum quoque fuit, ac debuit esse similis hominibus, præter peccatum.

Vt fieret misericors. Si vocem syram vrgeas, sonat potiùs amantem. Est enim à rocham, quod vehementissimè amare, ac incendi visceribus amoris significat, vt non minùs significanter pium diceremus. רחם

Et princeps. siue caput, nempè sacerdotum. Sunt qui Ecclesiam hodieq; spoliare moliuntur sa-

cerdotio: si tamen, quid hîc à Paulo dicatur, attendas, dum audies principem sacerdotum, facilè suspicaberis non deesse, quorum ille vocetur caput.

Et fidelis. Quidam istud de eruditione, & veracitate interpretantur, contendentes non esse gentini sacerdotis veram Dei mẽtem ignorare, nec vinum quoddam oraculum præbere subiectis. Nec inficias iero pontificem indoctum similem esse filiis Heli, qui in scripturis dicuntur filij Belial nescientes Deum, & illius cultus rationem: sed aliud vult Syrus, nempè, pontificem omnibus numeris instructum, cui tutò se plebs credat, à quo pendeat, & in quo habeat multum præsidij, quiq; facilè fidem faciat se à Deo impetraturum, quicquid sit necessarium, & commodũ. Nè enim diceremus: Habet, quod agat pro se, nimirũ, ipse peccator: iam est præstitutus Dei filius: Nè autem crudelem, morosum, & intractabilem metuamus, qui nos non curet, electus est nostri similis, & pientissimus. Hoc igitur vult Paulus. Habes pontificem, qui tui sit similis: qui tamen tam est perfectus, vt in eo nihil desideres. Et hîc latet argumentum. Disputamus de Dei misericordia, cur illa per homines potiùs, quàm per angelos voluerit hominibus peccata remitti. Confitemini (aiunt scriptura)
Iacob. 5. inuicem peccata vestra, tu peccator peccatori, datur tibi iudex tibi planè similis, quod ad nostram dicimus factum consolationem, nè angelica puritas nobis esset horrori: idem hîc agit Paulus, dum partim nostri generis fœlicitatem, partim Seruatoris in illud pietatem declarat, quam triplici filo mensus est. Primum enim ob id incarnatum ostendit, vt capitalem hostem, ac tyrannum mutilum, & ad nobis

nocen

*nocendum inualidum redderet, deinde, quod ex eodem fluit, vt nos securos efficeret, quibus cum fracto, & conculcato aduersario sit futurum certamen; postremò vt Satanæ versuta illectatione datos in fugã retraheret. Et hinc licet æstimare, quàm oportunè verba hæc vsurpata sint in Christi natalitiis, quibus è fuga reductos seruos non coniecit in pistrinum, non mactauit, sed beauit. Verùm, inquiet aliquis: Esto, iaceat hostis; simus ad dominum retracti: sed forsitan offensæ recordabitur. Accedat itaq; & istud; vt Deus pater ab hoc nostro comprehensore, tanquam pientissimo pontifice, placetur. Itaque factus est primùm misericors, siue (vt syrum vocabulum sonat) amantissimus: & nè crederes amantem non posse peccata diluere, fuit idem quoque fidelis, ac perfectus sacerdotum princeps. Quænam autem sit hæc fidelitas, si roges: quòd nobis per omnia similis, quòd homo sit effectus. Verùm nunc telam istam Dei pietatis, & beneficiorum tandem pertexamus.*

Vt propitiaret peccata populi. *Noster habet* Repropitiaret; *quod placet maximè, si latinæ id aures ferrent: quia indicat nos non solùm anteà offendisse, itaq; receptos in gratiam, sed simul nos toties receptum iri, quoties continget labi. Certa cum Deo impietate; ille te sua pietate vincet: támetsi penè sit impium dictu. Sed longiùs ingrediamur. Quid sibi vult istud* Propitiaret? *Nam Gentes, ac Iudæi putabant peccata propitiari per ea, quæ erant cuiusque religioni propria. Redduntur et homines propitij; sed ea non est huius loci propitiatio. Nam vox Pauli est eadem, mutata dúntaxat orationis parte, qua sæpè vtitur Pilatus, dum vult indicare Chri-* Matth. 27.

stum insontem, & inculpatum, in quo nihil sit notæ, vel criminis: quamuis in eum falsis obrueretur delationibus. Itaque hanc propitiationem liquet non esse superficiétenus intelligendam; qua, videlicet, Deus tegat peccata, & relinquat: sed talem, quæ omnia prorsus diluat. Quod obseruatum, partim explicat magis Christi beneficium, partim retundit insanientes hæreticos. Et eôdem facit vox græca, quam Hesychius interpretatur per καθέρεσθαι.

Peccata. Numerus habet epitasim: vt nè agi de vno, aut tribus peccatis, sed de totius mundi sceleribus intelligas, & non tantùm fidelium, támetsi propriè; vt si quis in se vniuersa congeruata habeat, non debeat nimiùm trepidare. Populi autem vocem aiunt interpretes datam auribus Hebræorum, qui se populum Dei, cæteros gentium nomine vocabãt; quibus non refragabor: id tamen non voluit Paulus; sed per synecdochen ostendit hanc propitiationem efficacem, hoc est, Christi meritum esse sufficientissimum, vt pro omnium mortalium peccatis propitiaret Deum, & tamen rem illam non habituram effectũ, nisi in paucis, non quidem illis Hebræis secundum carnem, sed secundum spiritum. Quocirca non intelligit Paulus populum Hebræorum, nisi quátenus pars illius ad Christi fidem conuersa est. Populi igitur, si de efficacitate agatur, verè fidelium: si de merito, totius mundi. Neque tamẽ penitùs abnuo, quin dederit ille hebræis auribus nonnihil: vt qui epistolarum initiis gratiam inire soleat, maximè qui sit mox Iudæorum principes, ipsumq; Mosen infra Christum depressurus.

Explicato tertio beneficio, quod in expiatione, & repro-

repropitiatione consistit, superest scrupulus. Quid enim, si nunc dilutis omnibus per Christum, & patre facto propitio, relabamur? num est præteritorum omnium pœnas cum cumulo repetiturus? Hunc Paulus nodum iam secabit.

In eo enim, quod ipse passus. Cùm carnem, & sanguinem induisset, pati voluit, & quidem grauissime. Nam vox passionis, qua vtitur Apostolus (vt sæpè monuimus) graue quiddam, & atrox significat, vt summos in se dolores admittens, iræ patris luculenter satisfaceret. Atque hîc non intempestiuum foret obseruare, cur in nostro symbolo, veluti per battologiam, dicatur: Passus est, crucifixus, mortuus, & sepultus est: cùm sit nil minùs, quàm quod videtur. Nam passus dicitur, vt intelligamus sensum doloris Christi, maximè in ipsa crucifixione.

Et tentatus est. Ambiguum est in interpretibus, an de experientia, an de propriè dicta tentatione sit accipiendum. Equidem pro humanæ naturæ veritate, esurijt, sitiit, aususq; est Satanas, pro sua stupiditate, ad illum accedere, in passione quoque lancinatus, ac tortus est. Et quamuis immobilem mentem nihil ista mouerint: talia nihilóminus fuerunt, quibus nos fragiles ad peccatum trahimur, quod in seruatorem cadere non potuit. Ad hunc ergo modum tentatus.

Potest auxiliari iis, qui tentantur. *siue tentatis, non tamen eodem modo: nam tunc non egeremus auxilio. Sed quia ipse sensit, quid sit esurire, sitire, fatigari, maledictis appeti, lancinari, flagellari, &c. & videt iisdem rationibus Diabolum nos oppugnare: præter diuinam scientiam, hæc iam expertus*

*videtur magis effectus misericors, & (tametsi dici non potest) aucta eius scientia, et misericordia. Nam anima Christi, vt erat perspicacissima, non potuit ea omnia sentiscere, quin habitum, & iudicium aliquod conciscceret: vndè factum est, vt meritò animum despondere nunquàm debeamus. Istud antè auxilium liberationem designat ab huiusmodi tentationibus, quantùm expedit cuiusque saluti. Atque vtinam hæc essent imis hominum impressa præcordiis. Putas tuum, ô homo, pontificem fidelem, tuiq; amantissimum, permissurum vt fame pereas, vt siti enecceris? Quin tu te illi permittis, vt de te, quod voluerit, statuat? Hæc enim omnia idem ipse est expertus: vt pares oneri vires, & auxilium meritò tibi suppeditaturum confidas. Ex iis videmus non solùm summum esse Christi beneficium, quòd homo factus est, vt homines liberaret: verùm & hoc, quòd receptus ad patrem, reliquerit hic vicarios homines, & quidem peccatores, qui aliis essent non sola natura, sed & peccato similes. Ac propterea præclarè factum, vt Syri caput istud proponant in Christi natalitiis, vt edocti, quid sint à Deo mortales consecuti, gratas excitent mentes.*

CA-

# CAPVT TERTIVM.

*Syr.*

PRopterea fratres mei sancti, qui vocati estis vocatione cœlesti, considerate istum apostolum, & principem sacerdotum confessionis nostræ Iesum Christũ, qui fidelis (est) ei, qui fecit ipsum, sicut Moses in tota domo eius.

Vulg.

*VNde fratres sancti, vocationis cœlestis participes, considerate apostolum, & pontificem confessionis nostrae Iesum, qui fidelis est ei, qui fecit illum, sicut & Moses in omni domo eius.*

Verbum hoc nõ est in fonte.

PRopterea. *Quare? Quia hactenus audiistis esse non tantùm præstantissimum hominem, sed & Deum, quemadmodum è scripturis probatum est satis: deinde quia tam est pius, & misericors.*

Fratres mei sancti. *Non deerat, qui à fide profugerent, ac laborarẽt aliis insignibus vitiis, & talibus ita loquitur: nec tamen est apostrophe ad pios tantùm restringenda, sed omnes sanctos, id est, Deo certis ritibus, & sacramentis initiatos, consecratos, deuotos, quicquid tandem per vitia deinceps factum sit, nuncupat. Sic quibus præcipua sacramenta conferuntur, pontifices vocantur sanctissimi: nè istud ad solam fidem cum hæreticis retorqueamus, quæ etsi magnas habeat vires, & partes amplissimas in hoc negotio, non tamẽ prius sanctus quis efficitur, quàm*

Sãcti quare vocentur Christiani.

*sit ablutus.*

Qui vocati estis vocatione cœlesti. *Qui estis singulari Dei beneficio vocati, non ad terram fluentem lacte, & melle, sed ad ipsum cœlum, Abrahami veram hæreditatem. Nec est negligendum, tametsi minutum, quod Lucas habet ἐπουράνιον: quia potest aliquid esse cœleste, quod aliquo modo cœlum attingat, sed hoc loco tale est, quod sit in ipso cœlo. Quid ad rem? Vt intelligas te à Deo esse vocatum, non tantùm, vt cœlum videas, sed vt in ipso regnes: nè desideas in isto cæno voluptatum, ac scelerum. Quid igitur ad istum modum honoratos æquum est facere?*

Considerate istum apostolum. *Est hæc futuræ disputationis vsque ad quintum caput propositio: quæ autem mox adiungentur:* Et principem, &c. *alteram eiusdem propositionis partem constituent, quam à quinto ad sextum vsque pertractabit Apostolus, vbi nonnihil euagatus, mox septimo capite repetet, vrgebitq; porrò vsque ad vndecimum. Significatur autem isto verbo diligens attentio. Adhibete omnes ingenij nervos, vt perpendatis, qualem habeatis pontificem. Habuerunt quondam nostri maiores Mosen, Aaronem, & alios: sed vester longè præcellit. Ingeniosè admodum ista proponit Paulus, clàm irrepens in disputationem. Sunt qui pro apostolo malunt legatum, aut nuntium: sed latet scorpius sub lapide. Qui enim in ea sunt opinione, volunt apostolos nulla præditos fuisse potestate, ac iurisdictione, nihilq; aliud, quàm quæ in mandatis haberent, denuntiasse: cæterùm iubere quicquam, & instituere nequiuisse, Propterea retinenda mihi visa est vox* Apostoli, *quæ authoritatem, & iurisdictionem*

Apostoli nomen, quid significet.

*nem significat, & prætérea formationem, seu institutionem. Nam Christus non tantùm ad hoc se in mundum venisse testatur, vt testimonium perhiberet veritati, & à patre sibi credita aliis traderet: verùm etiam vt peccata dimitteret. Geminam igitur hanc potestatem noster habebat apostolus, quam se donare testatus est suis. Fallunt ergo nos, qui apostolos solam docendi habuisse prouinciam pertinaciter contendunt. Nam vt Moses Iudæorum Apostolus simul docebat, legesq; ferebat: ita Christus antitypus, doctrinæ, legisq; ferendæ potestatem habuit: quæ déinceps in apostolos vtriusque successores derivata est.*

Et principem sacerdotum confessionis nostræ Iesum Christum. *Frustrà quidam disceptant, vt professionis vocabulum reponãt. Nam etsi foret quidem illud latinius: communis tamen dictio confessionis, propter vsum christianismi, commodior est: quia hîc agitur de ea confessione, quæ passim homines vocantur confessores, de vita, aut fortunis ob Christi fidem, ac religionem periclitantes. Mox enim additurus est:* Si tamen fiduciam, & glorificationem, &c. *vbi palàm de illa piorum libertate, qui ad impiorum iudicum, & tyrannorum tribunalia Christianum nomen agnoscunt, se agere demonstrat: nè dicam voces ipsas ὁμολογίας, & thoditho id poscere. Hic igitur est sensus: Fratres mei (quæso) mecum diligenter expendite, qualem habeamus in hac disciplina pontificem. Sunt autem huc reducenda, quæ initio dicta sunt, Deum locutum olim per prophetas, nouissimè verò per filium, à quo tradita religio est huius loci confessio, quam Apostolus* הודיתא

*legi, eiusq; doctrinæ opponit, in qua, & pro qua, si res ita ferat, intrepidi mortem adire debemus. Videtur & istud innuere, Iudæos non ita coactos, nec pro sua fide perinde fuisse periclitatos, quibus, quod valdè mirum est, inter gentes reliquas integrum erat suis agere legibus ante Christum occisum: illis autem, eo interempto, nihil usquam tutum fuit relictum, vt ostendit Iosephus. Tametsi nunc vbique suis viuunt ritibus, etiam apud Turcas: Christianismi autem sacramentum plurimis semper est obnoxium inter mortales periculis. Nè autem hæreremus, quisnam esset hic pontifex, quoniam Apostolus in antegressis disputationibus semel dúntaxat, & quidem in summa humilitate, & abiectione, Christum filium Dei nominauerat, abstinens à proprio nomine: nunc re cõstituta, nominat:* Iesum Christum. *Christi nomen maximum erat, Iudæisq; venerandum: ideò videtur Apostolus (maximè si hoc ordine legamus) illud callidè hactenus pressum, nunc explicata causa, dissimulanter inferre. Nam cùm Iudæi intelligerent agi de collatione Mosis, & Iesu, illumq; depressum iri: non videbantur laturi, si in ipsis initiis fuisset prolatum.*

Græci Christũ Iesum. Lat. ferè nõ addunt alterum.

Qui fidelis, *id est, qui ad vnguem expleat omnia, quæ ad eius spectant officium, & quæcumque voluit ab ipso perfici pater, quæ ad genus humanum beandum desiderarentur. Fuit igitur fidelissimus, & obedientissimus.*

Ei, qui fecit ipsum. *qui eum creauit pontificem. Factus enim est per incarnationem. Sed suo id loco. Qui ergo fecit, initiauit, consecrauit eum.*

Numer. 12. b.

Sicut Moses in tota domo eius. *An Mosis? Nam*

*Nam domus Israël interdum dicitur populus Mosis: sed rectiùs de patre. Nam quòd Caluinus, & alij volunt ad Christum referre, hallucinantur, nec perpendunt vtramque scripturam, & præpositiones, quibus vtitur Paulus. Volunt (sicut & Moses) claudere parenthesi; quæ autem sequuntur, ad Christum referunt: quod rectè fieri non potest. Nã dum loquitur mox Apostolus de fide Mosis, & officio in domo; tùm syrus habet beth, græcus ἐν: vbi autem agit de Christo, ἐπὶ, & al. Ergo Moses hactenus quadam concessione, & captandæ benevolentiæ causa æquiparatur Christo; quòd vterque dicatur fidelis. Hoc enim impensè arridebat infirmis, neq; dum satis Christum intelligentibus Iudæis: sed mox erũpet discrimen. Fuit igitur Moses fidelis in tota domo, nempe, vt Apostolus dicturus est in ipsa legislatione; & summa fide, quæ ab oraculo didicerat, Iudæis retulit, non quòd non peccarit ipse: Christus autem per omnia Dei perfecit volũtatem, nusquàm peccauit, restitit, hæsitauit; nusquàm officio defuit. Hæc tamen hactenus latenter, non satis prodens, quò tenderet, posuit Apostolus. Nunc audiamus differẽtiam, quæ vnica, difficilimaq; pericope absoluitur.* Exod. 14. עד

| *Syr.* | Vulg. | |
|---|---|---|
| Maior gloria huius, quàm Mosis; quantò honorificẽtior ædificator domus, ædificatione sua. Omnis enim do- | *Amplioris enim gloriae iste, prae Mose, dignus est habitus; quantò amplio- rem honorem habet domus, qui fabrica- uit* | M. S. פיר (enim) habet additũ. |

domus ab aliquo ædificatur: ipse autem, qui ædificat omnia, Deus est. Et Moses, vt minister, fidelis fuit in tota domo eius, in testimonium eorū, quæ per ipsum dicenda erant: Christus autem, vt filius, suprà domum suam. Et sumus nos hęc domus eius: si vsq; in finem retineamus reuelationem facierum, & gloriationem spei ipsius.

*uit illam. Omnis namque domus fabricatur ab aliquo: qui autē omnia creauit, Deus est. Et Moses quidē fidelis erat in tota domo eius, tāquàm famulus, in testimonium eorum, quae dicenda erant: Christus verò, tanquàm filius, in domo sua; quae domus sumus nos, si fiduciam, & gloriam spei vsq; ad finem firmam retineamus.*

MAior. *Vtrumque dixi fidelem, Christum, & Mosen; itaque visus sum facere pares, quasi Christus nihil haberet Mose præstantius: nunc verò tempus est, vt quantum sit interuallum, quamq; sit hìc dispar fides, ostendam. Id ergo inuidiæ Iudæorum detulit Paulus, qua apud eos mirum in modum deflagrabat. Sed quantò est maior?*

Quantò honorificentior, *seu pretiosior. Est enim propriè honor, qui pretium habet: vndè & hominem nullius pretij nullo dignum honore dicimus. Hìc autem, si vsquàm aliàs, se prodit syriaca editio-*

nis

*nis vtilitas. Remigius delatus in hunc locum, putauit* Domus *esse gignendi casu, & tandem inuolutus extricare se non potest; nec aliter Aquinas ob domum exædificatàm, honorem istum architecto decernit: Paulus autem re verà domum cum suo componit opifice. Vultis scire, quantò Christus Mose præstet? Quantò faber, & architectus sua fabrica dignior est, ac maiori dignus honore. Sed vide Mosen totius synagogæ, quam Christus crearat, & à Pharaonis seruitute liberauerat, membrum dúntaxat fuisse, & veluti lapidem in prægrandi structura suo loco ab artifice collocatum. Quantò igitur maior est creaturâ creator ipse, tantò Christus Mose figmento suo. Notanter enim dictum est* ædificatione, *seu ædificio suo, quod nimirum ipse fecit.*

Omnis enim domus ab aliquo ædificatur. *Perstat in metaphora: quamuis allegoria non desit; quia non domum, sed populum significat.*

Ipse autem, qui ædificat omnia, Deus est. *Deus iste, qui struxit, & condidit omnia, Christus est. In antegressa disputatione ostendi Christum creasse omnia: Moses autẽ est totius pars creaturæ.*

Et Moses, vt minister, fidelis fuit in tota domo. *Lucas vocat* θεράπων, *quod non instar mancipij redactum in seruitutem hominem; sed qui vel liberaliter ex beneuolentia nauat alicui operam, vel qui mercede se locat, significat. Moses igitur liberaliter seruiens Deo, fuit minister fidelis in synagoga. Nusquàm ne cæspitans? Hoc non attingit.*

In testimonium eorum, quæ per ipsum dicenda erant. *Fuit igitur in ipsa legislatione, quam optima fide peregit, fidelis. Nec abs re hanc fidem*

Mo-

*Mosis Paulus commendat, qua est vsus, & vtetur in suis confirmandis.*

Christus autem, vt filius, suprà domum suam. *Moses in domo; quia Dei cultor, quia Iudaici populi pars præstantissima: Christus autem suprà domum, tanquam filius familias, immò verò Deus cum patre familiam administrans. Et iccircò cùm alibi fundamentum, aut lapidem angularem audimus; metaphoricè cuncta necesse est exponere. In quantùm enim nos redemit, partim lapis angularis, partim fundamentum dicitur: sed quatenus Deus, ipse filius familias, ipse herus, ac dominus; nec in censum venire debet familiæ. Atque hinc videmus non posse nos Mosis fidem Christo tribuere, absque eius aliqua depressione. Adhæc Christi fidelitas non in sola doctrina spectatur; quòd nobis mandata patris fideliter proposuerit, vt Moses; qui vbi tantùm iussus erat loqui, bis percussit silicem: sed quod nusquàm à patris sui vel vnguem latum discesserit voluntate, & cunctas adimpleuerit scripturas.*

Et sumus nos hæc domus eius. *Græci ἀνθρωπικῶς, tum Christi. Sed quátenus?*

Si vsque ad finem retineamus reuelationem facierum. *Si apprehendamus, manibusq;, & dentibus retineamus, nec nobis elabi permittamus fidei confessionem, et obedientiam mandatorum Christi; si non erubescamus religionem proposito metu, & periculo confiteri; si simus (vt loquitur Tertullianus) fœliciter impudentes, vt liberè, et fidenter, quam gerimus in corde, fidem enuntiemus.*

Lib. de carne Christi.

Et gloriationem spei ipsius. *Non sat est non erubescere; nisi homo ducat sibi laudi, et gloriæ, spem*

nobis

nobis factam per Christum. Nec sufficit in crucifixum credidisse: sed sperandum est eundem, quem ignominiosa fateris morte defunctum, vitam æternam, fœlicemq; donaturum. Qui anxius, tristisq; confitetur; non præstat officium. Si autem libeat germanæ theologiæ studiosis, hæreticorum obiectiones degustare; in primis παῤῥησίαν fiduciam, seu libertatem interpretantur de fide. Rursus cum spe fidem commiscent; nosq;, videlicet, infideles esse dictitant; quòd certæ salutis spem, non fidem à nostris exigamus, quia ad παῤῥησίαν in finem vsque mordicùs retinendam Paulus hortetur. Hincq; fidem nostram calumniantur, seq; satis habere iactitant, etiam si deforent cætera, cur à nobis secesserint, nimirum, trepidationem inuehentibus, contra doctrinam Apostoli. Hos ergo fumos vt expellamus, negamus ante omnia Paulo τῆς παῤῥησίας vocabulo fidem intellectam: & si suis magis, quàm nobis credant, Beza idem negat nobiscum, et fidei nobilissimum effectum nuncupat, non hac tantùm in parte Caluini sui placita conuellens. Fidem enim nisi quis habuerit non vulgarem, nunquàm huius fiduciæ compos fiet, neq; Christum inter tormenta confitebitur, sed erubescet, hærebit, titubabit. Deinde quòd fidem, & spem commisceant, quis non videat esse nugamentum? Nam vt cætera omittantur. Paulus mox spem subiungit, nè dicam has virtutes totis regionibus, ac sedibus esse distinctas. Nec illud probabilius, quòd aiũt nos docere, vt homines hæsitent: quamuis idem sit non malignè accipiendum. Nec enim titubare, sed sperare firmiter docemus, vt vitam æternam spe, non fide certa, quisque sibi promittat. Et quia non patitur commen-

*mentarius longiorem refutationem, istemet locus hæreticum, vel solus, commẽtum satis explodit. Cùm enim dictum esset, nos esse domum, et peruenturos ad vitam; mox additur conditio seruanda, nimirum, reuelationis facierum, & gloriationis spei. Sed hæc missa faciamus.*

*Sequitur bona pars psalmi 94. citata, & enarrata à Paulo; idq; tam ac vratè, vt cæteróquin refractarij hoc ipsum non negent factum doctissimè, & appositè. Vndè liquet primùm hic omnibus præiudicari, quicumque audent discedere ab eo, quod nobis semel ab Apostolo præscriptum est; deinde aduersarios colliquebit neque solidè, neque religiosè facere, qui detractos Christo psalmos ad Dauides, & alios detorquent.*

| | *Syr.* | Vulg. |
|---|---|---|
| M.S. interseruunt pronomen, vestra. | Propter quod dixit spiritus sanctus: Hodiè si vocem eius audietis; non obdurabitis corda ad iritandum eum, secundū exacerbationes, & secundum diem tentationis in deserto; vbi tentauerunt me patres vestri, & probauerunt, & viderunt opera mea qua- | *Quápropter sicut dicit Spiritus sanctus: Hodie si vocem eius audieritis; nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione, secundum diem tentationis in deserto; vbi tentauerunt me patres vestri; probauerunt me, & viderunt opera mea qua-* |
| M. S. pro כמרמא habet כמר רנא. cemarmerono vt sit: velut exacerbatores. | | |
| cemarmerono vt sit: velut exacerbatores. | | |

quadraginta annis. Quapropter indignatus fui generationi huic, & dixi: Populus iste errat corde suo; & ipsi non cognouerunt vias meas. Itaque iuraui in ira mea, non ingressuros in requiem meam.

*quadraginta annis. Propter quod infensus fui generationi huic, & dixi: Semper errant corde. Ipsi autem non cognouerunt vias meas, quibus iuraui in ira mea, Si introibũt in requiem meam.*

*Si hoc testimonium esset in ipso libro psalmorum enarrandum, ante omnia esset de psalmi scopo disputiendum: sed nostro fuerit satis instituto; si intelligamus Dauidem agere cum Hebræis, vt pertinacia depositâ, se conferant ad Christum, habeantq; illum pro vero Messia; & ipsius fidem amplexi, caueant nè quid simile patrent suis patribus. Nam tãtùm abest, vt sat fuerit amplecti religionem; nisi eadem moribus exornetur: vt sit periculum maius iis metuendum, qui ea donati gratia, se præstiterint ingratos. Et vt magis moueat, adducit in medium ab Aegypto Dei virtute liberatos; neque tamen terram promissam ingressos, sed reprobatos à Deo, quia suas vicissim partes non egerant. Sed quò tẽdit Paulus, cùm hanc citat scripturam? Eòdem prorsus. Nam psalmi ad Ecclesiæ conscripti sunt ædificationem: & Apostolus Dauidem inducit, vt offensi Iudæorum animi ferrent mitiùs, tanquàm non à Paulo, sed à præstantissimo regum, & prophetarum de-*

*sumptam orationem. Et vt propiùs accedamus; solebant illi maiorum imaginibus, sanctimoniaq; mirum in modum sibi placere: quocirca vt intelligerent frustrà se cristas erigere ob genus inclitum, nisi morum integritas, fides, pietasq; concurrant; ruinæ parentum admonentur; nè quicquam sibi præclarum polliceretur, nisi in tentationibus perduraſſent. Laborabant quondam illi veteres Hebræi carnium, aquarum, aliarumq; rerum subinde penuria; & à diuersis hostibus diuexabantur; vt suæ vir tutis, & continentiæ periculum facerent: tempore autem Pauli qui deserta Synagoga Christo crediderant, proscriptionibus, persecutionibus, vinculis, aliisq; incommodis exercebantur; quocirca nè in iis deficerent, veterum eos cladium commonet.*

Propter quod dixit. *Vid'en, quanta reuerentia sit versandum in Dei oraculis: cùm non homo, sed spiritus sanctus ibi loquatur?*

Hodiè si vocem eius audietis. *Si quisque, qua ætate viuit, accommodabit aurem, & affectum. Nam postea Paulus ostendet istud* hodiè *significare totum tempus à Christo ad eius alterum aduentum. Qui ante quingentos, aut mille annos vixerũt, habuerunt suum* hodiè, *nempè, tempus audiendi Christum. Quámdiu spiramus, & viuimus; quámdiu licet audire, & credere: támdiu est* hodiè. *Si igitur tu, Christiane, auditurus sis vocem, mandatum, legem Christi, fac, quod sequitur.*

Non obdurabitis corda vestra. *De obduratione diximus alibi. Quis non planè cæcutire dicat aduersarios, libertatem arbitrij nusquàm se videre iactantes? Dum enim dicitur.*

Non

Non obdurabitis: *nonne manifestum est, hominem aliquid ad hanc obdurationem conferre; nec eam Deo, vt volunt, imputandam? Nam dum homo rogatur, inuitatur, versatur, tunditur, penè cogitur; vt præstet, quod est sui officij: quis Deo adscribat, si pertinax ille nolit obsequi? Nonne videre est quamplurimos probare meliora, monitionibus, exemplis, aliisq; præsidijs non carere: & nihilominus in deteriora prorueре? Et illud est obdurare. Quibusdam placet à cera; ego tamen à rebus lapidescentibus magis arbitror ductam metaphoram; quia scripturæ obdurata corda, lapidea vocare solent. Sed interpretetur potiùs, quid istud sit, Paulus.*

Ad iritandum eum. *Ad iritationem eius, seu iritatione eius. Est enim lamed. Vt pronocetis eum ad iram. Tùm igitur est obduratio cordis, dum pergimus peccare, susq; deq; ferentes vel præcepta Dei, vel quomodo nobis cum illo conueniat.*

Secundum exacerbationes. *Quibusdam placet ad Exod. 17. istud spectare, vbi magna fuit de aquæ penuria aduersus Mosen contentio populi, ipseq; propheta locum iis nominibus appellat, quibus vtitur hoc loco Dauid, meribah & massah, quæ contentionem, ac tentationem significant. Aliis videtur ad 14. Numer. referre, vbi populus Mosi, Aaroni, & aliis, adhortantibus vt adirent terram promissionis, detrectabat obedire; & eò ferè veteres respectant theologi, nec desunt argumenta: mihi tamen videtur probabilius, vt solet multa connectere testimonia Paulus, si hoc etiam loco totum Pentateuchum sibi ob oculos posuisse, deq; multiplici tumultu, & variis rebellis, ac pertinacis populi seditionibus*

מסה
מריבה

*intellexisse dicatur; quarum sunt exempla locis iam indicatis. Quò facit Syrorum pluralis numerus in voce exacerbationum, vel etiam exacerbatorum. Nequaquàm tamen inficior, hanc exacerbationem fuisse maximè conspicuam ad 14. Numerorum: sed nolim totam exploratorum scelere complecti; cùm ibidem expostulans cum eis Deus, se iam decies ab illis tentatum affirmet; quasi præcedentibus tentationibus non ita fuerit acriter exacerbatus; sed nunc demùm, cùm eorum impietas ad summum venerat. Quidam ante Hieronymum legebant* examaricationem: *quia Deus amarus reddebatur, posteaquàm in eum iam decies procaces, ac petulantes extiterant.*

Secundum tentationis diem in deserto. *hîc videtur ad 17. Exod. Nam dum acriter ob inopiam aquarum quererentur:* Nunquid (*aiebant*) est Deus inter nos?

Vbi tentauerunt me patres vestri. *Helræus Dauid habet ascher, quod interdum vbi, aliàs qua; Syri habent suum daleth, quod posset ad illam quoque tentationem referri, & verti: Qua. Quomodo tentauerunt? Respondent hæretici tunc tentare aliquem Deum, quando eum veluti per contumeliam prouocat: quando quis obstrepit Deo, vel illi nõ credit. Sunt ista fateor in tentatione: sed quantò planiùs nostri maiores Deum tentare aiunt esse eius potentiam, vel bonitatem, vel scientiam, vel veritatem explorare? Hoc igitur loco volebant Israëlitæ periculum facere, num Deus posset illis aquam suppeditare. Euasimus mare desiccatum, quod vento fortassis tribuendum fuit: hîc autem, vbi nulla est aqua-*

*rum*

*rum copia, præstet Deus aquas; & liquidò nobis constabit eum esse omnipotentem.*

Probauerunt me, & viderunt opera mea, *Tametsi pronomine careat Paulus Syrus; nec id habeant pleraque latina: habet tamẽ Dauid Hebræus, & Paulus græcus, denique septuaginta translatio, & gallica, vetusq; retinent, ac postremo in versione ex hebr. quæ adscribitur Hieronymo, legitur. Id autem operæpretium visum est admonere: quia neglecta ea particula, plerique aberrant à scopo, & hunc in modum exponunt. Experti fuerunt, nimirum multis antè captis experimentis, me Deum esse: nec tamen crediderunt. Alij quod perinde est, referunt istud verbum ad opera. Qui autem sunt eius sententiæ, hoc loco non nouum peccatum constituunt, sed volunt tantùm esse quandam circumstantiam: cùm tamen propheta speciale crimen hic insinuet. Quocirca retinendum pronomen. Probandi autem vox* בחן *bachan pertinet ad aurifices, qui admotis lydijs lapidibus, aut igne explorãt, sit nẽne probum aurum. Et vt illi magno id agũt molimine, ita hoc loco. Nec abludit Syrum vabbeku, quo vsus est Pauli Syrus interpres tertio capite prioris ad Timoth.* ובקר 1.Tim.3. *Vbi agitur de scrutinio admittendorum in ordinem Diaconorum. Ita enim illi quondam mira curiositate, & impietate inquirebant in Deum. Nisi det aquam, scilicet, Deus non est. Dedit aquam: sed iam carnes petuntur. Nec ista defuerunt: mox iterum aliud comminiscebantur, Deum omni ex parte exploraturi. Hic igitur est sensus: Ipsi modis omnibus rimati sunt, num vllus posset scrupulus superesse, vtrum essem Deus. Istud quoque* videtunt *non simpliciter*

*ter intelligendum est: sed exhibuit Deus eorum curiositati miracula, & opera. Quæ Deo veluti prascribebant, præstitit ille: & ipsi inspexerunt, atque explorarunt, num essent Dei proba opera. Sed quid tandem Deus, post tam longam inquisitionem impiorum?*

Quápropter offensus fui generationi huic. *hodie legimus vulgò*: Proximus fui: *támetsi legendum sit secundum emendatissima exemplaria*: Offensus fui. *Orta est discrepantia lectionis ex diuersa vocis græcæ significatione.* προσώχθισα *enim ad littus appellere, portum subire, & etiam nauem impingere significat. Hebræum autem verbum okout* אקוט *propriè dicitur, quandò quis victus molestia, tãdem aliquid à se abiicit, quod & Græci veteres in sua voce notarunt, vt sit graniter aliquid ferre, et quasi gemere sub onere. Ita me diuexarunt suis tentationibus, vt ad postremum ferendo fessus, gliscentem iram non potuerim cohibere: itaq; tandem in ipsos animaduerti.*

Generationi huic. *Dauid caret pronomine. Septuaginta, et græc. legũt* ἐκείνῃ, *nisi quòd quintum, & sextum Reg.* ταύτῃ, *id est, hominibus huius ætatis. Et intelliguntur illi reprobi, qui perierunt in deserto.*

Et dixi: *Ego victus impatientia (si fas sit ita loqui) vbi tándiu illos pertuli, coactus sum ita pronuntiare.*

Populus iste errat corde suo. *Lucas habet* ἀεὶ, *et rectè, támetsi neque Dauid, neque Paulus habeat: quia participij præsentis, errans, talis est significatio, semper errat. Sed quid est, hunc populum dici vel esse semper erronem? Putamúsne agi de errore viarũ:*

quia

*quia de iis sequitur, fuisse itineris Dei, & compendiorũ ignaros? Minimè: sed ea est metaphora, quam probè expressit Isaias, vbi dicit homines peccatores* Isa. cap. 35.
*deerrasse, instar ouium; ostendens istud propriè pertinere ad oues, quæ non ritè pascuntur, neque cohibẽtur; sed aberrant, & per auia deuagantes, incidunt in lupos: quemadmodum contingit hominibus imperitis diuinæ voluntatis, ac fidei. Errant igitur corde; sunt illis omnia incerta; omni vento doctrinæ circunferuntur. Quæ in re notandum est, Deum odisse in suis cultoribus insciti am. Nam mox dicet errorem hunc effeciſſe, vt iuraret Deus illum populum non ingressurum requiem.*

Et ipsi non cognouerunt vias meas. *En, quid hic error sibi voluerit; ignorantiam viarum Dei. Populum Iudaicum, tándiu à Mose signis, & verbis eruditum, tam indignè ferebat nescire, quid Deus vellet: quid si hoc nostris hominibus proponamus exemplum? Si diceremus parum esse Christianos, non satagentes suam catechesim intelligere; si adderemus Paulum hoc ipsum docere: nónne paradoxum videretur? Vbique Paulus inculcat, & laudat Christianos ob scientiam, & cognitionem operũ, & beneficiorum Dei: & hodiè putamus nobis esse propositum, vt simus rudes, & omnium rerum ignari? Sed de viis, quid sentimus? Hæretici de misericordia, & iudicio intelligunt, in quibus ipsi ferè totam religionem constituunt: sed refragantur sancti patres, qui has vias de decalogo, ac Dei voluntate interpretantur. Hæc ignorabunt Iudæi carni addicti. Et quid ille, vbi vidit suum populum tam pertinaciter imperitum?*

Itaque iurauiin ira mea. *Graecus Paulus, & Septuag. habent ὡς, quod per (vt) videtur transferendum. Nec tamen est aduerbium, vel coniunctio, vt vult Caluinus; sed quiddam potentiale. Ipsi: ita offenderunt, vt ad postremum iurare me compulerint. Hebrais est ascher, Syris daleth, quod haec omnia valet, vt, quod, quibus, quo: itaque quod elegerunt Septuaginta, sequamur. Quid autem est, iurare Dei? Equidem inter homines est firmum decretum; inter quos omnis controuersia finitur iureiurãdo: interim iurare Dei est certò definire. Stat fixa sententia hoc futurum, quod sequitur.*

אשר

In ira. *Ego non ferens amplius illorum impietatem, statui cum ira volens eos punire. Nam ira Dei semper habet punitionem.*

Non ingressuros in requiem meam. *Hanc partem Paulus ipsemet interpretabitur. Videamus latina. Sinon rectè à non satis versatis in hebraismis pro negante particula accipitur* Non: *cùm in ea vocula sit aposiopesis, & reticentia, quae conuenit iratis, & malè quippiam comminantibus; vt Isa. 5. 12. & alibi. Dubitetur de meae fide, & veritate: si introierint. Historicôs autem Palaestina designatur; vbi demum ab erroribus, bellis, & laboribus requiem sibi promittebant: sed noster Paulus cap. 4. demonstraturus est Dauidem nõ de illa quiete agere, in quam erat illum populum Iosue tandem introducturus, sed de aeterna, vbi demùm ab hostibus carne, mundo, satana, & aliis perfectè quiescemus; à qua non immeritò videntur excludendi, qui tam frequenter, & grauiter offenderant Deum. Et hâctenus discere licuit, quantùm Deus in suis cultoribus detestetur*

igno-

*ignorantiam cum improbitate cõiunctam. Iam quid adferat Paulus, audiamus. Nam licet ipsa citatio titulo Spiritus sancti prolata, scopum suum satis indicare visa fuerit: Paulus tamen, dum se Judæorum accommodat imbecillitati, eundem apertius ostendit; nimirum ad nos quoque ista pertinere, vt omnia, quæ in scripturis sunt sic statis edita temporibus; vt tamen ad omnes prorsus ætates pertineant.*

| Syr. | Vulg. |
|---|---|
| Cauete igitur, fratres mei, nequã- do fiat in quopiam ex vobis cor prauũ, quod non credat; & deficiatis à Deo viuo: sed obsecrate inuicem omnibus diebus, vsque in diẽ. qui vocatur hodiẽ. Et nè obduretur quisquam è vobis errore peccati. | *Videte, fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum, incredulitatis, discedendi à Deo viuo: sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.* |

IGitur. *Ista particula docet Paulum aptare scripturam proposito. In verbo autem* cauete *notanda est epitasis; cùm sit imperatiuum eius verbi, quod est Matth. 27. quando dicit Pilatus Judæis:* Custodite sicut scitis. *Vt enim ibi Pilatus manifestè diligentem custodiam intellexit, qualem illi præstiterunt in loci communitione: ita hîc agitur de cautione vigilantissima, & religiosa attentione, qua euitetur*

Hîc absoluitur ea lectio, qua Syri vtuntur in natali dominico.

retur incommodum. Et refelluntur Caluiniani, qui putant omnes Christianos non tam praditos, quàm grauatos libero arbitrio. Si enim essent omnia seruilia; nequaquàm moneret Apostolus Hebræos videre, attendere, cauere. Quid enim me vitare, & fugere, iubes: cùm non sit hoc in me positum? Certum est sine Dei gratia vos frustrà aduigilaturos: sed illa tam benigna est, & exposita, vt si per vos non stet, nunquàm sit vobis defutura. Cùm igitur nunc audieritis, quid patribus vestris acciderit: cauete, ne quid vobis tale contingat. Est insigne, quod Chrysostomus, et Theophylactus admonent, non tam futura, quàm preterita homines facilè mouere; maximè si sint ea confessa, & insignia: eamq; ob causam aiunt Paulum maiorum exempla potius adduxisse, quam futurum quid illis ominatum; nè propter similem improbitatem, & in Deum petulantiam, patribus quoque deteriora ferrent.

Fratres mei. Lenit aliquantùm seueriorem admonitionem. Ea enim est veteris Adami philautia; vt pungi nolit. Totum istud, quod dicturus sum, promanat à vestri amantissimo pectore.

Néquando. Non debetis ad tempus cauere, sed nullo non momento, nè quicquam subrepat.

Fiat in vllo vestrum. Mirabilis admonitio, qua quisque docetur debere se proximo omnem solicitudinem; atque suum ducere detrimentum, si quisquam à fide pereat.

בישא Cor prauum. Syra vox bischo est significantissima. Non enim agitur de eo, qui per ignorantiam, humanámve tentationem, aut inconstantiam, & mollitiem venerit in peccatum: sed qui sciens, prudens,

dens, malitiosè, non semel, sed iterum, ac sæpiùs inquinarit seſe. Nihilne igitur prætérea fugiendum? Atqui videbatur dicere Paulus, vt à primo quoque peccato caueremus. Ita eſt. Sed si Christianus velit expendere præsidia sua, lumen fidei, doctrinam, retinacula, quibus à peccato tantùm non inuitus retrahitur: videbit vnumquodque suum ab hac prauitate nõ esse immune peccatum. Potest quidem, fateor, huiusmodi subitò fieri per iram, ignorantiam, surreptionem: sed tamen vti quis norit esse lethale; & nihilominus captet oportunitatem, deliberet, constituat, non ignorans Deum offensum iri, se addicendum in seruitutem Diaboli; & tamen faciat per iram, per odium, per inuidiam; non potest non praus, & peruersus haberi.

Quod non credat. An igitur non credebant, ad quos scribebat Paulus? Immò verò: nihilominus laborabant quadam fide infida; nec æterna præmia satis animo concepisse videntur. Nam cùm mirum in modum à suis etiam contribulibus diuexarentur; fortunis exuerentur; compingerentur in carceres; victi tot ærumnis abripiebantur fortè nonnulli, vt de futuræ retributionis, immò totius religionis fide dubitarent; quasi se non ita rotandos, si Deo placeret ea religio, sibi persuaderent. Nec est cuiuslibet spem emere pretio. Itaque quem sibi tùm deesse putabant, multò minùs de illo sperando olim cogitabant; vt in nepotibus maiorum ingenia liceat agnoscere. Si hîc Deus est (aiebant illi) det nobis carnes; suppeditet aquas, &c. sciſti: Si Deus ea sit facturus, quæ nobis promittuntur: quin liberandæ fidei pignus nunc præsentem exhibet pacem, & fœlicitatem? Patres nostri quo-

*quoties habuerunt Deum propitium, rerum copia fruebantur: nos contrà nunc demùm atterimur malis, cùm Deum patrem, nosq; eius charissimos filios audimus. Hinc liquet, quàm in loco Paulus Danidis adferat verba.*

Et deficiatis à Deo viuo. *Paulus pro scripturarum consuetudine, nunc pluraliter, nunc singulariter loquitur: quia admonitio sic ad omnes pertinet; vt etiam spectet singulos. Est autem vethepre-*
ותפרקון פרק *koun à themate perak, quod violentā rei cuiuspiam inhærentis abreptionem denotat; vt indè admoneamur secuturæ metaphoræ in initio sequentis pericopes, vbi dicemur insiti Christo, & in vnum corpus coiysse. Nunc igitur, nè deficiatis, nè vos abrumpatis à corpore Christi; qui vos ita sibi coniunxit, vt viua membra esse sua voluerit: propterea nolite vestra peruersitate committere, vt ille suis membris mutiletur. Non autem dicit, à me, ab apostolo; sed à Deo viuente: quia is, cuius sumus mēbra, est idem Deus viuus, quod epithetū Deos excludit mortuos. Nam etsi diy gentium, dæmonia, viuere videantur: ita viuunt; vt diy mortis potiùs appellari debeant. Viuit enim Diabolus; sed tantùm conditione: cæteroquin mortuus est, propter peccatum; & quia morte, tenebrisq; completus est, nihil nisi mortem suis inducit cultoribus. Deus autem noster ita viuus est; vt vitam suam in omnes diffundat, qui haurire gestiūt. Nec omittenda est latens antitheſis. Innuit enim homines abruptos à Deo, deuouere se diys mortuis, hoc est, peccatis. Ita pergant, quos perire delectat: vos autem, vt cæpistis adhærere Deo viuo, pergite mordicùs illum complecti.*

Sed

Sed obsecrate inuicem. *Nec enim sat est, vt tu tibi consulas: sed si videas proximum mutare, labi, iacêre; nè putes ad te non pertinere. Neque tamen satis feceris, si indoleas misero: sed præterea debes eum obsecrare, nè se eat perditũ. Frater mi, quid agis? Tam multa passus es frustrà, bonorum direptionem, carceres, vigilias, eleemosynas, ieiunia? & nunc simul omnia proiicies? Sed ista Chrysostomo relinquamus, Quid si semel, iterumq; monuerim, & obsecrarim, erone perfunctus officio?*

Omnibus diebus. *Vsquè, & vsquè. Non priùs cessandum, quàm fratrem reduxeris in viam.*

Vsque in diem, qui vocatur hodiè. *Quándiu homo spirat, & tu spera. Nam quod Caluinus cum suis dicit, Quándiu Deus vocat, reprobum est: cùm nullum tempus Deo sit præscribendum, qui etiam in supremo halitu seruare potest, dúmmodo peccator nõ ferat præ se amorem peccati, & blasphemia. Est interdum metus, fateor, nè peccator, qui sese, millesq; alios perdiderit, non seriò resipiscat: nemo tamen catholicus desperabit, quia omne momentum est adhúc hodiè.*

Et nè obduretur quisquam è vobis errore peccati. *Bifariàm hic error exponitur. Quidam illam putant esse desperationem, quam dudum attigimus, qua homo ex præsentibus faciat de sempiternis coniecturam: alijs placet de illo contemptu intelligere, quo quidam ita demerguntur in peccata, vt postea desperatè se dent vitijs. Ego hunc reor esse simplicem sensum: Nemo consentiat in peccata mortalia. Nam dum homo de industria, sciens quid sit acturus, contemnit gratiam, seq; vltrò in flammas conij-*

*coniicit: ipse re vera obdurat animum. Quòd autem ad errore pertinet, is in omni peccato reperitur, quod naturæ contrarium est. Etsi enim multi sciant, quid agant: falluntur tamen, dum nescio quid boni sibi confingunt, quo interea satiati, postea se Deo satisfacturos sibi pollicentur.*

*Nunc sequitur alia pericope, in qua partim acturus est idem, quod superiùs, partim nos alienis exemplis docturus, vt ipsi in nostro negotio sapiamus.*

Sabbathi candidatorum.

*Intellige proximè præcedentem diem, quo baptizati candidas ponebant, quem vocamus Dominicam in albis. Nec ignotum Syris hoc vestium genus fuit.*

| *Syr.* | Vulg. |
|---|---|
| Commixti enim cũ Christo (sumus) si ab initio, & vsque ad finem substãtiam hanc firmam rapiamus, sicut dictũ est: Quòd si hodiè vocẽ eius audiueritis, nõ obdurabitis corda vestra ad iritandum eum. Ex iis enim quinam ij, qui audiuerunt, & iritauerũt eum? non omnes, qui | *Participes enim Christi effecti sumus: si tamen initium substantiæ eius vsque in finem firmum retineamus. Dum dicitur: Hodie si vocem eius audieritis; nolite obdurare corda vestra, quẽadmodum in illa exacerbatione. Quidã enim audientes, exacerbauerunt: sed non vni-* |

Syri dicunt filiã vocis.

qui egressi sunt ex Aegypto per Mosen. Et quibus offensus fuit quadraginta annis: nisi iis, qui peccauerũt, & quorum ossa corruerũt in deserto? Et quibus iurauit non intraturos in requiem suam: nisi iis, qui non fuerunt persuasi? Et videmus non potuisse intrare, propterea quòd non crediderant.

*vniuersi, qui profecti sunt ex Aegypto per Mosen. Quibus autem infensus est quadraginta annis? Nónne illis, qui peccauerũt, quorũ cadauera prostrata sunt in deserto? Quibus autem iurauit non introire in requiem ipsius: nisi illis, qui increduli fuerũt? Et videmus, quia nõ potuerũt introire, propter incredulitatem.*

EX præfixo titulo, & vsu veteris Ecclesiæ ad formandos neophytos possumus totius lectionis scopum germanum colligere. Nam quemadmodum nati recens in Christo admonendi sunt, vt in perceptæ fide perseuerent: ita hæc liquet non quolibet, sed ad exhortandos homines pertinere, vt in Christi semel recepto beneficio perdurent.

Commixti enim cum Christo (sumus.) *In vnum coiimus corpus cum capite Christo. Huc spectabat illa superior abruptio.*

Si ab initio, & vsque ad finem. *Si rem præclarè auspicatam vsquè & vsquè prorogemus, nec deseramus. Hìc videmus, quàm sudent frustrà recentio-*

centiores interpretes in voce græca τὴν ἀρχὴν, dum alij fundamentum, alij primitias, alij principium, & id, quod primum est, comminiscuntur, sugillantes, Bezæ Castellionem, alius alium, omnes Erasmum. Syrus interea dirimens litem, ostendit τὴν ἀρχὴν significare principium, inchoationem, & simul inuoluere significationem finis, aut infiniti potiùs.

Substantiam hanc firmam rapiamus. *Rursum ijdem disceptant interpretes vnà cum veteribus, quæ sit huius loci hypostasis. Ei nonnulli fiduciam, argumentum, fulcrum intelligunt, plerique autem catholici fidem, charitatem simul innuentes: sed ex hac versione nemo non videt hanc substantiam extra Christi corpus non esse quærẽdam, neque diuersam ab illa superiori commixtione. Nos sumus (ait Paulus) Christo per baptismum coniuncti, & sic nitimur bono, ac solido fundamento: tantùm dãda est opera, vt ibi perstemus, nec nos indè per infidelitatem, & peccatum reuelli patiamur. Porrò vox* נחמדן *nechamsen, quam rapiendi verbo reddimus, ad raptores, prædonesq; violentos pertinet, iuxta illud:* Et violenti rapiunt illud: *vbi vis indicatur, quam inferunt pij regno cœlorum. Ad eum modum hîc significatur homini Christiano fortiter agendum, & strenuè corripiendam communicationem corporis Christi: quia si semel coagmentatus, non totis viribus inhæserit, si contingat excidere, non poterit Christum consequi.*

Sicut dictum est. *Nunc expositos Dauidis versiculos pergit instituto suo accommodare.*

Quòd si hodiè vocem eius audieritis, non obdurabitis corda vestra ad iritandum eum.

Ex

Ex iis enim quinam ij, qui audiuerunt eum, & iritauerunt eum? *Quinam pertinet ad partem multò maximam, ita vt tantùm excipiantur Caleb, & Iosue: reliqui omnes perstringuntur, nisi quòd eorum soboles adiuncta fuerit heroibus istis duobus. Agitur autem de illa iritatione, qua refertur Numerorum 14. Reuersis enim duobus principibus, adferentibusq; certam esse victoriam, persuaderi nõ potuit populo, in aliorum, qui in diuersa trahebant, eunti sententiam.*

Non omnes, qui egressi sunt ex Aegypto per Mosen. *Hìc Paulus terret Hebræos paucitate seruandorum. Poterat autem dicere: Pauciſſimi, vel duo tantùm, ex tam numerosis copiis: sed videtur delicatis auribus parcere, interim tantundem dicit, & poterant ipsi, quod gestum erat, ex historia cognoscere. Non statim igitur est in tuto, qui fœliciter auspicatus est. si non accedat similis colophon. Nam vt maiores nostri Mosis auspicijs omnes deseruerãt Aegyptum, neque propterea minùs interierunt: sic de vobis metuatis necesse est, quamuis baptizatis.*

Tremell. interrogatiuè accipit: Nónne omnes? palàm Paulo gr. reclamante, & latino.

Et quibus offensus fuit quadraginta annis? *Paulus syrus dudum ex Hebræo citans, & Dauid ipse, ac septuaginta, vnà cum D. Luca, quadraginta hos annos referunt ad superiora:* Exacerbauerunt me, *scilicet quadrag. an. Hic verò, et in editione Latina, spatium istud videtur pertinere ad offensam Dei. Itaque laborant interpretes: & plerique superiorem citationem exigendam, immò corrigendam putant ad istam, parùm attendentes hìc esse quiddam relatiuum, vt altero posito, alterum existere sit necesse. Si enim iritatio Deum offendit, nemo non*

*videt vtrumque esse verum. Et iccirco vtitur interrogationibus, tanquàm in rebus confessis compendio consulens, quod etiam adnotarunt Græci.*

Nisi iis, qui peccauerunt? *Vel hinc intellige, non solam infidelitatem fuisse causſam indignationis diuinæ, sed alia quoque peccata, de quibus 1. Cor. 10. & simul obseruandum est, istos hæbræos non tantùm in fide nutasse promissorum Dei, sed aliis peccatis attaminatos. Vbi enim fides laborat, mox conuolant reliqua.*

Et quorum ossa corruerunt in deserto. *Rectè noster interpres cadauera, pro quibus hìc synecdochicòs ossa ponuntur: inuat tamen nosse, quid fons habeat, vt videaris tibi cernere ipsa cadauera hùc, illuc discerpta, & disiecta, & albentes ossibus agros. Sanctorum quidem, Iosephi, & aliorum ossa deportabantur in loculis: horum autem nè sepulturæ quidem tradebantur, damnatorum sua ipsorum sententia: quia conquesti sunt, se à Deo propterea eductos ex Aegypto, vt per desertum insepulti abijcerentur. Et hoc est magnopere notandum, propter Iudæorum de sepultura in Palæstina, in qua primi patriarchæ quiescebant, opinionem, quasi extra illam non foret spes resurrectionis.*

Et quibus iurauit nõ intraturos in requiem suam, nisi iis, qui non fuerunt persuasi? *Verbum syrũ ethtephisu natũ à græco* πείθεσθαι, *significat persuasionẽ, quæ argumentis eruitur, nè putemus hìc agi de fide rudi, quam temerè quis arripiat, sed de ea, quæ fit miraculis, rationibusq;, & qualibuscunque demonstrationibus: quibus tamen illi persuaderi non potuerunt, nè Deo quidem ipsis ad nutum*

אתפיסו

(vt

(vt sic loquar) obsequente in edendis prodigijs. Quâpropter ob adamantinam ceruicem postremò fuerunt diuino iuramento exclusi.

Et videmus non potuisse intrare, propterea quòd non crediderant. *En quarè dixit non persuasos, vt Deo, Mosi, Aaroni, Iosue, Caleb, aliisq; fidem adhiberent. Eorum vera soboles, ad quos scribebat Apostolus, nutabant; deq; Dei pollicitis pessimè iudicabant; & similibus insuper vitiis laborabant: qua de caussa Paulus nunc infidelitatis, nunc peccati facit mentionem; & alibi fidem, alibi sanctimoniam requirit; quia vtroque isto modo disiungimur à Christo.*

# CAPVT QVARTVM.

*VIDIMVS enarrato proximè capite Paulum apostolum nos terrentem propositis, & enarratis aliquot psalmorum versiculis; nè Hebræorum exemplo libidine, murmure, temulentia, aut alio quouis scelere Deum offendamus, cùm ob huiusmodi nõ ignoremus illos in Dei regnum intrare non potuisse: nunc vt apostolicæ disputationis filum intelligamus; nonnihil adhuc ex iisdem delibat versiculis; sed tractat tamen paullò aliter, neq; tantùm ethicè, sed etiam anagogicè. Nam audiemus superesse requiem Christianis, quam olim malè instituti Iudæi persuasum habebãt sibi in Palæstina obtigisse; & alium longè esse sensum oraculorum diuinorum. Verùm ista meliùs, vbi res tota*

*fuerit proposita. Igitur vt summam capitis habeamus; docet Apostolus Christianum hominem nunquam receptum iri in regnum Dei, nisi rectæ fidei vitæ sanctimoniam adiiciat, neque esse satis, etiam si totum euangelium digitis notus habuerit, nisi in affectus illud, moresq; traduxerit: deinde addit idem esse ingens, ac certissimum discrimen iis, quibus persuasum est rerum ipsarum sufficere notitiam, quibus futurum est, vt incidant in gladium ancipitem, pœnasq; luant. Cæterùm illud studiosi debent habere sibi propositum, Apostolum hîc nos erudire, quid debeamus cum in aliis rebus vniuersæ scripturæ, tum in Dei promissionibus intelligere. Nam plerique dum audiunt in veteri testamento promitti ficus, agros, vineas, liberationem ab hostibus, nihil putant esse magnificum, & cum Hebræis grammaticis earum rerum simulacra concipiunt animis, ac proinde non admodum afficiuntur: sed qui Paulum sequuntur interpretem, & ænigmata Iudaica nobis factas promissiones occultare cognoscunt, illi cum magna voluptate, & fructu legendis, & euoluendis talibus occupantur. Nunc ad ipsum caput.*

| *Syr.* | Vulg. |
| --- | --- |
| Quapropter timeamus, cùm reliquũ sit promissum introitus in requiẽ eius; ne quis inueniatur in vobis, qui deficiat ab introitu. Ete- | *Timeamus ergo, ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem eius, existimetur aliquis ex vobis deesse. Etenim & nobis nuntiatum est.* |

Etenim & nos euangelizati sumus, quēadmodū & illi. Sed non profuit illis verbum, quod audierāt: propterea quòd non admixtum esset fide ipsis, qui audierant ipsum. Introimus autem nos in requiem, qui credidimus. Quē admodum autem dixit: Sicut iurauí in ira mea, non intraturos in requiem meam.

*est, quemadmodùm et illis: sed non profuit illis sermo auditus, non admixtus fidei ex ijs, quæ audierunt. Ingrediemur enim in requem, qui credidimus quēadmodùm dixit Sicut iurauí in ira mea, si introibunt in requiem meam.*

*PRiusquam rem ipsam aggrediamur, libet Pauli decursum parumper intueri. Dixerat omninò Iudæos, quorum cadauera nè honorem quidem sepulturæ sortita sunt, propter peccata excluſos à regno Dei; quorum exemplo nos admonens, Caueamus (inquiebat) nè et nos ab illa requie, nobis per Dei gratiam propoſita, & promiſſa, excludamur. Neque tamen erit periculum, nè Dei promiſſa vana sint, si non obediendo præceptis illius exciderimus. Nam vt Iudæi propter infidelitatem, manente veraci Dei promiſſione, non sunt admiſſi: ita niſi Christianus fide, & charitate præditus sit, fruſtrà sibi locum istic pollicebitur. Sed quam tu mihi requiem narras? Audio rebus conditis Deum conceſſiſſe quieti, lego Ioſue populum Dei deduxiſſe, quò vacationem à bellis se credebant,*

debãt accepturos, et ad postremum Dauid, Si intrabunt, inquit, in requiem meam. Iudaizantes de Palæstina intelligunt: sed Apostolus declarat satis neq; Mosen, neque Dauidem de alia, quàm æterna requie intellexisse. Si enim de illa intelligeret qualicumque per Iosue præstita, post tantum tempus non potuisset dicere Hodiè. Deinde illi iam inducti erant in illam terram lacte, & melle manantem, cùm Dauid ista vaticinaretur. His ad istum modum semel perstrictis, ipsum contextum decurramus.

Licet נרמל desit in Viennensem impresso. M.S. tamẽ habet.

Quápropter cùm reliquum sit promissum. &c. Lucas non tam de suo, quàm Spiritus instinctu apposuit, tineamus. Causæ significationem suggerit Oecumenius. Is enim annotauit, non esse dictum ab Apostolo: Nè quis desit, sed per quandam veluti extenuationem: Ne quis existimetur deesse, nè nimiùm premeret ægerrimos animos: Lucas autem post quatuordecim annos hanc epistolam græcè conscribens non tam Hebræis, quàm nobis, non putauit sibi ab isto verbo abstinendum, quo magis nos excitaret. Timeamus igitur: quia Iudæi passi sunt repulsam. Nec illud prætermittẽdum, syrum kaiom idem significare, quod Latinis relicta, & Græcis καταλειπομένης, nempè, derelictionem, ac desertionem, ac præterea supereſſe, ac restare, vt hoc eodem capite mox vsurpabitur ab Apostolo. Itaque hunc esse sensum facilè adducor vt credam. Cùm certum sit supereſſe promissionem introitus in regnum: (est enim veluti quædam totius capitis propositio) quid supereſt? Alij tamen firmam, sed Caluinice, alij stantem, malunt intelligere.

יום

Nè quis inueniatur in vobis, qui deficiat ab intro-

introitu. *Non tantùm in syro Paulo, sed etiam in græcis emendatioribus, Chrysostomo, Theodoreto, Oecumenio, Theophylacto legitur* Vobis: *licet contrà sentiant viri doctissimi. Nam quamuis,* timeamus, *verbum satis indicet personam: Apostolus tamen per προσποίησιν indicat, qui falli possint in isto introitu. Hinc primùm docemur non obliuiscì Christianæ institutionis; & nè pastores animarum Christianarum se credant securos, quantúmvis ipsi præclarè se gerant; si populus illorum fidei traditus, in aliquod discrimen adducatur. Ego (inquit Paulus) metuo non de me; sed nè quisquam vestrum pereat: cùm sanguis vester non priùs de vestris, quàm de nostris manibus sit requirendus. Prætérea dum dicit Lucas* timeamus, *ostendit cuique esse mandatum de proximo; quod magnopere dolendum est vsque adeò abiisse in obliuionem. Dum enim quotidie fœneratores, ebriosos, fures, &c. cernimus, nec corripimus: num (quæso) locus isti formidini est, nè illi aberrent ab hoc introitu regni Dei? Ista quidem non malè. Ego tamen semper eximium iudicaui, cùm in voluendis scripturis illud exactum deprehendimus, quod sacri scriptoris oculis obuersatum dicere possumus. Itaque sancti patres dicunt hìc esse metaphoram, petitam à viatoribus, quorum aliqui fessi labore desident; alij fortiter præuolant, & anteuertunt; vt in illo Dauidis sacro bello contigit contra Amalechitas. Fratres, ait Paulus, instituimus iter versus supernam Ierusalem; &, si mihi credatis, opus est festinato; quia valdè metuendum est, nè clausas fores inueniamus, quas frustrà postea pulsabimus: quocirca nè quis subsistat lassus, aut vsquàm hæreat,*

*oblitus institutæ viæ. Sunt enim Christiani non quæuis hominum confœderata multitudo; sed vnum corpus, & singuli membra, & caro Christi. Quemadmodum autem nõ tantùm ad caput, ac præcipuas partes corporis; sed etiam ad singula membra pertinet, si aliquod membrum depereat: sic non tantùm principes christianissimi, sed etiam quisque proficiscentium, pro sua virili, debet aduigilare, nè quis excludatur à regno. Nam tametsi reliqua sit promissio Dei nobis omnibus: illa tamen potest nostra socordia, & ignauia intercipi.*

Etenim & nos euangelizati sumus, quemadmodum & illi. *Sumus ad regnum inuitati, & quidem lectissimo nuntio, & pollicitatione. Nam filium suum Deus misit; dein Apostolos, doctores, &c. quibus qui crediderunt, & obtemperarunt, dicuntur euangelizati. Notant autem veteres interpretes hîc non expleri alteram partem comparationis; vt intelligeremus aliud illis, aliud nobis allatum nuntium: quod non videtur vsquequaq; solidum; quia infrà habituri sumus non minùs ad Iudæos, quàm ad nos euangelium pertinuisse. Quæ autem adhibebantur de ficu, melle, lacte, & similibus, inuolucra tantùm erant, & integumenta præstantiorum munerum, vt qui gemmas cistellis, aut sericis obuolutas regibus offerret. Iudæi autem copiosam prolem, frugum vbertatem, pacem, &c. quæ instar capsularum pretiosum euangelij calabant margaritum, pueriliter amplexi; quod intùs latebat neglexerunt: quemádmodum etiámnunc pars multò maxima vulgi Christiani quantúmvis purum putum aurum sacræ doctrinæ oblatùm explorent manibus,*

bus, longè tamen aliud somniant, quàm vitam æternam. Itaque refert plurimùm in vniuersa scriptura Iudæos fuisse euangelizatos sicut nos, tametsi in vmbra: quia necesse est, si reliqua sit nobis promissa requies, talem esse, de qua antè actum fuit. Euangelium autem eam pollicitationem continet. Sed inquiet aliquis; probet Paulus ea promissione posse quempiam excidere; nisi hæc frustrà concionari videri velit in veritatem diuinarum promissionum.

Sed non profuit illis verbum, quod audierant. Euangelium (nam istud est verbum) lætiorá, de patefacta requie Dei nuntius nihil attulit commodi; immò (sed reticuit Paulus, nè terreret nimiùm) plus obfuit. Quare non profuit?

Proptérea quòd non admixtum esset fide ipsis, qui audierant. Primùm, Chrysostomus cùm suis syntomiastis videtur legisse commixtos; quasi Iudæi in massam commodè subigi non potuerint, ob inopiam fidei: déinde græcanicum datiuum πίστει, quem latinus seruauit interpres, plerique vertunt in ablatiuum instrumenti; quibus suffragatur syrum beth præfixum. Quod autem sequitur, τοῖς ἀκούσασι, quidam referunt ad Iosue, & Caleb; alij ad Mosen, & Aaron; nonnulli ad vtrosque, nec desunt, qui neutro genere exponant. Quæ audierant: sed germana lectio ex syra versione monstratur. Non profuit verbum non admixtum, siue attemperatum. Quo instrumento? Fide. Quibus? Ipsis, qui audierant. Iudæi verbum Dei per Mosen, & prophetas audiuerunt: hoc tamen euangelium de oblata requie, tametsi cognitum, & intellectum, non profuit: quia non fuit illis admixtum. Quid hoc est?

*Rectè monet Theophylactus significari intimam cõmixtionem. Est metaphora petita ab aqua vino commixta. Nam istorum verbum circunstrepens auribus, mentis interiora non penetrauit. Non erat illud auditum, acceptum, & intellectum fide, id est, non credebant: adeò vt quidam non crederent, & necipsam arculam, in qua thesaurus claudebatur, obtrudi sibi paterentur. Alij in ipsis hærentes extimis putaminibus, cætera negligerent. Proinde istud admisceri est fide formata, id est, credulitate, & charitate preditum esse. Hæc igitur est ratio, qua fit, vt alioqui certissima Dei promissio frustrà sit. Si enim non credideris promittenti, aut si fidem adhibueris, nolis eius legibus vitam ducere: non est quod te ob inanem credulitatem speres adsecuturum. Igitur est fides tanquam instrumentum, quo doctrina, concliones, lectiones, & quicquid est eius generis, affert aliquam hominibus vtilitatem. Sic dicitur in terram bonam Dei semen decidere, sic fides alibi salutem apprehendere, sic bonis operibus eandem in tuto collocari, sic opera bona non nudos nos in die iudicij constituere. Namdum fides cum charitate mordicùs apprehensa tenetur, necesse est sequatur promissio. Sic propositis rebus duabus abunde probatis, pergit Apostolus.*

Introimus autem nos in requiem, qui credidimus. *Qui audierunt, nec crediderunt, non intrarunt, quia verbum eis non profuit: nos autem, qui credidimus fide perfecta, qui conamur proposita inibi mandata seruare, nos (inquam)* Introimus, *quod eleganter dictum est. Ne te putes securum, at tenere iam ob solam fidem promissiones, quemadmodum*

*modùm faciunt hæretici, qui miserè sudant, cùm hoc loco audiunt Apostolum differentem de amissione promissionis. Voluit Paulus (inquiunt) hebræos terrere. Quæ hæc est dementia? Quis enim metuat, quod suæ saluti non aduersetur? Fruſtrà pericula veretur, qui certus est de incolumitate. Sed Paulus (ita nugatur) isto cuneo veternum excutit. Quantò fuisset simplicius, & candidius dicere hominem posse excidere, & nimis quàm multos excidere; vt quotidiana docent exempla? Nos ergo introimus; nondum introiuimus, sed etiam nunc in progressu sumus: quia & aliud est domo iam ornatum prodire, atque ad conuiuium tendere; aliud iam ingressum accumbere. Sic homo tãtisper inuitatus, properat ad regis æterni nuptias: non autem priùs perfectè dicitur admissus, quàm fœlici morte functus, æternam quietem capessiuerit, solutus omni labore. Interea negari non potest eum, qui à fascinis diaboli est expeditus, qui liberatus ab iniquitate pacem iniit cum Deo suo, nonnullam habere quietem; sed quæ sit tantùm leuis gustus futuræ. Sed ista meliùs audiemus à Paulo.*

Quemadmodum autem dixit (*nimirum* Dauid)

Sicut iuraui in ira mea non intraturos in requiem meam. *Quorsum ista? Probant requiem nobis esse repositam; si pactis steterimus, fidemq; seruauerimus. Quæ sit sententia, iam suprà dictum est; tantumq; de ratiocinatione nonnihil. Quia videbatur Iudæis inuidiosum apertè dicere quosdam nõ ingressuros in requiem Dei: Paulus non sua, sed Danidis verba substituit. Erat enim parata calumnia.*

Visue,

*Visne, Paule, dicere Dei promissionem non sortituram euentum? Itaque Paulus ex sacris tabellis diuinam recitat sententiam, qua simul apertè conuincitur superesse quietem; & tamen plurimos excludendos; nec vllos eam adepturos, nisi qui fuerint mortuis in deserto longè dissimiles, id est, qui credant, operentur, viamq; Dei sequantur. Nunc est è diuerso docturus eos, qui gnari sunt viarum Dei, intraturos: priùs tamen id, a quo Iudæi maximè videbantur abhorrere, copiosiùs tractat, & confirmat.*

*Syr.*

Quia ecce opera Dei ab initio mundi facta fuerãt; quẽadmodum dixit de sabbatho, quòd requieuerit Deus die septimo ab operibus suis omnibus: & hic rursum dixit, quòd nõ introibũt in requiem meam. Quapropter cùm (re vera) sit locus, quo vnusquisq; introeat, & ij, qui priores euãgelizati sunt, nõ introierũt, propte-

Vulg.

*Et quidem operibus ab institutione mundi perfectis. Dixit enim quodam loco de die septima sic: Et requieuit Deus die septima ab omnibus operibus suis. Et in isto rursum: Si introibunt in requiem meam. Quoniam ergo superest introire quosdam in illam & ij, quibus prioribus annũtiatum est, non introierunt, propter incredulitatem. Iterum*

pterea quòd nō crediderunt: rursum diem alium constituit post tantum tēpus, sicuti suprà scriptū, cùm dixit Dauid: Hodiè si vocē eius audieritis, non obdurabitis corda vestra. Si namque Iesus Nun quietasset eos; non dixisset hæc de die alio. Quare reliquus est sabbathismus populo Dei. Is enim, qui introiuit in requiē eius, requieuit & ipse ab operibus suis; sicut Deus à suis.

*rum terminat diem quendam, Hodie in Dauid dicendo post tantum temporis. sicut suprà dictum est: Hodie si vocem eius audieritis; nolite obdurare corda vestra. Nam si eis Iesus requiē præstitisset: nūquàm de alia loqueretur posthac die. Itaq; relinquitur sabbathismus populo Dei. Qui enim ingressus est in requiem eius, etiam ipse requieuit ab operibus suis, sicut à suis Deus.*

QVia ecce opera Dei ab initio mundi facta fuerant. *Qui Lucam concedunt interpretem, hodiè voculas καὶ τοι reddunt licet. quamuis &c. & hîc commentatores plurimùm laborant. vt sensum aliquem eliciant. Plerique volunt aliquid subaudiendum; alij præcedentibus connectunt; & an integram sententiam seorsim constituant, disceptatur à nonnullis: sed re tota diligenter perpensa, arbitror*

*bitror esse colon anameson praecedentis periodi, hoc sensu: Deus nouit illos errones nunquàm ingressuros in requiem suam; & id quidem operibus suis iam consummatis ab initio mundi, cùm dictus est à Mose quieuisse ab operibus suis: multis tamen annorum centuriis pòst, ausus est Dauid dicere:* Si intrabũt in requiem meam; *quòd si nulla supereßet requies, non ista dixisset ex persona Dei. Ex hac particula adiecta testimonio Dauidis euidentißimè consequitur supereße requiem, quæ maneat omnes pios. Itaque rectißimè vertit noster interpres.*

Sicut dixit de sabbatho, quòd requieuerit, *&c. Vulgus ita solet istud explicare, non quòd nihil agat Deus (vt apud Ioannem Christus adseruit) sed quòd à noua creatione cessarit: sed an ista explicatio quadret, aut sufficiat, aliis despiciendum relinquo: certè Apostolo non satisfacere in fine huius pericopes videbimus. Nam illa externa fuerunt tantùm vmbræ quædam, & littera, in qua Deus volebat à suis spiritum videri; vt in mentem veniret longè diuersa, & excellentior quies. Verùm ista differantur in locum alium, vbi Apostolus nos compellet in sublimiorem, magisq; spiritalem sententiam.*

Et hîc rursum dixit. καὶ ἐν τούτῳ *habent Græci: nimirum, psalmo Dauidis 94.*

Quòd non introibunt in requiem meam. *Quid hinc conficis Paule?* Quápropter cùm (re vera) sit locus, quò vnusquisque introeat. *Quia Deus se habere requiem ostendit, nec sibi tantùm, sed suis, nec infideles intraturos, quibus alioqui, si fideles fuissent, erat promissa; neque tamen illa frustrà est, aut superuacanea: supereßt ingressuros*

aliquos,

*aliquos, si duntaxat fide præditi, & gnari viarum Dei fuerint. Dum enim dicit istos exclusos, non obscurè indicat potituros quiete alios, quibus erit melius cognita Dei voluntas. Est autem notanda vox vnusquisque, pro qua Paulus, ostendens hæc etiam singillatim fieri, hebræa phrasi enos enos Homo, homo habet: Tu Iudæe hinc dum emigrabis, illuc ingredieris; si fidelis sis. Sequitur liquidius argumentum.*

אנש

Et ij, qui priores euangelizati sunt, non introierunt, &c. *Hinc apparet etiam Iudæis Euangelium tribui, quod quidam negabant superius. Fuerunt Iudæi à Dauide, & aliis Dei nuntiis inuitati ad istam requiem; immò iussi, & penè compulsi, vt intrarent: sed nihil effectum. Moses Dei mentem, fidem, & religionem eis inculcauit, sed frustrà: quia nec in Palæstinam intrarunt, nec in requiem Dei, sed in inferno sepulti; quia non crediderunt euangelio.*

Non crediderunt. *Notanda est syri verbi proprietas, et hthephisu, quod ab acquiescẽdi significatione non est alienum; vt in quietis metaphora persistat Apostolus.*

אתפיסו

Rursum alium diem constituit post multum tempus. *Tametsi de illo septimo die dictum illud fuisset: tamen post ter mille plus minùs annos nihil cunctatus est Dauid dicere.*

Sicuti suprà scriptum est, cùm dixit Dauid. *Ista græcis, & latinis magnam lucem præbent.*

Ioannis 5.

Hodiè, si vocem eius audieritis, non obdurabitis corda vestra. *Apostolus vrget vocem* hodiè, *quia tantum temporis elapsum erat, & adhuc hodiè dicitur. Certum est igitur alium diem super-*

esse

esse ad capessendam requiem.

Si namque Iesus. *De hoc nomine in Matthæo, & Catechesibus sæpè dictum est: tantum hic sciendum, successorem hunc Mosis idem nomen cum seruatore nostro habuisse; quæcumque vel olim Iudæi, & Rabini, vel etiam nunc fingant, & legant. Prorsus enim ita pingitur à Syris; vt non solùm typum gestarit ille seruatoris, sed habuerit etiam nomen commune.*

Filius Nun. *Græci quadam inolita deprauatione νάυη legunt. Si Syrum putes vocabulum, quod mihi nequaquàm probatur; piscem significat: si hebraum; potestatem, quod non malè conueniet.*

Quietasset. *Si id factum esset; certè qui ab ea gente erat oriundus, quam ipse Iesus Nun introduxerat in Palæsthinam, non videtur Dauid de alia die ista dicturus; nisi compertum habuisset remansuram nobis opportunitatem perueniendi in illam requiem, longè diuersam ab illa diei septimæ, vel Palæsthinæ.*

Quarè. *Complexio est.*

Reliquus est. *Est eadem vox, quæ occurrit in initio capitis. Est autem cum magna certitudine.*

קים *Nam kaiom non quouis modo superesse; sed ita, vt non sit periturum, significat: vt indicet Paulus certam, fixamq; superesse requiem, quæ nullo conatu poterit impediri, si modò pacta seruentur.*

Sabbathismus. *Quietem dicere possemus: sed ob dictionis mysterium retinere visum est. Nam cùm antè in syro, & græco quietis vsus sit dictione,*

למשבתו *hic habet vocem lemaschbothu, in qua latet sabbathum.*

Popu-

Populo Dei. *Nō Abrahamitis, aut Iudais, sed iis, qui voluntatem Dei norunt, & faciunt.*

Is enim, qui introiuit in requiem (suam.) *Potest intelligi de requie Dei, & eius qui introiuit: Paulus tamen videtur posteriorem magis habere sententiam. Deus enim fuit in requie sua, cùm cessauit ab operibus suis.*

Græcis est ἀυτοῦ. i. eius, sed nō rarò pro ἑαυτοῦ sumitur.

Requiem & ipse ab operibus suis. *Qui verè quietatus est, ille feriatur ab operibus suis. Itáne ergo nihil agit, nec studet, nec manibus operatur quie quam? Facessat sensus Iudaicus, & ex Ioannis reuelatione discamus intelligere de iis operibus, quæ à Dei laude, & contemplatione impediunt. Ibi enim animalia irrequieta laude narrantur concelebrare Deum: nec alia erit exultatio iustorū, quæ non eos fatigabit, sed beabit, vt omittam libertatem à peccatis. Nam parùm esset cessare à seruilibus operibus, nisi securi essemus ab omni peccato, & miseria, quæ præsentem vitam nos tranquillam ducere non patitur. Iuuaret consulere quintum caput extremum Geneseos, vbi Lamech filio suo Noacho nomen imponens:* Ipse enim, inquit, requiescere nos faciet à labore, siue dolore manuum nostrarum in terra, cui maledixit dominus. *Quid enim sibi vult prophetia Lamech huius (nā alius malus homo fuit, et homicida) nisi quia typo tribuebat, quod ad antitypū pertinet, nemē? cuius veriloquium solus præstiturus erat Christus. Nam quòd Hebræi, scrutatores vocū, aiūt Noë excogitasse aratra, vomeres, ligones, & quicquid est rusticanæ supellectilis, nimis ineptū, ac insulsum est, nec fuerunt prophetæ de rebus talibus soliciti. Et nè huc adferendo Chrysostomum,*

Apoc. 4.

Genes. 5.

*stomum, & Ambrosium libro de Noë, & arca, prolixior fiam: vera est, authore D Petro, sententia, est esse Noë typum Seruatoris, qui primùm bonis hic à peccato, deinde translatis in regnum suum perfectam à miseria requiem contulit.*

Sicuti Deus à suis. *Tantùm non creando nouas rerum formas? Nequaquàm. Post Augustinum Iunilius eleganter: Deus, inquit, cessat non quiescendo, sed creaturis suis requiem præstando, & agendo, vt in se summa beatitudine fruantur. Dum igitur Genesim legimus, debemus hanc Pauli conferre sententiam: & tametsi priorem illam expositionem veram esse fatear, non tamen debemus nouam cessationem excogitare. Postremò sicuti Deus non solùm ipse quietus est, sed alijs omnibus quietem præstat: ita verisimile est à perfectissimis spiritibus in inferiores quandam suprema quietis, veluti per manus deriuationem fieri.*

*His ad hunc modum propositis, nunc ad exhortandum se conuertit Apostolus, & probatissimis testimonijs ostendit eos esse stultissimos, qui non velis, ac remis eò, quò dictum est, contendunt. Acturus est potissimùm de vi, & efficacia verbi Dei, siue scripti, siue auditi.*

| | *Syr.* | Vulg. |
|---|---|---|
| Ad verbũ, Cadamus. | Studeamus igitur introire in eam requiem, nè excidamus eo modo, quo illi, qui non credi- | *Festinemus ergo ingredi in illam requiem: vt ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum.* |

de-

derunt. Viuus est enim sermo Dei, & omnia patrãs, & acutior gladio ancipiti, & pertingit vsq; ad diuisionem animæ, & spiritus, & cõpagum, & medullæ, & ossium; & iudex est cogitationum, & affectionum cordis. Neq; est creatura occulta ei; sed omnia nuda sunt, & aperta oculis eius, cui loquimur.

*plum. Viuus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ, & spiritus, compagum quoq;, ac medullarum, et discretor cogitationum, et intentionum cordis. Et non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius, omnia autem nuda, et aperta sunt oculis eius, ad quem nobis sermo.*

Omnificus, si Latini ferrent. Cui duo sunt ora.

Vel, coram eo. Cui damus verbum, participiũ est iehabem יהבין dantes, quod aliꝑ ga. persona ad omnes iudicandos referunt, pethgomo פתגמא rationem interpretãtes, nimis apertè contra sententiam gr. & Lat. Pauli. cui nos nostram translationem meritò accommodauimus.

STudeamus igitur introire. *Quid causæ est? Quia sine fide non peruenitur. Noster habet*, festinemus; *rectè, cùm festinatio studium habeat. Vox tamen syra significat studium concertantium, vbi alius alium secum rapit; eadem, qua dicuntur sacerdotum principes conciasse turbas, vt Barabban peterent.*

In requiem illam. *Emphaticum est. Quæ sola hominem reddit beatum. Et vt intelligas, quantum sit periculũ in sola cunctatione, qua dicunt nonnulli: Satis tempestiuum erit, vbi senuero, vbi florem ætatis detriuero: addit.*

Nè excidamus. *Nè cadamus (vt habuimus capite tertio, vbi dicebantur in deserto cecidisse) nè nos apprehendat æterna damnatio. Agitur enim de ruina, quæ hominem in extremam deturbat miseriam. Illorum igitur nos exemplum erudiat: nam quicquid vel gesserunt, vel sunt passi, nobis est exussu. Si enim Lamech facinus tantopere vnius Cain precedens exemplum exaggerauit: quid fiet post mille alia parricidia tam atroci vindicata supplicio? Sed nunc intueamur verbi Dei, quasi in tabella depictas, proprietates.*

Viuus est enim sermo Dei. *Putabimúsne dicere Paulum verbum ecclesiastarum esse viuum? Ita interpretes, & potissimùm hæretici, hîc mirum in modum contentiosi, vt conciones non tantùm catholicas, sed & suas doceant esse viuum Dei verbum, acutum, & efficax. Ac tandem sibi obiiciunt multos auditorum contemnere; ac tùm non apparere efficaciam: & respondent etiam tùm esse viuum: quia pungit, & flagellat contemptrices conscientias. Sed viderint ipsi, quomodo id tueantur; cùm plerique ita obduruerint, vt nihil prorsus sentiscant. Talibus tamen illi cuniculis tentant viam ad suum mathematicum infernum. Nos autem ista, quæ multi veterum ad ipsum Dei filium pertinere volunt, de scripto Dei verbo nequaquàm intelligemus. Quid ergo? Feruntur quarundam vrbium edicta ad triduum, dormitantibus, nempè, aurem in vtramque legum promulgatoribus: non sic est verbum Dei: sed capessentes requiem Dei persuasum habere necesse est, verbum Dei non esse diuersum à Deo loquēte. Aliud est leges tantùm mandatas esse chartis, aliud legis-*

*lato-*

*latorem vrgere, atque instare. Dei sermo non tantùm syllabis, & voculis momentaneis constat: sed qui loquitur ipse, pro omnipotentia sua vbique præsens, omnia perscrutatur; ac perpendit, quomodo, quæ per suos amanuenses, ac interpretes eloquitur, ab vnoquoque legantur, & excipiantur. Itaque Deum in suo sermone, illiusq; leges, tanquam vita diuina præditas, venerari, ac suscipere oportet.*

Et cuncta patrans. *Non tantùm vigilat vbiq; præsens: sed etiam est omnipotens; vt quicquid vult, efficiat. Notandum est vocabulum saaro proprie ad punitionem peccatorum pertinere; quasi eò restringens dicat: Valens inferre rebellibus vltionem, quod alij iudices, ac reges non perinde habet vbique in potestate. Si quis sit dignus gehenna; statim vbi clamor ascendit in cœlum, & mensura completa est, in puncto temporis detruditur ad inferos. Prædicatur hoc loco prompta vltio in refractarios.* סערא

Et acutior gladio ancipiti. *In promptu est metaphora. Sicuti gladius biceps facilè secat, aut transadigitur: sic verbum Dei hominem repentè cõficit. Quod tamen non fit semper: nisi quandò venire libet ad iustitiæ partes. Quæ res obseruanda est in multis scripturæ locis.*

Et pertingit vsque ad diuisionem animæ, & spiritus. *Non tantùm secat carnem, sed porrò descendit vsque ad intima hominis. Animæ nomine sedes affectuum voluntas, cupiditasq; signantur: spiritus autem, suprema in homine ratio. Deus, seu illius sermo, siue viuus hic legislator, penetrat vsque ad mentem: sed homo carnalis magis mouetur illa metaphora.*

Et compagum. *Syrum vocabulum significat contignationes.*

Et ossium. *Hoc addit Syrus. Nihil est impervium illi acutissimo, & penetrātissimo verbo* Dei. *Nè autem putemus in carne tantùm hærere, addit.*

Et iudex est κρίτικος; *vt qui nigro, candidoq; notabant, appellati sunt Aristarchi.*

Cogitationum. *Si quis tantùm animo, & voluntate repugnat sermoni.*

Et affectionum cordis. *Noster interpres elegantèr intentiones posuit, licet eadem sententia. Videre est in quibusdam tantam nouarum rerum libidinem, tantam ad cleri, sacrorumq; omnium contemptum, ad seditionem, & reliqua flagitia proclivitatem: vt tantùm desideretur incentor, ad leuissimum motum eruptura flamma.*

Neque est creatura occulta ei. *Vtinam hæc nobis in angulis, & penetralibus in mentem venirent; vbi non deest ille cœlestis oculus, & perspicacissimus arbiter.*

Sed omnia nuda sunt. *Scitissimè ad concutiendos animos ista dicuntur. Credunt enim ferè homines præclarè se habere omnia, modò nullus testis adsit, & hypocrisi cuncta inuoluantur, fucisq;, & fraudibus imponatur mundo.*

Et aperta oculis eius. *Ni propositum esset, quantùm licet insistere latinæ versioni, dixissem* Reuelata. *Priùs enim velantur ab hominibus; sed posteà verbum renudat, & aperit eadem: vt simul intelligamus malitiam hominis obuoluentis, & verbi recludentis potentiam.*

Cui loquimur. *Quidam, De quo loquimur, nimirum*

mirum sermone: qui sensus est Græcis maximè obuius: alij, Ad quem est nobis sermo, dum ei contradicimus, dum contra hoc verbum viuum, & omnipotens agimus: alius aliud placet, Cui nos in extremo iudicio rationem appendemus omnium. Igitur tam terribilis iste Dei sermo: cui, vt potè viuo legislatori, omnium dictorum, factorum, cogitatorum reddenda est nobis ratio. Ego tamen nè istâ quidem, quamuis à præcedentibus non multùm abludentem sententiam sequor: sed hanc veram potiùs reor, Cuius fidem nos profitemur. Mox enim sequitur: teneamus confessionem eius: Vndè mihi sit probabilius fidei professionem indicari, quandò quis vocatus ad impiorum iudicum, & principũ tribunalia, quod Deus vult illum confiteri, non subticet: vt sit hic, meo iudicio, germanus sensus, Cui confessione fidei nostræ cupimus nos approbare. Illa autem confessio non solum censenda est complecti oris libertatem; sed & vitam exactam ex formula confessionis. Et hæc nisi faciamus; adituri sumus horrendum discrimen, quandò iste index cordium abditissima volumina penitùs explicabit.

Absolutis iis, quæ ad apostolatus Christi tractationem spectabant, quam fuerat capite tertio ingressus: nunc de pontificali dignitate disputabit; eamq; præferet in immensum Aaronicæ. Quare nihil magis tempestiuum, propter hæreticos, qui nihil æquè habent exosum, quam ipsum pontificis, & sacrificij nomen; adeò vt hanc in partem omnem maledicentiam eiaculentur. Et quia occasione Paulinorum verborum nobis maledicunt, & conuellunt, quantùm in se est, Ecclesiæ dogmata: nos eadem opera su-

*mus & veram intelligentiam allaturi, & ipsorum depulsuri calumnias. Nam, qui me consultorem audierit, orthodoxiæ studiosus, nè malè causam optimam tueatur, dabit operam, vt quàm optimè sit hac in epistola versatus. Nè quis tamen hîc præproperus sit, totam materiam Paulus non priùs euoluet, quàm ad quintum caput perueniamus: intéru in iis, quæ proximè sequentur, delibat paucula de fructu, & consolatione, quam haurimus ex sacerdotio Christiano, vt quæ de Dei verbo tam horrenda præmiserat, ex parte mitigaret, nè Iudæos afflictissimos videretur metu adobruisse. Sed priùs de titulo, qui indicat, quo tempore Syra ecclesia hac parte vtatur.*

Surrectione secunda noctis feriæ sextæ crucifixionis. Ex *hac inscriptione liquet, quo pacto sint accipienda, quæ de Christi sacrificio, quod in cruce peractum est, dicuntur.*

| *Syr.* | Vulg. |
| --- | --- |
| Cùm igitur nobis sit princeps sacerdotum magnus Iesus Christus filius Dei, qui ascẽdit cœlum: teneamus confessionem eius. Non enim est nobis princeps sacerdotum, qui nequeat affici languoribus nostris, sed ten- | *Habentes ergo põtificem magnum, qui penetrauit cœlos, Iesum filium Dei: teneamus confessionẽ eius. Non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia* |

tentatus in omnibus sicuti nos, citra peccatũ. Appropinquemus ergo aperto oculo throno gratiæ eius, vt reportemus miserationem, & inueniamus gratiam in auxilium in tempore angustiæ.

*mnia, pro similitudine, absque peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.*

*QVem Græci ἀρχιερέα, Syrus principem sacerdotum vocat: vt intelligamus ita Christum esse pontificem, vt sub se habeat gregarios pontifices, ac sacerdotes, sicq; retundantur ij, qui aiunt sacrilegium, si quem audiant vocari sacerdotem. Si lingua Syra passa fuisset, dicturus erat Paulus, Ter maximus pontifex, & sacerdos, cui reliqui ministrant sacerdotes.*

Iesus Christus filius Dei, *id est, Deus, vt filius fabri faber.*

Qui ascendit cœlum. *Hoc angustè dictum, & exiliter. Lucas* διελήλυθότα, *noster optimè penetrauit. Qui transcendit cœlos, ipse infra se cœlos despicit. Quorsum ista? Ostendit immensum discrimen inter Aaronem, & Christum, inter vetus sacerdotium, & nouum. Cùm enim sit Moses insignis, & eximius, nec terram tamen est ingressus, & Aaron iussus est mori, priusquam fœliciores regiones vel posset inspicere: at noster Iesus populum secum induxit, nec successore opus habuit, sed disruptis inferorum*

rorum claustris captiuitatem secum in fœliciſsimas ſedes introduxit. Hæc eſt prima antitheſis.

Teneamus confeſsionem eius. *Hoc pronomen græca pleraque non habent: tametſi emendatiſsima habuiſſe teſtetur Eraſmus. Audaculi autem in quibuſdam huc ex capite decimo tranſtulerunt.*

Spei noſtræ. *Hunc ſenſum Latini trahunt ex Marci cap. 7. Nè nobis eripi vllis molitionibus patiamur. Nec illud intempeſtiuum, cùm Hebræi vehementer à ſuis contribulibus ad eierandam fidem vrgerentur: ſed ex proprietate vocis ſyriacæ vellem additũ Retineamus. Eſt enim nechamſen, quod arripere ſignificat, vt hoc mihi velle videatur Apoſtolus, Qui habetis, & retinetis etiam nunc, retinete fortiter: qui autem abieciſtis, recipite, & arripite firmiter, nè iterum elabatur. Loquitur autem potiſsimùm de fidei capitibus in hac epiſtola pertractatis, nimirum, iuſtis ſupereſſe præmium, malis ſupplicium, Chriſtum eſſe verum Meſsiam, ac venturum ad iudicium: quæ omnia in his litteris ſurſum, ac deorſum verſat Paulus, quòd in eis Iudæi titubarent.*

נחמסן

Non enim eſt nobis princeps ſacerdotum, qui nequeat affici languoribus noſtris. *Plerique interpretantur de perturbationibus ira, metu, gaudio, ſpe, ſeu cupiditate, nec malè: optarem tamen diligenter expẽdi ſyram dictionem cerhouthen, quæ occurrit Matth. 4. & 14. Marc. 6. Iaco. 5. & ad morbos, ægritudines, languoresq; pertinet, & quod proprie ad iſtum locum facit, eadẽ legitur, vbi Chriſtus ſe triſtem dicit, & apoſtolorum carnem infirmam. Ex horum enim collatione locorum manifeſtum euadit hîc agi de vitiis humanæ fragilitatis, quibus*

כרהותן
Matt. 26.

*quibus interdum ab officio retrahimur, atque ad cierandum fidem pellicimur, non de sonticis, & ex malitia nequiter patratis, & ius, qui diabolum præueniunt.*

Sed tentatus in omnibus, sicuti nos. *Quid hoc sit, dictum est in fine capitis secundi ex Ignatio. Diabolus enim, pro sua malitia, putabat per incommoda, & aduersitates huius vitæ aliquod incommodum illatum iri nostro seruatori. Tentatus igitur ab ethnicis, Pilato, Romanis, ac Iudæis, plebe, sacerdotibus, notis, & ignotis, & à diabolo in suis apostolis; vestes abstractæ, corpus ipsum à summo vertice, ad plantas consciſsum, lancinatum, confossum, laceratum; ipsi quoque sensus odore, & amaritudine vexati. Quid multis opus? Vti nihil in corpore mansit integrum, & intactum, ita quoque non fuit immunis anima: sed nequaquàm tamen succubuit.*

Citra peccatum. *Putant interpretes istud positum, vt commonefaciat Hebræos ad Christi imitationem, Date operam vt in nullum, quantùm in vobis est, incidatis peccatum.*

Appropinquemus ergo aperto oculo throno gratiæ eius. *Græcis est iterum dictio παῤῥησίας sicut cap. 3. Nec alia est sententia. Cæterùm particula* ergo *demonstrat ex præcedentibus istud inferri. Hîc autẽ vociferantur aduersarij, non esse Pauli solidam argumentationem; nisi paradoxum de illorum fide speciali recipiatur. Nam si verum est (inquiunt) hominem, postea quàm tota vita laborarit, hinc vbi fuerit emigrandum, posse ambigere; neque esse planè certum, sit nécne Deus illi propitus: non videtur esse locus relictus Paulinæ sententiæ. Quis enim*

enim accedat ad Deum aperto oculo: nisi remissionis peccatorum, et gratiæ affulserit certitudo? Sic illi facilè causſam peroraturi, si fixum esſet illud commentum de cõstitutæ salutis securitate. Omittamus igitur patrum suffragia, & robur interpretum, qui sanctissimorum maiorum fide optima nobis mentem, sensaq; tradiderunt. Istud agamus. An non possum credere Christum pro toto mundo passum, ac mortuum; & simul de mẽipso ambigere, num sim eius perpessionis futurus particeps: cum tam multos videamus contaminatissimè viuere? Num stultum vocabunt ambigentem, vtrum sim admittendus, nécne? Si ego mihi essem vndique pulchrè conscius; si charitatem nullo pacto dilapidassem; sed integram, saluamq; retinerem; fateor illam non relicturam locum peccato: sed dum adhæret fomes; dum additur peccatum peccato; dum cordis humani fibras pertentare non licet; cur non liceat dubitare? Et cùm ista loquitur Paulus, an non apertè Hebræos aliter sensisse, ac iudicasse designat? Atqui venerant ad christianismum, magistrisq; apostolis edocti fuerant, quid de fidei certitudine foret statuendum. Si respondeant hoc loco esse προσποίησιν: quid de alijs omnibus adhortationibus dicturi sunt? Num fortassis inter præcepta eas numerabunt? In hoc igitur argumento videri non potest Paulus illorum vanissimam persuasionem stabilire. Neque tamen malè istud sumit Paulus; támetsi fiduciariam fidem non concipiamus: cùm habeamus pontificem misericordem; vt bona spe simus, beneq; confidamus. Adde quòd interpretes illam Christi dignitatem huc allatam putant sanandis Hebræorum animis, atque in

spem

*spem erigendis: quia etsi Deus sit Opt. Max. nihilóminus homo est, & quidem omnia nostri causa perpessus. Accedit quòd si voluisset Apostolus haereticorum nos somnio credere: isti throno non apposuisset epithetum gratiæ. Quando autem thronum vocat, non pontificem tantùm, verùm & regem, ac ducem indicat. Si quis autem miretur pontifici, cuius est stare, ac laborare pro populo, thronum hoc loco tribui: rationem hanc habeat, quia non solùm est pontificia, sed & regia potestate praditus, ac propterea gratiæ dictionem addidit, vt si quis iudicis, regisq; maiestate, ac seueritate percelleretur, misericordem non ignoraret iudicem. Notandum obiter ex Theodoreto, illud additamentum gratiæ significare Christum, etiam in extremo iudicio, non iudicare semper pro summo iure. Sic ille: caterorum tamen extra hanc vitam nullus misericordiam pollicetur.*

Vt reportemus miserationes, &c. *Hæc pertinent ad eos, qui ex Hebræis exciderant, & peccatis etiam tùm erant obnoxij. Si qui vestrum (inquit) peccauerunt, seu per infidelitatem, seu libidinem, aut alio quouis modo, adeant hunc thronum gratiæ, orẽt veniam, & experientur Deum misericordem, immò sentient miserationes, & copiosam apud Deum misericordiam: Si autem quis hactenus non peccarit, & nihilominus contribulium prematur iniuriis: eodem confugiat, vt accepta gratia persistat, adeat summum pontificem, qui diffuso spiritu suo consoletur, & laborantem adiuuet. Nam quod dicitur:* In tempore angustiæ, *est de persecutionibus intelligendum. Itaque siue anteactorum sc lerum simus adhuc nobis malè conscij, siue non: bona spe esse debemus,*

bemus,

*bemus, ad futurum pontificem vel ad præteritorum condonationem, si non defuerimus ipsi nobis, vel ad futurorum cautionem certissimo præsidio.*

# CAPVT QVINTVM.

*Syr.*

OMnis enim princeps sacerdotũ, qui est ex filiis hominis, pro filiis hominis constituitur, super ea, quæ Dei sunt, vt offerat oblationes, & sacrificia pro peccatis, & qui possit animũ suum submittere, & pati cum ignorãtibus, & errantibus, eò quòd & ipse infirmitatem sit indutus: atque iccircò debet quemadmodùm pro populo, ita & pro anima sua offerre pro peccatis suis.

*Vulg.*

*OMnis namq; pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis, qui condolere possit iis, qui ignorant, & errant: quoniam & ipse circundatus est infirmitate: & propterea debet, quemadmodùm pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis.*

*Hic descriptus est non tantùm princeps sacerdotum, sed etiam quilibet sacerdos: idq; petitis argu-*

*argumentis non ex natura rei, sed tãtùm ex finibus, & functionibus: quod genus descriptionum nè apud rhetores quidem, & philosophos est illaudabile. Nec omittendum, Apostolum, quod aliâs diximus, non solùm conferre sacerdotium nouæ legis cum veteri, sed longè quoque Christum Aaroni præferre, et ostẽdere illius sacrificium albis (vt fertur) quadrigis Mosaicis victimis præcurrere. Verùm ante omnia præstruit ea, quæ communia sunt; docens eadem partim esse in Christo abdicationem, partim non esse, tamq; illorum præsentiam, quàm horum ad eius maximam facere commendationem.*

Omnis enim princeps sacerdotum. *Hæc particula partim probat, quæ præcedenti capite Paulus adsumpsit, partim exorditur demonstrare Christum esse summum, et lectissimum pontificem, qui solus præstiterit, quæ per legem non poterant impleri. Vox autem* Omnis *ostendit hanc descriptionem ad quodlibet sacerdotium, seu veteris, seu nouæ legis. seu ipsius Christi peculiare pertinere. Igitur omnis pontifex, non tantùm Moses, aut Aaron, sed ipse etiam Christus, princeps sacerdotum noui testamenti, ex hominum genere desumebatur. Et dum hoc dicitur, necesse est fateri aduersarios, in Christiana lege esse propriy nominis sacerdotes, quorum ille dici valeat princeps. Nam illi Mosaici non pertinebant ad Christi sacerdotium, & pontificatum, qui initium habuit in fœlicissima diuinæ, & humanæ naturæ coniugatione; finem autem, & sacrificium in cruce. Hos ergo oportet intelligi, qui non tantùm panem, & vinum secundum ordinem Melchisedec offerunt; sed eadem transformãt in corpus, & sanguinem domini.*

Qui

Qui est ex filiis hominis. *Sententia est eadē: sed operæpretium est græcam, & Latinam vocem* λαμβανόμενος, *& assumptus, coniungere; vt constet non esse verum Pontificem, ac sacerdotem, qui homo non sit; vti etiam aduersarij, obliti suorum dogmatum, in suis adserunt commentariis; ac proinde angelos esse non posse sacerdotes, vel reconciliatores, & purificatores; sed oportuisse re vera Dei filium nobis esse similem; ac simul quiddam cum Deo familiare habere eos, quicumque apud nos iis vterentur ministeriis. Et vrgent iidem hostes vehementer, & cum patribus confitentur esse in ea re optimè consultum mortalibus, quòd non habeant iudicem, arbitrum, censoremq; peccatorum, & veniæ largitorem angelum, nostræ naturæ penitùs expertem; sed hominem mortalem, patibilem, ac iccirco propensum ad miserendum. Quandò igitur de ligandi, soluendiq; potestate disputamus; est hinc mutuandum contra aduersarios præsidium. Cur negent alibi sacerdotes remittere peccata, quod hoc loco tam apertè confitentur? Hanc autem assumptionem non rectiùs intellexeris aliunde, quàm ex 17. Numer. cùm agitur de Aaronis diuinitùs ad pontificatum electione. Ibi enim in versione diuini oraculi apud septuag. dicit Deus se adsumpsisse Aaronem in pontificem pro toto populo: vndè Theodoretus, & alij interpretes colligunt in pontificum, & quorumlibet sacerdotum locum non debere quosuis temerè adsumi, sed opus esse magno delectu, & consideratione, vt qui non sit indignus, rectè iudicetur.* ἐκλέξωμαι, *quod est apud septuag. probatum, segregatumq; denotat: vt illam intelligamus seueram, rigidamq;, qualem apud ma-*

iores

*iores nostros in vsu fuisse compertum est, electionem. Habemus notam vnam.*

Pro filiis hominis constituitur. *Hic hæretici peruersitatis, & calliditatis suæ in deprauandis scripturis gustum præbent. Vocem enim græcam καθίσαι. quæ media est, conantur ad agendi significationem trahere, vt non constitutum, sed constituentem intelligant, telumq; nobis hac fraude interuertant, quo res ipsorum pessimè affliguntur. Nos autem absit, vt hic Apostolum id sibi velle credamus, produci nimirum, quouis modo futurum pontificem, vti sit in creatione prætoris, aut senatoris, in quibus nulla sit demutatio, vel meliorum accessio: sed talem potiùs intelligere constitutionem, quæ nunc à nobis ordinatio dicitur, certis ritibus constantem; qualem denique testibus omnibus interpretibus intellexit, cùm discipulo præciperet constituere per ciuitates presbyteros. Hoc igitur loco debemus constitutionem accipere de ceremoniis cuique religioni propriis. quales veteris testamenti in exodo describuntur in Aaronis initiatione, sanctificatione, & constitutione. Si ad res nostras transeas, consecratur sacerdos per ceremoniam impositionis manuũ, sicut Ioãnes Euang. præscribit, diuinitùs monitus, & impulsus apud D. Clementem Ro. lib. 8. cap. 24. Sed luculenter ista suppeditabunt Theodoretus in religiosa historia, Epiphanius in Aërianis, Areopagita cap. 5. Eccl. Hier. canones Apostolorum. 1. 2. & 36. Ab Episcopo autem istud fieri debere cap. 14. actorum demõstrat, vbi dicuntur Apostoli constituere, siue vt vox græca significat, manuum impositione creare sacerdotes, quod apertiùs declaratur capite 20. vbi Ephesini* Tit. 1.

Exod 28. 29. & 39.

presbyteri, & episcopi à spiritu sancto narrantur constituti ad regendum populum Dei. Hæc igitur satis detegunt furcum istorum hominum, qui nihil aliud agi volunt, quàm quouis modo quempiam ad ministerium promoueri. Constituitur itaque, id est, sanctificatur, ordinatur. Ad quid?

1. Tim. 1. Act. 14. & 20.

Super ea, quæ Dei sunt. Non ergo debet in sacerdotum functiones laicus inuolare, vt docet idem Clemens vsus Numer. cap. 16. & 17. si non expectare velit eundem cum Dathan, & coniuratis interitum. Quæ autem ea sint, exponet καθ' ὰ synecdochen in sequentibus.

Lib. 2. ca. 21. constit. Apostolicarum.

Vt offerat oblationes, & sacrificia pro peccatis. Vt administret sacra, & sacramenta, vt benedicat populo, vt ei impetret remissionem peccatorum, & postremò vt doceat. Verùm vt paullùm expendamus Paulinam synecdochen: primum, ac legitimum sacerdotis munus est, rebus diuinis operari, vt ab officio discedere norimus eos, qui sacra facienda sibi quàm rarissimè putant. Oblatio autem est, quicquid offertur Deo, oleum, panis, vinum, &c. quæ in Mosaicis legibus, & apostolicis canonibus nota sunt. Propriè autem δῶρα vocantur, quæ ex animo liberali offeruntur. Nam si, vt nunc ferè fit, vix coacti persoluunt, & ne tunc quidem, nisi deterrima: non est, quòd se quicquam offerre Deo credant, sed suæ imputent tenacitati, ob quæ ab irato Deo miserè postea conqueruntur incommoda. Debent autem sacerdotes ea fistere Deo, quæ vltrò offeruntur. Sacrificia autem complectuntur eius generis oblationes, quæ immolationem coniunctam habent, θυσίαν Græci vocant, Hebræi Zebach, Syri debcho, quæ omnia in-

Sacerdotũ officia.

Can. 4.

זבח

gulan-

gulandi, mactandiq; significationem habent. Sed ista in catechesibus fusius dicta: sufficit nostram victimam catholicam esse talem, quæ vitam in cruce morte commutauit, nobisq; talis exhibetur; qua antequàm altari, id est, cruci imponeretur, viuebat. Sed quomodo sacrificium pro remissione peccatorum peragatur, cursim delibandum. Nam quòd attinet ad oblationes, & sacrificia; non multùm refragantur aduersarij, quibus persuasum est veteris, ac nouæ legis sacrificiorum nullum esse discrimen; quod nobis absit vt persuadeant vnquàm. Nec enim Iudaica victimæ vi sua, & propriè, peccata expiarunt; cùm nécdum esset à Christo omnium nomine persoluta λύτρωσις; neque in se gratiam continebant: sed qui ea offerebant, præditi fide in Christum, euadebant eius adminiculo futuræ crucis participes. Illarum autem efficacia hærebat in carnis emundatione, si quo immundorum attactu contracta fuisset impuritas: ad animam autem penetrare nequibant, nisi per fidem offerentium; quod ex Leuitico satis liquet, vbi pro iis, qui offerebant, dicitur sacerdos oraturus; nè quod esset impetratum, soli sacrificio ferretur acceptum. At verò nihil certius, nihil magis inculcatum in sanctorum patrum monumentis: quàm sacrificium nostrum non qualibet leuia dúntaxat, sed etiam grauia, & scelera dimittere. Malachiam prophetam (vt hoc obiter attingam) loqui de nostro sacrificio si neget aduersarius: in promptu sunt fide dignissimi testes, Ignatius, Iustinus, Irenæus, Clemens Alexandr. & alij plurimi. Quòd si omnes patres semel expungant hostes; nec dignentur antiquitati concedere; non erit déinceps frustrà laborandum, vt

Leuitic. 4. & 5.

Vide Catechesea.

*tam effrænis impudentia cuiusquam oratione, vel eruditione compescatur.*

Qui possit animum submittere. *Latinus interpres* condolere, *alij compati vertunt; nec male: sed vox D. Lucæ spectanda est* μετριοπαθεῖν, *quæ mediocritatem sonat; vt sit sensus, Qui possit moderari sese veritatem inter, ac misericordiam; nè sit ineptè misericors, aut nimiùm seuerus, debet habere laudabile temperamentum. Igitur sacerdos præterea talis sit oportet, qui norit, quæ sit ferẽda in peccatores sententia; qui misceat seueritatem clementiæ, & pro reorum diuersis ingenijs nunc aspera, nunc blanda præbeat; qui vbi res agitur cum impudente, Paulinam virgam adhibeat, si deprehendat ex infirmitate collapsum admissa deflere, atque iam propensum in desperationem, benignam eueſtigiò manum porrigat. Theodoretus, Oecumenius, ac Theophylactus pro* μετριοπαθεῖν *reponere* συμπαθεῖν *non dubitant: in quo tamen verbo sunt omnia, quæ diximus intelligenda. Syra autem sententia eum demonstrat, qui possit non ferocire, ac superbire. Homines enim ferè sunt truculentiores, & in asperiora magis propensi. Si videant eminus stantem publicanum; deſtomachantur, & ferè condemnant miserum: secùs autem humilis, suæq; sibi conscius infirmitatis, ac priorum non immemor suorum peccatorum, pronus est ad miserendum. Talem legimus Dionysium, qui ferocientem Demophilum acriter compescuit. Ignatiũ si legas, dices misericordiæ, et clementiæ præconium. Idem apud Clementem Rom. cernere est. Igitur submittere animum est humiliter de se sentire; & facilè condonare iis, quibus es similis, vel esse possis.*

Li. 1. ca. 18 & 21. diataxeon.

Et

Et pati cum ignorantibus, & errantibus. *Non tantùm debet sacerdos esse misericors; vt afflictos consoletur, & desperantes erigat: sed si velit ritè fungi suo munere; animum, verecundiam, & necessitatem confitentis, ad exemplum Christi, nostra in se omnia peccata recipientis induere; vt non secùs afficiatur, quàm peccator ipse. Cuius rei præclarum habemus exemplum in Ioanne euangelista apud Clementem Alexandr. Sed de* ignorantibus *aliquid. Verùm quidem est, quod quidam hîc notãt, ignorantiam plerumque denotare omne peccatum, quod errore committitur: non tamen ad ea sola restringendum est, cùm in omni peccato non desit ignorantia, sed de iis intelligendum, quæ partim errore, partim fragilitate, partim tentatione fiunt, non autem iis, quæ de industria, & animi libidine, licet his etiam sit reposita misericordia. Hoc tamen interest, quòd peruicaces, & malitiosi ieiuniis, oneribusq;, ac duris operibus premendi sunt (nisi forsitan præsens periculum Paulinam in Corinthium extorqueret indulgentiam) miserabilibus autem, & errantibus totis misericordiæ visceribus est occurrendum.* Clemens Rom. lib. 2. cap.

Eò quòd & ipse infirmitatem sit indutus. *Quia ipse vel peccator fuit, vel esse potest, quia non ignorat, quàm sit arduum incedere inoffensis gressibus in via mandatorum Dei; meminit, qualibus dolis, & artibus consueuit Diabolus miseros inescare, quibus sensit quàm sit difficilè resistere, nisi Dei gratia perfidiosis fraudibus obsisteret, iamq; lapsantes de beluæ faucibus, & perditos eriperet. Nec negligenda est auxesis syra, qua videtur sacerdotem adoperire, & penitùs infirmitate amicire. Ab hac doctri-*

*na longè deflexerant Lampetiani, qui & picem tangere, & ignem gestare in sinu sine vstione, & inquinamento se posse iactabant.*

Exem. Regia. 11. ταυτα legebant.

Atque iccircò. *Græci* διὰ ταύτην, *vulgus interpretum, Proptérea. Quidam ad infirmitatem referunt, quæ non est causa, cur offerre debeat, sed peccatum: rursus tamen haud foret oblatio necessaria, si deforet infirmitas. Quia igitur propensus est in peccatum, & quia peccat: proptérea offert. Rectiùs itaq; ætiologicòs redditur, vt interdum Græci* διὰ ταύτην *vsurpant.*

Debet quemádmodum pro populo, ita & pro anima sua. *Neque id tantùm, cum id faciãt, qui* τὸ σωτήριον *offerunt: verùm etiam*

Offerre pro peccatis suis, *vt execratus Pelagium, eiusq; thrasones, sit de propriis peccatis solicitus. Hinc discimus, quantum sit præsidium in sancto, & religioso sacerdote. Esto igitur hæc tertia proprietas: sequitur quarta.*

| *Syr.* | Vulg. |
|---|---|
| Et nemo sibi sumit honorem; sed qui vocatur à Deo, sicut Aaron: quemadmodum & Christus non sese glorificauit, vt fieret princeps sacerdotũ, sed is, qui dixit ipsi: Filius meus es tu, ego ho- | *Nec quisquam sumit sibi honorem: sed qui vocatur à Deo, tanquàm Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificauit, vt pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie ge-* |

hodiè genui te. Sicut & in alio loco dixit: Tu es sacerdos inæternum, in similitudinem Melchisedec.

genui te. *Quemádmodum & in alio loco dicit: Tu es sacerdos inæternum, secundum ordinem Melchisedec.*

ET nemo sibi, &c. *Quid fiet, si, vt olim, sit expectandum oraculum? Nè nunc quidem, ô præclare, tibi deerit, si cordatos, & sanctos viros adieris, consulueris, moremq; iis gesseris, si Episcopus tãtùm non rapiat: erunt illa tuæ vocationis certissima indicia. Sint ergo hactenus τὰ γνωρίσματα legitimè creati sacerdotis, vt primùm sit eximius, déinde certis ritibus initiatus, adhæc præditus ea, quam Græci μετριοπάθειαν vocant, postremò nè se intruserit. Nam tale quid latere videtur in dictione* Vocatur, *quale in Saulis primi Hebræorum regis legimus inauguratione; qui quamuis electus, & inunctus, nihilóminus domi latebat, & tantùm non compulsus est regnum adire, indice Deo. Et quàm parum fuerit ambitiosus Aaron ipse, cuius nomen alij ab or, quod lucere, alij, quibus magis accedo, ab harah deducunt, quod concipere significat, licet ex 16. 17. 18. cap. Numer. colligere: qui vnà cum Mose totam de primatu, & sacerdotio litem diuino iudicio, & virgæ argumento permittebat. Nec illud omittendum, quod hac, & sequenti sententia sacerdotium honoris nomine venit intelligendum tam Syris, quàm Græcis, & Latinis: vt sciamus hunc honorem virtutis esse præmium.* אוֹר הוֹרֶה

Quemadmodùm & Christus. *Quia Paulus in difficili quæstione versabatur; & mores Judæorum aliud habebant: probat Christum fecisse, quod ab omni legitimo sacerdote fieri debebat. Et Chrysostomus notat perstringi Iudaicos sacerdotes, ob impiam, & ambitiosam sacrarum functionum locationem, & redemptionem.*

Non seseglorificauit, vt fieret princeps sacerdotum. *Non arrogauit sibi, nec ambiuit honorem sacerdotij. Commendatio est non mediocris oneris pontificalis, & sacerdotij; nisi tot spinis, & periculis esset inuolutum. Id autem quis non miretur, Christum optimè sibi cõscium, cui nihil poterat creari periculi, non captasse istud: eius autem sectatores, homines, ac proinde peccatores, vt cætera taceam; currere, laborare, vt eò prouehantur? Et siquidem vt Ecclesiæ strenuam nauent operam; vt quotidiè mortalibus ægris numen reddant propitium; esset aliquo modo laudabile: sin vt ventri, ambitioni, auaritiæ consulant; quis non ducat indignum?*

Sed is, qui dixit ipsi. *Plerique supplent, Glorificauit eum; vt sit periphrasis Dei patris. Nequaquàm arrogauit sibi hanc prouinciam Christus: sed is eum sacerdotio dignatus est, qui hæc dixit psalmo secundo. Nam Deum patrem eo psalmo alloqui filium est in confesso: immò totum psalterium Tertullianus nihil aliud, quàm sanctissimarum inter se personarum diuinarum dialogismos esse contendit. Hi igitur volunt patrem fuisse Christo authorem sacerdotij. Et cum Apostolus paullò pòst dicat.*

Sicut & in alio loco: *ostendit aliquid præcessisse probationis. Sed quid istud ad sacerdotium?*

Filius

Filius meus es tu; ego hodiè genui te. *Quod ad caput primum diximus, hîc est repetendum, priorem, nimirum, testimonij partem ad præsens Apostoli negotium pertinere. Non fuit igitur Christus visibili delibutus vnguento; non cætera, quæ Aaronicis sacerdotibus fieri debebant, fuerunt exhibita: sed simul atque conceptus, & natus est homo Dei filius, fuit initiatus sacerdotio. Dum itaque pater filium alloquitur, & suum demonstrat esse filium, eadem opera declarat esse pontificem: & psalmus ille partim ad Christi regnum, partim ad sacerdotium pertinet. Verùm quoniam erat istud obscurius, subiungit apertius testimonium.*

Sicuti & in alio loco dixit: Tu es sacerdos: *Obseruant interpretes eo etiam loco fieri mentionem generationis, & mox sermonem induci de sacerdotio; vt rei vtriusque indiuulsa coniunctio notaretur. Nunc igitur simpliciter vocat Christum sacerdotem. Vox tamen indicat non debere ad Pontifices restringi; sed inferioris quoque ordinis sacerdotes intelligẽdos. Nec illud prætereundum, Hebræos, Syros, Latinos, Græcos, & Chaldæum Ionathan vti voce, quæ verum sacerdotem significet, cùm sit tamen sermo de institutione christiani sacerdotij, & græcos interpretes cùm ad illum psalmum, tùm in hunc locum, de Christianis incunctanter loqui mysterijs, & nostri sacerdotij hîc originem agnoscere, ac eodem vti nomine: vt iam sit minus habendum iis fidei, qui presbyteros non alia re, quàm senio metiuntur. Sed qualis sacerdos Christus?*

Inæternùm. *Quid hîc aduersarij? Ipse dicitur sacerdos inæternum: quòd in cruce tale obtulerit sa-*

crificium, vt illius vis sese porrigat in omnia retrò secula; ex quo iusti, qui vnquam fuêre, aut futuri sunt, hauserunt gratiam. Hocne igitur agit Paulus? Illa victima cuncta promeruit, vti posteà docebit Apostolus: sed putatis, ô præclari, tantùm propterea Christum dici sacerdotem inæternum? Atqui mox audiemus illum nunc apparere vultui Dei pro nobis: ac si quotidiè pro nobis sacrificaret, dum illa vulnera patri commostrat, vt Chrysostomus, Theophylactus, & alij loquuntur. Aiunt igitur Veteres id, quod res est, Christum non censendum fuisse sacerdotem inæternùm, si tantùm semel obtulisset hostiam in cruce: sed quia priùs instituerat sacrificium secundum ordinem Melchisedec, incruẽtum, et suos edocuerat Apostolos offerre panem, & vinum, ita vt munificentissima transformatione sacrificarent corpus, & sanguinem eius, tùm quia hæc instituebantur, vt essent perpetua hostia vsq; ad eius aduentũ, denique quòd eadem ipse per manus efficit sacerdotum, idem qui sacrificat, & sacrificatur. Valeant igitur miseri, sacerdotum ordinem odio plusquàm Vatiniano prosequentes, quasi falsò sibi vel sacrificium, vel aliud quiduis christiani sacerdotes arrogarent alienum à Christo. Nihil recens cõstruimus, nihil comminiscimur: sed per manus accepta reuerenter colimus, & propagamus, non ignari Christum in vltima cœna creasse sacerdotes, præceptumq; tulisse, vt idẽ faceremus, donec reuertatur. Neque tamen eò prouolamus: sed administrorum Dei permissionem expectamus. Quis autem Bezam, Caluinum, aut Illyricum creauit Pontifices? Quis vocauit? quod oraculum designauit? Dicent fortassis

opera

*opera satis vocatos declarare. Scilicet. Hoc igitur oportet esse perpetuum. Sed facessant errones; nos ad sententiam redeamus. Tu es Christe, sacerdos, qui instituis perennem liturgiam, ac sacerdotium.*

In similitudinem Melchisedec. *Hinc videmus* ordinem, *quod in nostro legitur interprete, de similitudine accipiendum. Et ne videatur leuis coniectura: Lucas græcus, cùm & hoc bis, & capite septimo semel retinuerit dictionem, quæ est apud Septuaginta,* τὴν ἀξιν, *ibi tamen exponit per* τὴν ὁμοιότητα; Cap. 7. *& doctissimus Apollinarius ad eum psalmum reposuit* ὅιος; *vt hic sit germanus sensus. Ratio sacerdotij tui consentanea, & similis est cum ratione sacerdotij Melchisedec. Sed qua in re sita est hæc similitudo? Patres diuersa proferunt. Athanasius dicit spectandum in Christo, quòd ad instar Melchisedec, non sit vnctus, nisi in suis duntaxat mystis. Epiphanius multis in locis id considerat, quòd cùm nullus olim apud Iudæos iniret sacerdotium alienus à stirpe Leuitica; nunc ex quauis familia, & populo, qui se dignos exhibent, consecrentur. Deinde, inquit Athanasius, vt Melchisedec gentilis; ita Christus gentilium Pontifex. Postremò, ferè omnium hæc est sententia; quòd sicuti Melchisedec obtulit non oues, non boues, & huiusmodi cruentas hostias; sed panem, & vinum: ita Christus non exercuit in sua cæna lanienam; sed eadem illa obtulit, & à suis offerri præcepit. Sed ista in catechesibus nostris accuratiùs. Hactenus igitur probauit Apostolus in Christo non desiderari, quod sacerdoti cuilibet adesse necesse est: illum à patre legitimè creatum, & consecratum Pontificem maximum. Nunc duas,*

*immò*

*immò tres veriùs dotes reliquas laudabilis (vti post Syros loquimur) principis sacerdotum est probaturus. Ostendet enim Christum non segnem, aut peccatis, rebusq; prophanis occupatum; sed grauem, assiduum, & Spartam suam egregiè adornantem; adhac obtulisse sacrificia, idq; serio, & summa cum religione; & proinde maxima cum efficacia; praterea clementem, & facilè omnibus expositum pontificem. Et iis omnibus id agit Paulus, vt Hebraos nutantes, inq; desperationem inclinatos confirmet, vt partim spe, partim exemplo animati, ad Christum confugiant. Est autem in harum tractatione dotium summa difficultas, non tantùm ob veterum in exponendo varietatem; verùm etiam quia hunc locum hæretici duxerint idoneum, quem veluti centrum errorum suorum, et fortissimum ducerent fundamentum. Et licet de veterrimis illis, Basilide, Cerdone, Arianis, qui hinc præsidia sumebant impietatis, non multùm laborare debeamus: nihilo tamen minus strenuè nos agere cogunt Caluinus, & Beza, hoc ex loco suum infernum effodientes; quem nihil aliud esse dicunt, quàm ingentem formidinem, qualem Christo affingunt. Et illi quidem magnis verborum imbribus depluunt, vt infœlicem irrigent sationem: vnico tamen argumento cuncta experimentur; si cogitemus, quam ob caussam damnatus fuit Nestorius. Sed loquatur Paulus.*

| *Syr.* | Vulg. |
|---|---|
| Qui etiã carnem indutus, petitionẽ, & supplicationẽ cũ | *Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesq; ad* |

mu-

eum,

mugitu valido, & lachrymis obtulit ei, qui posset ipsum à morte seruare; & exauditus est. Et cùm esset vel filius; à timore, & perpessionibus, quas sustinuit, didicit obediẽtiam. Et quẽadmodùm consummatus; sic omnibus obediẽtibus sibi factus est causa vitæ æternę; & cõstitutus est à Deo princeps sacerdotũ, in similitudinẽ Melchisedec.

*eum, qui posset illum saluum facere à morte, cum clamore valido, & lachrymis offerẽs, exauditus est, pro sua reuerentia. Et quidem cùm esset filius; didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam: & consummatus, factus est omnibus obtemperãtibus sibi caussa salutis æternæ; appellatus à Deo pontifex secundum ordinem Melchisedec.*

דיקוח deiachauh î viuificare, excitare, Sed vita, &c. sunt Syris Salus, conseruatio.

Ad verbũ nominatus.

QVi etiam carnem indutus *Cùm homo versaretur in terris; & nostro simile corpus circunferret. Olim Bardesanes, & nunc Skvuenckfeldiani hanc adferunt sententiam: Priusquam à nobis susceptam naturam vel exueret, vel in diuinitatem absorberet. Adfirmant enim (adeò nihil pudet diabolum per ora suorum effutire) nos esse blasphemos, qui Christo creatam carnem tribuamus. Et hãc sententiam demiror hominem alioqui doctum, ac diligentem, Ioannem Langum, dum Iustinum, Nazian-*

zianzenum, Nicephorumq; cõuertit, nescio quid ibi conspicatum, dicere Christianis theologis esse consentaneam. Quid enim ad Syrum Paulum dicerẽt, qui carnem indutum pronuntiat? intellige malis, & perpessioni obnoxiam. Neque tamen, vt eo præsidio careremus; desunt alia loca phrasim eandem redolentia, vt Theophylactus ex psalmo 114. annotat.

Petitionem, & supplicationem. Photius in scholio dicit hunc locum esse intelligendum de agonia seruatoris in horto, in qua, dum veluti se componeret ad saluberrimam toti mundo missam crucis, habuerit primùm δέησιν, id est, deprecationem ad patrẽ, vt transferretur ab eo calix; deinde ἱκεσίαν, id est, supplicationem: Non mea voluntas, sed tua fiat. Non desunt alij, qui dubitant, num de alia potiùs agat oratione Paulus, cuius in suis commentariis euangelistæ non meminerint. Ad id tamen, quod priùs dictum est, nos ducere videtur, quòd dicit Apostolus factam orationem ad eum, qui posset ipsum eripere à morte. Si quid sit de ipsis dicendum vocibus; bautho propriè petitionem significat; ita tamen, vt adiunctam habeat obsecrationem: & hoc valdè congruit Lucæ narrationi, qui dicit δεήσεις oblatas; vt has preces è medio periculorum eiaculatas intelligamus, cùm maiorem nunquàm præ se Christus metum prætulerit. Quid adiuncta supplicatio sibi velit, notum est: interim notandum Græcis vocari ἱκεσίας; vt magna vis indicetur. Quæ omnia eò pertinent; vt dignitatem, præstantiam, & feruorem istius pro nobis oblati sacrificij videamus, & vt discant sacris initiati, non sat habere, si preces sacrificales fideliter appendant; nisi etiam adlaborent, pro

בעותא

*sua quisque virili, vt petitiones, obsecrationes, fiant tandem impetrationes.*

Cum mugitu valido. *gaotho clamorem obscurum, ac mugitum, qualis est ferè mœrentium, sonat: & quia omnes inflauit tibias, addidit validum. An autem in cruce, an in horto editum clamorem Paulus indicet, ambigitur. Chrysostomus ad reuelationem Apostolo factam recurrit; aliis de cruce dictum placet, aliis de eo, quod dixisse fertur apud Ioannem:* Pater clarifica filium tuum, &c. *& eò penè respiciunt interpretes. A quibus si liceat interdum religiosè dissidere, ad easdem preces, & supplicationes referendum arbitror, quas cum ingenti feruore, & clamore profudit. Nec mirum, si clamasse dixerimus, quem angelus confortauit, qui sudauit sanguine, qui ter preces repetiit, deq; apostolis non vigilantibus penè sit conquestus. Inter hæc enim quis non facilè credet summa vocis contentione vsum?* זעקה

Et lachrymis. *Nec istud habetur in euangelistarum narrationibus: mihi tamen persuadeo Christum in horto vberrimè fleuisse, & lachrymas cum sudore certasse. Quid enim magis testatam faceret humanam infirmitatem? Quantum autem est prodigium, veteres hæreticos eò prolapsos vesaniæ, post naturæ humanæ tot argumenta, vt spectra, & phantasmata in Christo comminiscerentur? Quid factũ fuisset, si solius diuinitatis apostoli meminissent!*

Obtulit. *stitit, eleuauit. Est epitasis significans oblationis firmitatem. Hæc autem nos docent omnia, quo spiritu, & benevolentia sacro suo defunctus fuerit.*

Ei, qui poterat ipsum à morte seruare. *Est peri-*

periphrasis Dei patris, ad quem tendebant omnia, quæ tùm vel fecit, vel dixit Christus. Nec abs re ita loqui maluit Paulus, qui dicere potuisset: Qui eum liberauit à morte. Fuisset enim quæstio in promptu, an foret mortuus. Quemadmodùm itaque Christus dixerat: Pater, si vis, transfer, &c. ita Paulus: Fudit preces ad Patrem, qui poterat transferre calicem. Non est tamen factum; ob commune patris, filiiq; de morte obeunda decretum: sed vbi mortem oppetiit, tùm fuit ab ea liberatus. Et nostra huic sententiæ (nam interpretes hæc ad mortis tempus referunt) adstipulatur sermo Christi patri veluti adblandientis: Pater, omnia tibi possibilia sunt. Ita Photius, mirè acutus in perpendendis circumstantiis. Habemus igitur explicatas prætérea duas dotes veri pontificis, cùm dictus est Christus fecisse officium, & id quidem religiosè, & vtiliter. Hostes autem, dum istum locum ad sua placita detorquere moliuntur, in solis precibus reliquum superesse sacrificium Christi exemplo volùt adstruere. Quibus est in promptu respondere ex aliis scripturis, Dei filium non tantùm preces, sed & seipsum obtulisse, si illius pugnare velint exemplo, nè dicam veteres theologos preces pro toto sacrificio synecdochicòs vsurpare. Illud autem perridiculum, quòd sanctorum, & angelorum inuocationi à quibusdam ex hoc loco detrahitur, quia filius solum patrem compellarit. Nam tali dialectica liberarentur Eunomius, Macedonius, & alij, qui in Spiritum sanctum iniquiores extitere. Nunc videamus, quid isto sacrificio sit effectum.

Et exauditus est. Syrus τὴν εὐλάβειαν, quam latinus addita dictione sua reuerentiam vertit, in

sequen-

*sequentem versum reiecit, & coniunxit cum verbo* didicit, *nempè, ex timore (sic* εὐλάβειαν *exprimit) & passionibus, seu angustiis* obedientiam. *Libet igitur eadem paulisper inspicere. Diuus Chrysostomus cum suis* εὐλάβειαν *istam patri attribuit, mireq; piũ, & ad inflammandos animos maximópere facientem sensum hunc tradit. Filius Dei tantùm valebat apud patrem, vt is quasi verecundia compulsus, non ferens filij submissiorem orationem, totum liberalissimè concesserit. Quid enim, si pro clerico apud plebeum hominem episcopus intercedat: an ille nõ erubescet ad tantam episcopi dignationem? Sic Deus pater (vt ex nostris diuina discamus) Fili mi, inquit, communis est causa: impera, decerne quicquid libet. Alij etiam Græci, in quibus est Photius, hanc adscribunt filio, deq; pietate, & charitate interpretantur, quam frugi filius defert parenti, propter quam Christus fuerit exauditus. Tertia est hæreticorum sententia, & eorum maximè, qui fabricantur Nestorianum infernum, qui adserunt perpessionis tempore Christum ita exanimatum, & consternatum: vt desperaret, & in eas voces erumperet:*

Deus meus, Deus meus, quarè me dereliquisti: *quæ & in psalmis, & in Matthæo sunt à nobis refutata. Nunc tantùm de commentis Bezæ, quibus præceptoris sui hæresim incrustare, & pro orthodoxia nititur intrudere, etiam dilutis (si Christo placet) orthodoxorum obiectionibus. Quod enim vrgent catholici (sic miser secum disputat) Christo nihil esse gloriæ reliquũ, si metu absorptus de se actum iam, ac desperatum esse putauit, non aliunde, quàm ex ignoratione distinctionis naturarum prodiit. Im-*

mò verò Beza, non ignoramus naturarum in Christo discrimen; neque nescimus vos ista assingere humanitati: sed fortassis tu ipse non satis memor es, illi eidem adiunctæ diuinitati talia tribuere aliud nihil esse, quàm Nestorianismum in orbem reuocare; perinde ac si non fuerit illa naturalis coniunctio, sed diuina natura duntaxat inhabitarit in carne. Cùm enim ex illa beata coagmentatione animam fuisse beatam necesse sit dicere: qui potuit, cado, ad illum desperationis barathrum commentitium postea deuergere; vt fœlix illa, terq; mortalibus cunctis adoranda mens simul se beatam, ac damnatam cerneret? Quod autem nugaris diuinæ quidem nihil decessisse, semper stabilem, fœlicemq; permansisse; humanam autem omni ex parte secùs habuisse, Neque vllũ diuinæ fœlicitatis visione beata accepisse perenne consortiũ: quid est aliud, quàm Christũ dissoluere? Sed grauis hæreticus nos vocat ad ea, quæ in nobis experimur. Dũ quispiã (inquit) absque magna perturbatione quicquam sentit, tùm ab externis sensibus fit progressus ad mentẽ, & quadã intercedit mora, dum exteriora simulachra ad mẽtis domiciliũ perferũtur, quæ consilio adhibito, eligit, & iudicat. Secùs autem, vbi quid præter omnem expectationem repente accidit mali, quod mox statim præoccupato rationis discursu decernitur, non adhibita illa lenta consultatione: ita vt probus aliquis, & iniuriarum tolerantissimus, exorta subitò animi perturbatione, priusquam se ratio colligat, quippiam indignum patret virtute sua. Hactenus rectè: sed quò erumpes? Sic (inquit Vesanus) hìc factum est. Christus enim instructissimus omni virtute, & gratia, repentino quodam impetu, & Caluinianis inferis interceptus, ef-

*futiit*: Pater, vt quid me dereliquisti? *Quis hæc impia, & blasphema, si non penitus amens, indigna responsione non iudicet? Itaque valeat insani capitis insomnium. Illa enim Christi verba de nobis, quorum ille personam in cruce gerebat, intelligenda, aliàs à nobis fuit prolixè demonstratum. Quid autem alioqui Dei filio violentum, quid inopinatum accidit? immò quid non mysterio, consilio, & tranquilla mente admissum, susceptum, & toleratum est ab eo, qui nè sensurus quidem erat mortem; si nõ eam vltrò ad sese inuitasset, ac prouocasset? Quandò à deitate, & mente conspirante per omnia, dabatur locus infirmitati, tùm demùm timebat, esuriebat, sitiebat, sudabat, lachrymabatur. Sed redeamus ad Paulum. Quid autẽ noster Syrus? Is, vt diximus, disiũgit metum ab exauditione, immò quædam mox explicanda interponit: vt videatur nimis quàm alienũ exauditionem istam ad timorem referri. Tametsi nõ ignorem* εὐλάβειαν *interdum pro metu accipi: sed mihi certum est, omissis hæreticorum substructionibus, veterum sectari sententias. Nec enim est dubium, quin pater, iuxta Chrysostomum, reueritus sit filium sese adeò deprimentem; ipseq; filius (vt alij volunt) summa erga patrem ductus sit pietate: vt ex iis duobus simul iunctis fuerit exauditus. Sed quid impetrauit? Inquit Photius, vt fieret voluntas patris; vt crucifigeretur, moreretur, resurgeret, sederet in dextra patris; & sic pro humano genere satisfaceret. Sic (inquam) exauditus est: quia genus humanum iis artibus beauit.*

Damascenus lib. 3. à cap. 20. vsq; ad 24.

Et cùm esset vel filius, à timore, & perpessionibus, &c. *Quidam per hyperbaton reducũt ad*

*precum, & supplicationum oblationem, quasi diceretur: Tametsi esset filius; non aspernatus est pro mortalibus supplicem patri se prabere. Sed Graecorum, & Syri nostri potior est sententia. Cùm esset patri vbique par, & consubstantialis: tamen ex timore rogare debuit, timore (inquam) quo reuerebatur patrē; quo impellente deiecit se vsque ad mortem. Ex illo summo in patrem studio, docente, poscente, iubente illa charitate, deuotione, pietate, timore, nostra expertus mala.*

Didicit obedientiam. *Ignorauit igitur Dei filius obedientiam? licet de natura humana sit quaestio. Nestorius ignorasse diceret. Theologi autem nostri solent geminam Christo cognitionem tribuere, infusam, & qua experientia constat, quemadmodùm philosophi (sit lucis caussa dictum) diuidunt intellectum in agentem, & possibilem. Si enim sagacis ingenij viros videamus ex ipso sensu rerum, & experientia longè perfectiorem concipere cognitionem: putamus in Christo fieri potuisse, vt post tantas perpessiones nihil accederet peritiæ ex agente intellectu? Tandem igitur vt nobis persuadeamus illum super omnia misericordem; didicit expertus obedientiam: vt quodammodo suis edoctus malis, miseris impensiùs succurreret. Et hactenus de dotibus veri pontificis.*

*Nunc ad earundem effecta traducendi sumus, & audituri, quis fructus à Christo sacerdote redierit ad nos.*

Et quemadmodùm consummatus. *Quomodo? Dixerat Christum obediuisse patri, & quendam sensum illi rerum nostrarum accessisse; qui non tam*

*tam illi necessarius, quàm nobis vtilis erat: hac itaque obedientia* consummatus, *id est, perfectus fuit, vt omnia ei verissimè constiterint, quæ ad verum spectant pontificem. Diximus nonnihil de hac voce ad caput secundum:* τελειωθεὶς *enim quiddam sacrificale significat, & id, quod facultate præditum sit alios sanctificandi, & consummandi, vti Christiani loquũtur de sacramentis. Aiuntq; Graci theologi lõgè esse aliud* τελεωθῆναι, *quàm* τελειοδοθαι: *quòd istud sacrificiis, & sacramentis pro ratione religionis, illud nihil aliud, quàm simpliciter perfici significet. Quod vocabulum rectè intellectum, & expensum, retundit eorum impietatem, qui post Christi sacrificium reliquum nihil esse putiuntur, quod homines sanctificet. Christus igitur factus est consummatus, quasi quoddam sacramentum, & sacrificium, vndè omnes hauriant gratiam.*

Sic omnibus obedientibus sibi factus est causſa vitæ æternæ, *seu vitarũ æternitatis. Quid ergo? Quia ille obeduit, reddidit nos protinus omnes beatos?* Nequaquàm: *sed dúntaxat obedientes. Qui sunt ij? An qui credunt? Nam sine dubio fides obedientia vocatur. Verùm nè illa quidem sufficit: sed quemadmodùm dictum est, fidem vtramque partem complecti, charitatem, & credulitatem, ita & hîc primùm credẽtes, déinde rectæ fidei consentaneam vitam ducentes, Christiq; vestigus insistentes intellige. Præparauit enim Christus in baptismo, & aliis sacramentis salutarem potionem: sed nisi bibas, quid proderit esse præparatam?*

Et constitutus est, &c. *Satis istud est explicatum, & capite septimo dicendum erit ex instituto.*

| *Syr.* | Vulg. |
| --- | --- |
| Super hoc autem Melchisedec multus nobis sermo est ad dicendum, & difficilis ad interpretandũ: eò quòd effecti sitis infirmi auditione vestra. | *De quo nobis grandis sermo, & ininterpretabilis ad dicendum: quoniam imbecilles facti estis ad audiendum.* |
| Nocte secundæ feriæ passionis. | |
| Debebatis enim doctores esse, propter tempus in hac disciplina. Ecce autẽ rursum indigetis, vt doceamini eas scripturas initiales, quæ sunt principij verborum Dei; factiq; estis egeni lactis, & non cibi solidi. Omnis autem, qui vtitur lacte, nõ capit verbum iustitiæ, eò quòd sit infans: perfectorũ autẽ est solidus cibus, | *Etenim cùm deberetis: magistri esse, propter tempus: rursum indigetis, vt vos doceamini, quæ sint elementa exordij sermonum Dei, & factiestis, quibus lacte opus sit, non solido cibo. Omnis enim, qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiæ: paruulus enim est. Perfectorũ autem est solidus cibus, eorum, qui pro* |

qui con-

qui propter inquisitiones superarũt sensus suos ad discernẽdum bonũ & malũ.

*consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni, & mali.*

SVper hoc autem Melchisedec. *Syrus commodè interpretum litem dirimit, aliò, et aliò particulas illas* Dè quo *trahentium. Multas allegorias, & mysteria partim diuinitùs, partim à maioribus impartirer accepta de Melchisedec: sed quo minùs id à me fieri queat, vos estis in causa.* Multus. *noster interpres* grandem *vertit, quod de rerum copia, & argumenti dignitate, non sermonis magnificentia est accipiendum. Apostolus autem cùm sciret vti se Hebræis parum amicis; prudentissimè, quod in initio facturus erat, in hunc vsque locum distulit: vt hac admonitione perstricti, fierent alacriores ad pleniùs intelligendum ea, quæ à septimo capite ad finem vsque epistolæ dicturus est. Eam ob rem tam exiliter interdum de Christo locutus est, & nomen suum epistolæ isti non præfixit.*

Et difficilis ad interpretandum, *seu enarrandum. Significat impeditæ negotium expositionis. Ipsa tam sunt ardua, & intricata mysteria, vt quis ea semel ingressus, sese non facilè expedierit.*

Eò quòd effecti sitis infirmi auditione vestra. *Quia estis inepti, néq; dum capaces auditores. Vox græca νωθροὶ veternosos arguit sua proprietate; vt se surdis cantaturum dicere videatur, minimeq; repurgatis auribus. Quorsum ista? Vt intelligamus, quàm sit pudendum Christianos non sustinere*

*sæpenumerò seriam oraculorum, & reconditam interpretationem.*

Debebatis enim doctores esse, propter tẽpus in hac disciplina. *Itáne etiam tu populum, Paule, doctorem esse postulas? Vos, inquit, tándiu credidistis in Christum; tam sunt multa vobis explicata; tam multa ipsi intérea legere potuistis: vt aliorum agere catechistas, erudire, & ad baptismi susceptionem prouehere deberetis. Vbi γνωσιμάχοι? Quid ad ista dicturi sunt, qui iubent omnes in ignorantia quiescere? Loquebatur Paulus ad hunc modum, cùm adhuc recens esset christianismus; cùm vix dum annis viginti fulsisset euangelij prædicatio; nec est dissimile vero inter Hebræos multos fuisse non ita veteranos in religione: vt nos, qui cum lacte materno fidem imbibimus, post auditam toties catechesim, & conciones sacras, pudeat parum, aut nihil profeciisse; neque ita libeat nescire, quæ ad nostram professionem pertinent. Hoc enim est, quod dicit Paulus* Debebatis. *Et vsurpat honorificum vocabulum malpane, quo Christus magister appellatur; vt tam insignes optet Christianos, qui cathedram sibi vendicare docendo queant. Nomen autem disciplinæ procul eximit religionem christianam ab afflatu Skvuenck feldiano.*

מלפנא

Ecce autem. *Emphaticum est.* Rursum indigetis. *Ergo prius rectè fuerant instituti: sed exciderant illis multa.*

Libellos initiales.

Vt doceamini eas scripturas initiales, quæ sunt principij verborũ. *Istud facilè intelliget, qui legerit Augustinum de catechizandis rudibus. Olim adducebatur christiana fidei candidatus ad*

*sacer-*

*sacerdotem: is susceptum examinabat, an Iudæus, idololatra, rusticus, an liberaliter institutus, aut philosophus; et opportunis in medium allatis scripturis, hominis morbos excantabat. Quod supererat, instruebatur de fidei capitibus, datis veluti ad manum ad singula scripturarum emblematis, quibus apud percunctatores fidem tueri, & eius aliquam rationem reddere posset. Tale quid hic innuit Paulus, nimirum rudimenta, & concinnatos veluti libellos, quibus apostolica ætate catechumeni formabantur. Est igitur grauis Hebræorum ista reprehensio, adeò degenerasse, vt ipsa fidei prima rudimenta obliti dicantur, rursumq; catechesibus opus habere.*

Et facti estis egenilactis, & non solidi cibi. *Metaphora sumpta à nutricatione puerili; cùm vix admittunt lacteam pulticulam. Mirabiliter exaggerat Hebræorum ruditatem Paulus. Cogor vobiscum repuerascere: si inciperem vobiscum intempestiuam de Melchisedec typi Christi regno, & sacerdotio tractationem, enecarem vos potius, quàm iuuarem; adeò in fide nutabundi, & imbecilles facti estis.*

Omnis autem, qui vtitur lacte, non capit verbum iustitiæ. *Intelligit eum, qui infans est in rebus christianis: solidum autem cibum vocat sermonem iustitiæ; quem interpretantur nonnulli de dogmate iustificationis. Neque negari potest doctrinam de christiana iustitia esse mirabiliter subtilem: sed illa tamen huius, quam innuit Paulus, est tantùm pars iustitiæ. Omne, quod in nostra religione arduum est, quod ad cœlum, vitamq; beatam pertinet, quod allegoriis adumbratur, & huiusmodi, significa-* Omnis, cuius cibus est lac,

tur nobis isto sermone iustitiæ. Nam ad hos sermones intelligendum soli apti, qui iusti sunt: vt ita dictus sit sermo iustitiæ, quia requirit hominẽ iustum, ac sanctum.

Eò quòd sit infans. *Infantem Syri stultum vocant schabro.* שברא

Perfectorum autem est solidus cibus. *Qui iusti, & pij, qui totis viribus in Christo crescere conantur, qui egressi sunt initiamenta catechetica; illi solidiora capessunt. Tales qui nactus est auditores, disserat de necessaria, quæ fidei adiungenda est, cognitione; tractet omnia mysteria Melchisedeciana.*

Qui propter inquisitiones superarunt sensus suos. *Subtiles intelligit scripturarum speculationes. Hæc optimè norunt, qui legerunt Philonis de Therapeutis aureum libellum, in quorum hominum studio relucet, quod hîc indicat Paulus. Syri animales homines vocant, qui tantùm sensu vtuntur in intelligendis scripturis, non fide, parati eas abijcere, si cubi non congruant sensui: perfecti autem, & qui iam ad ἕξιν (vt habent Græci) euaserunt per diutinam exercitationem, reiectis procul sensibus, fidem sequuntur magistram. Proponitur Deus trinus, & vnus panem, & vinum spectas in altari: quid ibi facies, si sensus adhibeas in consilium? Si illos audieris; certum est exitium: si superaris eosdem; silentio, & generosa ignorantiæ confessione, fortissimo pectore cuncta decoques. Qui redierunt ab hæresi, tametsi eam vehementer execrentur, tamen vt infirmum ex præcedenti vitio stomachum agnoscas; in familiari colloquio fatentur, & inuiti nonnunquàm produnt, se magnam in his concoquendis fidei carnibus difficultã-*

*cultatem pati. Tantum est operæpretium diuino munere suos sensus superasse.*

Ad discernendum bonum, & malum. *Vide, quænam ad istud requiruntur. Primùm opus est integra vita, innocentia, iustitia; deinde studio, diligentia, exercitio: vndè liquet indignum esse crassissimos homines dè doctissimis ferre sententiam; & iis omne deferri iudicium, qui apostolicè iudicandi nullam habent facultatem. Proferantur arbitri iusti, qui laqueis Diaboli non aliorsum trahantur à recto, quiq; in re, de qua sunt pronuntiaturi, sint versati, adsint ex scripturarum assidua lectione talium iudiciorum exempla, scripturarum (inquam) non hæretico, sed christiano spiritu intellectarum. Talibus enim boni, maliq; discrimen tutò deferetur.*

## CAPVT SEXTVM.

*QVID ex isto capite lector sibi promittere debeat, ferè liquet ex præterita inscriptione, quæ docet, quo tempore primi Christiani in ecclesiasticis conuentibus eo vsi fuerint. Primùm igitur discemus, quid sit maximè proponendum candidato baptismi, et quid ab illo requirendum; quæ etsi in nostris infantibus locum non habeant; latent nihilominus quamplurima, quæ adultos spectent: deinde quo pacto sit agendum cum hominibus à baptismo relapsis. Exaggerat enim Paulus peccati grauitatem: quare nihil est vtilius, siue vt quis, quantum debeat Deo, priuatim ediscat; siue vt pœnitentium dolorem ad iustam magnitudinem pro-*

*prouehat. Nec mediocriter aduersus Caluini confusionem instruemur, qua triplicem scholis orthodoxis notissimum baptismum in vnum compingit, atque ex Christianis regni cœlorum hæredes progigni perfidiosus affirmat.*

| Syr. | Vulg. |
| --- | --- |
| Propter quod relinquemus principiũ sermonis Christi; & veniemus ad perfectionem; aut quarè fundamẽtum aliud ieciſtis pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, & doctrinæ baptismi, & impositionis manus, & resurrectionis à mortuis, & iudicij æterni. Si Dominus permittat, faciemus istud. | *Quápropter intermittentes inchoationis Christi sermonẽ, ad perfectionem feramur: non rursum iacientes fundamentum pœnitentiae ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, baptismatũ doctrinae, impositionis quoque manuum, ac resurrectionis mortuorũ, et iudicij aeterni. Et hoc faciemus, siquidẽ permiserit Deus.* |

PRopter quod. *Quid illud? Aiunt interpretes, quia segnes, ac veternosi effecti estis. Vos pridèm ea satis edocti fuistis, si modò in mentem reuocare volueritis: nos autem ad alia properamus.*

Principij *autem nomine intelligit prima fidei rudimenta. Sermo verò Christi, doctrina necessaria eui-*

*cuiuis, qui vult esse Christianus, appellatur.*

Et veniemus ad perfectionem. *Nimirum, allegoricam doctrinam, & quæ habet sibyllina dogmata de diuinitate, rebus cœlestibus, Christi incarnationis, nostræq; redemptionis occultiore mysterio. Veteres huc ea pertinere volunt, quæ Christi numen, & maiestatem demonstrant, nec agnosci possunt ab aliis, quàm qui præditi sunt erudita fide, vitæq; puritate. Ad hunc locum patres annotant operum cum fide necessarium esse coniugium.*

Aut quarè fundamentum aliud iecistis pœnitentiæ ab operibus mortuis. *Hoc est primum caput catechismi Christiani. Cùm primùm instituebamini, iaciendum erat fundamentum* Pœnitentiæ, *&c. Est periphrasis peccatorum, quæ nos lethifera vocamus: non solùm quia vita, & merito carent; sed quòd infligant mortem iis, qui ea patrant. Sed neque negligenda vox μετανοίας quæ in scripturis ad eam propriè pœnitentiam pertinet, quæ in baptizandis hominibus requiritur: vndè non omninò malè à quibusdam per resipiscentiam vertitur. Nec enim tunc opus est labore tanto, quanto cùm homo per summum nephas hospitem animæ Spiritum sanctum expulit. Catechumenus enim, si nonnulla ducatur pœnitudine, non censetur ineptus: quia quod deest, perficit lauacrum superueniens. Vis igitur Iudæum, ethnicúmve seruare? Exordiendum est à capite, detonandum fortiter:* Pœnitentiam agite, *&c. interea non est anxiè disquirendum in peccata, quæ in Diaboli mancipiis, & alienis à Christo ferè sunt conspicua. Istius rei Paulus insigne præbuit exemplum, dum apud fœlicem concionatus est. Videns*

*enim*

*enim hominem iniquum, qui omnia haberet vanalia, de iustitia sermonem instituit: deinde quia non ignorabat libidinosum, de castitate disputationem admiscuit; mox aculeos de futuro quondàm iudicio respersit. Quid multis opus? Ita tractauit hominem, vt ille tremefactus amandaret Apostolum, vim docentis non ferens: quia nimirum prædestinationis beneficio non adiuuabatur.*

Et fidei in Deum. *Hoc est alterum caput. Postquàm enim homines sunt concussi, & horrendo scelerum suorum obtutu pauore consternati, quærunt consilium. Quid agimus, aiebant illi? Credite in*
Act. 2. & 8. *Deum*, Baptizetur vnusquisque vestrum: Si credis ex toto corde, licet baptizari tibi. *Iam sequitur tertium.*

Et doctrinæ baptismi. *Lucas ingeniosè vsus est voce διδάχης, quæ acceptam à præceptore doctrinam indicat: vt norimus non satis catechistam præclarè functum officio, si dicta non possit reddere catechumenus. Nam in illuminationis sacramento*
Eccl. H. c. 2 *narrat Areopagita fuisse tentatos, quàm exactè fidem essent edocti: quod & sua ætate factum scribit*
Lib. 1. ep. 6 & 12. *Cyprianus, eamq; vocat legem symboli. Pro bonis ergo Christianis non videntur habendi, qui, dum per ætatem licet, discere nolunt, sine quibus tueri nomen suum non possunt. Quia autem Græci pluraliter efferunt* τῶν βαπτισμῶν, *quidam ad multiplices Iudæorum lotiones, quarũ meminit Epiphanius, Apostolum respexisse autumant, huius commentarij ansam eis porrigente, quod postea dicetur:* Impossibile est tales renouari ad pœnitentiam, &c. *hoc*
In Pharisæis. *sensu. Vnus est baptismus; quemadmodùm & fides*

*vna;*

vna: Si sanctimoniæ iacturam fecistis; pœnitentia, non repetito baptismo, sarciatur. Latini confugiunt ad vulgatissimam baptismi distinctionem; quod tamẽ hoc loco nimis peregrinum: reliquis videtur enallage. Hæretici (quia & hoc scire est operæpretium) dicunt intelligendum de ceremoniis, vel diebus statis baptismi: quæ & noua est, & ad rem non pertinet interpretatio. Mihi placet enallage; præsertim cùm Syrus Paulus conspiret: alioquin putarem trinam mersionẽ, quæ est Apostolicæ institutionis, denotari.

Et impositionis manus. *En, catechumeni debebant sacramenti confirmationis intelligere rationes. Chrysostomus, Gennadius, Theophylactus, &c. ad manuum episcopalium impositionem, ad quam conferebatur Spiritus sanctus olim conspicuè, nunc arcanè; Caluinus ad baptismum retorquet. Cui potiùs habenda fides?*

Et resurrectionis à mortuis. *Istud quintum caput catecheseos est aliàs à nobis pertractatũ; licet ob rei difficultatẽ tractari satis nequeat. Huic enim totus mundus est reluctatus. Quis enim intuitus sepulchrorum fœtorem, extẽplo cineres in carnẽ, sanguinem, & ossa reformari; hanc oculorum, oris, totiusq; vultus gratiam restitui; & ad eadem animam redituram non putaret difficilimum?*

Et iudicij æterni, *vel seculi, seu secularis. In illo enim iudicio pronuntiabitur sempiterna sententia, qua boni nunquàm finiendæ addicentur fœlicitati; mali perpetuis suppliciis. Hæc priscis catechumenis prædicebantur contra relapsiones. Qua enim (cedò) vecordia non putas tibi esse metuendum? Nunc accedit membrum alterum, quod conclusionis, & ad id,*

quod

*quod nuper promittebat, transitionis speciem habet.*

Si Dominus permittat, faciemus istud. *Plerisque videtur id dicere Paulus: De Melchisedecianis perfectioribus mysteriis disseremus. Sed quoniam addidit*: Si permiserit Deus: *mihi magis adlubescit aliorum sententia: Prosequemur sublimiora, si Deus vota nostra secundet. Nam si de illorum dūtaxat perfectione intellexisset: non videtur conditionem adiuncturus. Vt vt sit, in hoc capite istud non faciet: sed capite decimo, & decimotertio quædam admiscebit; omnia tamen velut in transcursu, nec eo modo, quo solebant catechistæ. Notādum autem, quod monent interpretes hinc nos edoceri Paulum fuisse calamum Spiritussancti; nec eos audiendos, qui apostolis, & euangelistis memoriæ lapsum non verentur affingere: cùm nihil illi suo scripserint arbitrio, sed Dei.*

Vt Otto Brunsfeldius.

| *Syr.* | Vulg. |
|---|---|
| Verùm non possunt ij, qui vno tempore in baptismum descenderunt, & gustauerunt donū cœleste, & acceperunt Spiritum sanctū, & gustauerunt verbum bonum Dei, & virtutem seculi futuri, rursum peccare, & re- | *Impossibile enim est eos, qui semel sunt illuminati; gustauerunt etiam donum cœleste, et participes facti sunt Spiritussancti; gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesq; seculi venturi, et prolapsi* |

Vel potentiam.

renouari ad pœnitentiam, & rursum crucifigere filiũ Dei, & contumelia afficere.

*lapsi sunt: rursus renouari ad pœnitẽtiam, rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei, et ostentui habentes.*

VErum non possunt. *Communis lectionis vocem non soli Nouatiani olim deprauatam in hæreticum sensum detorserunt; sed & illi Phryges, in quorum sententiam concessit Tertullianus. Non desunt, qui pro rara & re admodum difficili interpretantur: sed id re vera tamen significatur, quòd simpliciter fieri nequit; quamuis & hoc sit intelligẽdum christianè, & secundùm quod est à Deo constitutum, cui vnicum placuit esse baptismum.*

Qui vno tempore in baptismum descenderunt. *Hæc, quid latinæ versionis illuminatio sibi velit, explanant. Sic autem baptismus dictus est: quia & reuellit à Iudæorum oculis oppansum velamen; & spiritalibus charismatibus hominem imbuit. Quis autem græcas, aut latinas historias vel à limine salutauit; qui non viderit in profundissimæ nocte, & errorum densa caligine versatos homines huius illuminationis expertes, etiam tùm maximè, cùm se in solem ipsum incurrere crederent? Vtitur autem descendendi verbo aptissimo temporum apostolicorum ceremoniæ; quibus homines vel in fluuios descendebant, vel in baptisteria demergebãtur.*

Areopag. Eccl. Hier. cap. 2.

Et gustauerunt donum cœleste. *Theologi veteres vno ore interpretantur de remissione peccatorum, à Deo in baptismo concessa. Hæc est autem hu-*

Sic narrat à diuo Petro baptizatum in Tiberi Tertullianus libr. de bap.

ius appellationis ratio; quòd tam sit efficax baptismus, vt contritiones, tormenta, relapsorumq; a baptismo carnificinam, vitaeq; anteactæ tam accuratam deplorationem, quam ij præstare debent, qui cœlestium quondam donatarum opum fecere peccando lachrymabile naufragium, non requirat: sed plena manu peccatorum omnium condonationem, & cornu copiæ gratiarum effundat. Caluinus nè istud suo vanissimo commento verè iustificatum, scilicet, relabi non posse, officiat: hunc gustum de hypocrisi interpretatur, qua summis quispiam labris degustato sacramento, gratiæ nihil consequitur. Veteres autẽ, quos alibi recensuimus, tantùm abest, vt de hypocrisi interpretentur; vt de toto effectu, & gratiæ plenitudine intelligant. Hac autem vsus est metaphora Paulus; vt quicquid hìc fit, nihil nisi pertennis eius, quod futurum est, gustus esse credatur.

Tertul. lib. de pudicitia. Epiphanius in Nouato-

Et acceperunt Spiritum sanctum. *Vbi? In sacramento confirmationis, inquit vetus theologia. Hæc duo autem ita coniungit Apostolus: quia in primitiua ecclesia ferè simul exhibebantur, vbi Episcopi baptizabant. Debes autem ea intelligere, quæ numerat Esaias capite vndecimo.*

Et gustauerunt verbum bonum Dei. *Gustare istud est quantum fieri potest percipere; ducta metaphora a sensu ad affectum. Quidam simpliciter de verbo, & scriptura interpretantur; vt aliud nihil sit, quàm diligenter addidicisse Dei voluntatem, quod hìc dicitur Theodoretus autem meo iudicio optimè Dei promissa intelligit, iis occurrẽtia subinde, qui gnauiter pergunt in semita christiana, & candidam suam immaculatam seruare nituntur. Et*

si quid

*si quid ad rem faciat varia constructio huius verbi* γευσαμένους θεοῦ ῥῆμα: *fortassis designat hic accusandi casus non mediocriter, nec summis (vt aiunt) labris homines verbum Dei degustasse; sed imbibisse penitùs, atque ingurgitasse.*

Et potentiam seculi futuri. *Nonnulli de virtutibus agi putant, & mirifica vi miraculorum, qua ferè iusti, & sancti prædi ti sunt: sed quia videmus Apostolum respicere ad ea, quæ est interpretatus; ideò Photij, & aliorum potior est sententia, hanc virtutem sensum, & plenam earum rerum, quæ fient in futuro seculo, persuasionem intelligentium. Est enim quodámmodo gemina vis futuri iudicj, qua sancti donabuntur beatissima vita; impij autem illigabũtur æternis suppliciis: & illius quidem, qui sanctus est, gustum hìc aliquem percipit, totáq; mẽte ad perfectiùs hauriendum contendit. Hæc igitur ad ostendendum pertinent, quanta sit hominis Christiani, qui post baptismum in mortalia relabitur, indignitas, & ingrati animi piaculum.*

Rursum peccare. *Græci legunt* παραπέσοντας: *Epiphanius in Catharis* περιπέσοντας; *eò quòd circũstantias velit intellectas. Homo enim in baptismo cursum instituit. Græcum autem verbum impactionem, et ruinam in alterutrum latus significat. Quòd si placuisset interpreti vti voce Dilapsi sunt, melius quò alluderet, cerneremus. Caluino solam visum est apostasiam, & infidelitatem hìc intelligere: Patres autem aiunt Paulum agere de iis, quæ Ioannes vocat peccata ad mortem; cuiusmodi multa sunt aliquot locis enumerata, comessationes, furta, scortationes, homicidia, &c. Quod Syrus etiam confirmat*

*Apostolus, peccandi verbo sine metaphora vsus. Non possunt igitur, qui huiusmodi sunt.*

Renouari ad pœnitentiam. εἰς μετάνοιαν. *Chrysostomus per* ἐν *exponit: Quicunque mortale patrarint post baptismum, non possunt renouari, id est, iterum baptizari; quemadmodùm ex capite tertio ad Titum, & omnibus, qui contra Nouatianorum immanitatem scripserunt, liquet. Vt enim putres, ac ruinosæ domus ab ipsis vsque fundamentis instaurandæ sunt: sic homo in baptismo ita renouatur, vt nihil damnationi superstit obnoxiũ. Nos eam quoque pœnitentiam intelligimus, quæ imponitur baptizatis. Vix enim fieri potest vnquàm, vt relapsus fiat totus sanus, vti fuerat in baptismo: sed relinquitur quædam carnificina, saccus, cineres, crebraq; ieiunia supersunt. Sed & istud notandum, Patres eosdem, & maximè Gregorium in oratione de baptismo, triplicem tunc fieri gratiam adserere. Est enim primùm sanitas, & (vt cum Tertulliano loquar) valentia quædam; déinde sequitur perfectio, quæ nihil patitur superesse, quod hominem Deo reddat inuisum: ac postremò datur corona, quam nostri vocant innocentiam, de qua Ioannes Apocalyp. capit. 3. & 7. Eleganti verò similitudine virginitati comparant: ob quam deperditam agere quidem pœnitentiam, sed amissum decus integritatis recuperare non posse hominem idem, Epiphaniusq; testantur. Vnde quanta sit Christianorum impudentia cernere est, in peccatis grauissimis ludentium: cùm illi sanctissimi nostri maiores tam fuerint soliciti, vt post longissimas lachrymas saltem vulnus coiret. Quondam a Nouato turbatæ occidentales ecclesiæ,*

Cyrillus. Gregor. in extr. oratione de S. luminibus. Epiphan. Hær. 50.

*secùs*

*secùs hunc locum explanabant; adeò vt plerique Episcopi, propter hunc, & alterum capitis decimi, totam epistolam censerent explodendam: sed doctissimi viri Ambrosius, Cyprianus, Cornelius, & alij fortiter ierunt obuiam, quorum adhuc supersunt fortissima pro veritate suffragia. Sed audiamus reliqua; & videamus, quanta cum Christi contumelia sit coniunctum, velle facilitatem baptismalem iterum experiri,*

Cornelij epist ad Fabium Antioch. apud Eusebium li. 6 ca. 43. Eccle. H. Cypriani epist. 8. li. brisecundi. Ambr. li. 2. ca. 3. de pœnitentia.

Et rursum crucifigere filium Dei. *Vis rebaptizari? vis prima benignitate renouationis vti? Scis quid illud sit? Iam dixit Apostolus. Neque hoc tantùm: sed quoties mortifero scelere te contaminas post baptismum, toties Dei filium quodammodo configis cruci. Nam consepulti Christo in baptismo, cum eodem pariter resurgunt, non amplius, vt nec ille, morituri; sed gloriosissimum illum consessum ad dexteram patris, omnemq; resurrectionis, & ascensionis ad cœlos honorem, vitæ incorruptione repræsentaturi: quòd si excidant; perinde faciunt, ac si denuò Christus vita defungeretur.*

Et contumelia afficere. Græcum παραδειγματίζοντας tale quid significat, *quale quondam in adulteris, & nunc in latrunculis fieri videmus; quos nequitiæ exemplum statuunt leges, impunè omnium irrisionibus expositos. Syrum vocabulum pro ea contumelia vsurpatur, quæ palàm alicui infertur, ac publicè. Qui autem à baptismo relabuntur, quantùm in ipsis est, omnia in Christum ludibria congerunt, quæ tempore mortis impij Iudæi, ac Romani iactarunt: quia dum ipsorum relapsione crucifigitur, mox accedant necesse est cætera. Præduxerat ille*

*post mortem fore se gloriosum, dextrum patri adsessurum, indè venturum ad iudicium: isti suis operibus non esse immortalem ostendunt, & quasi vociferantur: En, rediit Christus ad sputa, ad flagella, ad crucem, &c.*

| *Syr.* | Vulg. |
|---|---|
| Terra enim, quæ imbibit pluuiam venientem in se temporibus multis, & gignit herbam necessariam iis, à quibus colitur, consequitur benedictionē à Deo: ea autem, quæ profert tribulos, & spinas, reproba est; & non longè distat à maledictione; sed finis eius est combustio. Persuasi verò sumus de vobis, fratres mei, quæ honesta sunt, & vicina saluti; tametsi sic loquamur. | *Terra enim sæpè venientem super se bibens imbrem, & generans herbā opportunam illis, à quibus colitur; accipit benedictionē à Deo: proferens autem spinas, ac tribulos, reproba est, & maledicto proxima; cuius cōsummatio in combustionem. Cōfidimus autem de vobis, dilectissimi, meliora, et viciniora saluti; támetsi ita loquimur.* |

Propter quos) ad verbum.

*Hic certè nullum relinquit socordiæ, & ignauiæ locum Paulus: sed apertissimè vicinum denūciat periculum; nisi ingrati esse desinant, sanamq; doctri-*

*doctrinam moribus exprimant.*

Terra enim, quæ imbibit pluuiam. *Vox syra (metro) quamuis pluuiam, vt olim imber Latinis, teste Nonio, significat. Quia autem actum est de baptismo; Paulus aptissimè comparat Hebræos terræ irrigatæ pluuia.* מטרא

Venientem in se temporibus multis. *Sæpenumerò. Solent enim Syri aduerbium circumloqui.*

Et gignit herbam necessariam iis, à quibus colitur. *chaschach isbo duabus græcis vocibus* εὐθετον *respondent; herbamq; significant hominibus, & iumentis necessariam. Terra igitur opportuna iis producendis, quæ sunt cultoribus necessaria, non modò ex eis, quæ illi seminando credita sunt, sed & quæ aliàs sponte gignuntur.* חשׁה עסבא

Consequitur benedictionem à Deo. *Putant hîc perstringi diuinæ prouidentiæ inficiatores. Dei est benedicere terræ, cui olim maledixit: & idem ad eum modum spiritualem in nobis per baptismum, & alia sacramenta agriculturam exercet.*

Ea autem, quæ profert tribulos, & spinas, reproba est. *Participium græcum* ἐκφέρουσα *copiã, & veluti quandam ebullitionem indicat: quia magno prouentu noxiarum, & inutilium herbarum reproba terra luxuriat. Id autem significatur, quod est 1. cor. 9.* Nè aliis prædicans, ipse reprobus efficiar, *id est,* ἀδόκιμος, *qui declarat se spem frustraturum de se bonam, qui longo vsu, & experimento se loco, & nomine probat indignum. Nec enim priùs desperat agricola de terræ fœcunditate, quàm tentatis, & exploratis omnibus. Est hominis reprobi descriptio.*

Et non longè distat à maledictione. *Occurrit desperationi. Nec enim iam dicit incendio destinatam, sed non procul abesse: vt si in tempore ad officium Iudæi redeant, euitent exitium.*

Sed finis eius est combustio. *Rustici lolium, & cætera agrorum vitia exurunt stirpitùs, déinde cultu, & stercoratione sperant fructum: idem est finis malorum. Hæc autem ad Hebræos pertinere subiuncta commendatio manifestat. Homines igitur compluti doctrina, donisq; Dei, si fructum fecerint, sortientur à Deo bonorum operum remuneratore mercedem: qui autem secùs, non solùm de Deo, sed & de aliis cultoribus, de q; seipsis pessimè merentur. Cultorem enim feracis agri delectat læta seges, angelos in futura vita beabit clientum obedientia: si autem bonus pastor incidat in ingratos, vt salutem adipiscatur, carebit tamen illo additamento, quo eius virtutes erant alioqui exornandæ. Non tamen spes proventus abiicienda, etiam in improbis. Tunc enim esset eos planè perdere. Itaque vel fingere spem nonnullam satiùs est. Apud generosos autem, & pios dissimulandus erit profectus, vt semper altiora capessant. Attendamus exemplum Pauli.*

Persuasi verò sumus, &c. *Fecerat mentionem maledictionis, dixerat periculum iis, qui spinas, & tribulos, id est, peccata ferrent, imminere, nondum adesse. Quidam Hebræorum victi malis, Christi nomen eieciuerant: dissimulat tamen Paulus, sibiq; meliora de ipsis animum præsagire dicit, ac eos se bonam, feracemq; terram fore sperare.*

Vicina saluti. ἐχόμενα σωτηρίας. *Sentio vos ita vicinos saluti, vt tantùm non apprehendisse putem:*

ego

*ego fidem vos ita mordicùs retinere puto, vt nunquàm amittatis. Sic ignauis addit animum, iniecta spe, auget autem ingenuis, ostenso præmio.*

| *Syr.* | Vulg. |
|---|---|
| Nõ enim iniquus eſt Deus, vt obliuioni tradat opera veſtra, & charitatẽ veſtram, quam oſtendiſtis in nomine ipſius; qui miniſtraſtis ſanctis, & miniſtratis. Cupimus autẽ vnũquemq; veſtrum eãdem ſolicitudinẽ oſtendere, in conſummatione ſpei veſtræ vſque in finem. Et vt nè prẽcidatur vobis; ſed ſitis imitatores eorum, qui in fide, & patientia ſpiritus fuerunt poſſeſſores promiſsionis. | *Non enim iniuſtus eſt Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri, & dilectionis, quam oſtẽdiſtis in nomine ipſius, qui miniſtraſtis ſanctis & miniſtratis. Cupimus autẽ vnumquemque veſtrum eandem oſtẽtare ſolicitudinem, ad expletionem ſpei vſq; in finem: vt non ſegnes efficiamini: verùm imitatores eorum, qui fide, et patientia hæreditabũt promiſstones.* |

NOn enim iniquus eſt Deus. *Græcum ἄδικος dicitur de iniquitate legi repugnante. Qui pactum non reddit ſtipendium poſt laborem, iniquus eſt.*

Vt obliuioni tradat. *Deum obliuiſci, vt etiam dormitare, legimus: cùm negat gratiam, quam ſuis dare conſueuit, aut cùm differt auxilium. Dantur egredientibus baptiſmalem fontem operis, ac mercedis conditiones: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Frigidam porrigenti præmium repromittitur: ni reddat, qui promiſit, iniquus eſt. Cùm igitur Hebræorum plerique, vt Chriſto gratificarentur, adirẽt quotidiè capitis periculum, freti æternæ vitæ pollicitatione: ni fidem datam ſeruet, inquit Paulus, iniquum dicito. Opera ſunt fides, fortitudo, tolerantia, & huiuſmodi, ob quæ iam promiſsis, ſigillis vtriuſque teſtamenti confirmatis, Deus eſt nobis obligatus.* Auguſt. li. 1. ca. 11. de orth. fid.

*Syrus eſt ad verbum:*

Vt Deus erret ab operibus veſtris, *nimirum, dum alijs mercedem numerabit, vos nequaquam eſt neglecturus.*

Et charitatem veſtram. *Quanã hæc ſit, mox demonſtrat. Communicatio enim illa apoſtolorum non fuit diuturna, facilè conſumptis Eccleſiæ redditibus: ideò Paulus ſportulas emendicabat.*

Quam oſtendiſtis in nomine ipſius. *Coloſſen. 3. Vult Paulus omnia fieri in nomine Chriſti, vbi quidam interpretes perinde valere aiunt, atque implorato Chriſti priùs nomine. Nec deeſt ratio: cùm ibi agat contrà Simonis ſcholam Apoſtolus, qua partim ipſum Simonem, partim angelos mediatores, & ſeruatores inducebat. Neque id prorſus ab hoc loco alienum. Quia enim iudaizantes Hebræis erant infenſi; probabile eſt id ab iis vſurpatum. Certum eſt nihilominus iſtud præcipuè non ſpectaſſe Paulũ, qui vult, vt ſua opera ad Dei gloriam iſti referrent;*

vt

*vt per ea nomen Christi laudetur, ac celebretur impensiùs. Nec illud disiungendum ab hac interpretatione, tùm fieri in Christi etiam nomine, cùm, vt illi sese approbet, quis aliquid molitur: nè dicam & hoc in nomine Christi fieri, quod promissionum illius fiducia geritur; quemadmodùm vndecimo capite dicuntur sancti veteres respexisse porrò in remunerationem. Quod nobis esse debet vsui aduersus hæreticos, indignum clamantes, si quis pius seipsum ad virtutem excitet spe præmij æterni. Hæc ad insignem Hebræorum commendationem pertinent, qui cum aliis operibus abundarint, tum in mediis grassationibus hæreticorum nunquàm destiterint de suis benemereri.* Trident. sess 6. cap. 11. & can. 26. & 31.

Cupimus autem vnumquemque vestrum. *Non dicit volumus, quia imperiosum est verbum, ne à cepta modestia discederet: nec vos, nec vestrum quosdam eximios: sed vnumquemque.*

Eandem solicitudinem ostendere. *Quia Syri ferè semper exprimunt vocem σπούδην per chaphitutho, illam intelligit vigilantiam, qua homo studio habet augere bona sua, denique perseuerantiam. Cupio vos cursum intendere, & perseuerare. Non satest semel viros præstitisse bonos: sed cogitandum semper de addendis virtutum incrementis.* רבישותא

Ad consummationem spei vestræ vsque in finem. *Rursum aliquid adiiciatis olim reconditis thesauris, neque putatote vos consummasse, & iam adeptos illam πληροφορίαν: sed vt loquitur D. Petrus, per opera bona vocationem vestram in tuto collocate. Nec inuenis expectet, nec desperet decrepitus: sed vterque quándiu lux est, operetur. Facit hic lo-* 2. cap. 1.

cus

cus ad spei certitudinem commonstrandam, & ad excitandos animos ad operandum.

Et ne prȩcidatur vobis. *videlicet spei consummatio, & plerophoria. Aut ergo: Hoc etiam volo. Nisi sitis ita soliciti, excidemini. Græci habent* μὴ νωθροὶ γένησθε. *Atqui iam tales esse eodem vocabulo superiori capite dixerat segnes, & imbecilles ad audiendum. Respondent prius ita dictos, quia non erant tales, quibus tutò traderentur mysteria: hìc autem ob animorum segnitiem. Dum enim bonis operibus supersedet Christianus, multorumq; anteactorum bonorum sibi conscius ieiunat rariùs, lentiùs dat eleemosynas, orat remissiùs, dum securus inter nugas seculi versatur: sensim ita redditur à virtute alienus, vt difficilimum sit ad eam postea reuerti, sicq; per momenta recedendo à bono, fit transitus ad peccatum. Hinc facito periculum, quàm pauci sunt, quò sperant, peruenturi.*

Sed sitis imitatores eorum, qui in fide. *Primùm notandum est Apostolum clàm irrepere ad suum institutum, nimirum, vt proponat Abrahamum in exemplum. Deinde ostẽdet, quid sit opus facto, & quare debeant excellere sily Abrahæ, tandemq; rem eò deducet, vt capite proximo eundem componat cum Melchisedec. Quarè non dicit: Estote imitatores Christi, vt nostri hodiè volunt aduersarij, ægerrimè ferentes, vbi quis Diuorum Francisci, Benedicti, et aliorum se discipulum fatetur? Agitur autem proculdubiò de fide formata, & charitate prædita: vt homo non tantùm assentiatur fidei capitibus, sed simul ex formula eius professionis vitam instituat. Longo autem catalogo hos percensebit*

vn-

*vndecimo capite.*

Et patientia spiritus. *Ad verbum est, In longitudine spiritus. Igitur præter fidem, et charitatem, longanimitas adsit oportet; vt cùm ingruunt pericula, liberi in religione Christiana persistamus, guari quòd omnia sint in manu Dei.*

Fuerunt possessores promissionis. *Ostendit Abrahamum, Isaacum, & similes per fidem, laborumq; tolerantiam ad brabeum peruenisse; vt eorum sequacibus reposita præmia non ignoremus. His perstrictis, à digressione sensim discedit ad id, quod est præcipuum.*

| Syr. | Vulg. |
| --- | --- |
| Abrahamo enim promittens Deus, cũ non haberet maiorẽ, per quem iuraret; iurauit per semetipsum, & dixit: Benedicendo benedicam tibi, & multiplicando multiplicabo te. Et sic lõganimis factus, & reportauit promissionẽ. Homines enim per maiorem se iurãt; & omnis contentionis, quæ est inter ipsos, finis firmus est per | *Abrahæ namq; promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem iuraret, maiorem, iurauit per semetipsum, dicens: Nisi benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te. Et sic longanimiter ferẽs, adeptus est repromissionem. Homines enim per maiorem sui iurant; & omnis* |

per iuramentum. propter hoc ampliùs voluit Deus ostendere possessoribus promissionis consilium suum immobile, & constrinxit eã iureiurando duabus rebus immutabilibus, quibus non potest Deus mentiri: vt consolatio maior esset nobis, qui appropinquauimus ei & apprehẽderemus; spẽ nobis promissã, quæ est nobis tãquàm anchora certa in animabus nostris, & immobilis, & ingressa est intra velum; quãdoquidem eò præcessit pro nobis Iesus, & est

דשוחיית deichuudoieh alij pollicitationem: studiũ, ac propositũ tamen videtur passim magis vim Syram referre.

Quæ retinet animã nostram, nè commoueatur.

*nis controuersiæ eorum finis ad confirmationem est iuramentum. In quo abundantiùs volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilij sui, interposuit iusiurandũ: vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem; quam sicut anchoram habemus animae tutam, ac firmam, & incedentem vsque ad interiora velaminis, vbi praecursor pro nobis introiit Iesus, secundum ordinem*

Mel-

est princeps sacerdotum inæternum in similitudine Melchisedec.

*Melchisedec pontifex factus in aeternum.*

*DIscimus hac pericope, quantópere Deus fidelibus suis voluerit consulere. Erat enim plus satis, eum pro sua liberalitate libenter nobis esse pollicitum, quibus nullum, nisi damnationis, esset meritum: ipse tamen non ignorans nostram diffidentiam, ac desperationem, sponte se iuramento adstrinxit, quia summam nouerat inter homines iurisiurandi religionem. Et quia more hominum non potuit per se maiorem, per semetipsum iurauit: vt nos redderet inuictos contra omnem desperationem, & postmodum, in media licet desperatione, non dubitaremus affore quandoq; finem laborum. Hæ sunt igitur anchoræ duæ, quæ nos deductura sunt vsque ad ipsum sanctum sanctorum. Eò ergo tendunt omnia, Deum nos, quantùm in se est, securos reddidisse de suis promissionibus: & proinde inexcusabiles eos, qui desponderet animum, quales apud Hebræos non deerant quamplurimi. Sed ad ipsa iam verba.*

Abrahamo enim promittens Deus. *Notus ex Geneſi locus*: Per memetipsum iuraui, &c. *Quod enim Abrahamo tunc dictum est, vt ex hoc loco discimus, ad omnes fideles pertinet. Itaque nihil hîc corporeum somniare debemus, sed beneficia collata per Christum in eos, qui fidem receperunt, quorum omnium colophon est vita æterna. Nec debemus tantùm comparationem attendere, quòd sicuti ipsi Abrahæ iurauit, ita & nobis: sed hoc potiùs, quandò illi,*

*illi, tùm nobis promisit, ac iurauit.*

Per semetipsum. *Habent Syri: In animam suam. Quod propterea obseruandum, quia apud Ieremiã, seruata phrasi, dicitur iurare per animã suã: vbi alioqui videri posset ignaris aliquid singulare.*

Benedicendo benedicam tibi. *Hæc formula emphasim habet. Ego copiæ cornu bonorum effundam in te. Video quosdam interpretes de formula diuini iuramenti solicitos, verba hæc non Dei iurantis, sed iuramentum referentis angeli credere, & ad Hebræam particulam, ei, quam septuaginta, & Lucas hoc loco ἢ μὴν, noster interpres* nisi, *verterunt, confugere: quæ tametsi non habere propriam iuramenti significationem, sed tantùm adseuerandi concedamus; tamen omnis adsertio Dei iuramentum est. Quocirca non cuiusuis tantùm hîc vim obtinere iuramenti mihi persuadeo; sed etiam deierationis, vti superiùs dictum est ad illud:* Si introibunt in requiem meam. *Nisi benedixero tibi; habear vanus, & mendax. Interim credo præteritum pro præsenti positum Juro. Laudant autem hæretici hanc diuini iuramenti formulam: nostras autem per Deos, & Euangelium factas vehementer insectantur. Quid dicent, cùm Jacob per timorem patris sui iurantem audient? Nempe, Deum denotari. At nos quoque per eum, à quo Matthæo, Marco, Ioanni, Lucæ dictata sunt euangelia, & qui sanctos beauit, iuramus.*

Et sic longanimis factus. *In syro est ad verbum: Ipse prolongauit spiritum suum. Nimirum, vbi Deus illi sic promisisset. Monetur* Hebræi, *vt exẽplo Abrahami fortiter perferat, quicquid acciderit.*

Et

Et reportauit promissionem. *consecutus est benedictionem. Sicuti Deus illi se benedicturum promisit; ita copiosissimam fidelium posteritatem est adeptus.*

Per maiorem. *Si enim iurarent per æqualem, non facerent fidem, principem autem offendere iuramento non facilè inducunt in animum.*

Finis firmus est. *Ad certitudinem pertinet. Finis est fidelis, verus, fiducia plenus, vt certum reddat vtrumque. Atque olim hæc res se præclarè habebat. Nédum enim iuramentum ratum erat, sed omnis sermo instar erat iuramenti: quod Christi, & Iacobi verba iam olim sanxerunt: nunc autem meritò vota faciunt pij omnes, vt prisca religio, castigatis periuris, & sceleris grauitate suppliciorum atrocitate manifestata, reuocetur in orbem.*

Propter hoc ampliùs voluit Deus. *Poterat sola authoritate, & fide, qua apud omnes valet, persuadere suis cultoribus se non falsurum fidem: sed cùm vellet prolixissimè cunctis inculcatum, nunquàm mutatum iri beneuolentiæ huius consilium; istud περισσότερον fecit; vt omnem tergiuersantibus causam præcideret addubitandi.*

Consilium suum immobile. *schnuedaio non significat quodlibet consilium, sed decretum, sententiam, & quidem quæ promissionem habeat. Quicunque in filium meum credent, ac venientem in mundum amplectentur, benedicentur à me, donisq; perennibus beabuntur. Talis Dei patris sententia hoc consilio exprimitur.* שנודיא

Et constrinxit se duabus rebus immutabilibus. *Elegans est verbum Syrum chabscheh quasi se* חבשה

*Deus coniecerit in angustias, à quibus, nisi fidem liberet, eximere se non possit. Est enim perinde, ac si diceret, angustiauit. Etsi igitur multi Christiani pactis non stent: tamen haud metuendum est, nè Deus mutet sententiam; qui ita se constrinxit, vt retractare promissum haud possit. Non sunt hæc tamen indoctè accipienda; sed nostram vt mirè excitant gratitudinem.*

Vt consolatio maior esset nobis. *Noster per superlatiuum expressit. Quamuis autem Oecumenius, & Theophylactus* παράκλησιν, *ambiguã admodum vocem, per exhortationem explicent: noster tamen conueniens Paulo Syro, significatum consolationis elegit. Nihil enim aliud huioo, quàm consolationem, cui adiuncta sit exhortatio, designat. Quia autem Deus non eueſtigiò promissa repræsentat: opus est magna consolatione, & longanimitate: nè confertim irruentibus tentationibus, Dei promissionum fides elanguescat; si fortè per triginta, & amplius annos cum Abrahamo spem emere pretio compellamur. Nec incommodum est, quod Græci sequuntur; támetsi præter fontem. Si enim, vt fit interdum in longo certamine cum fortissimis aduersariis, lethale vulnus acceptum fuerit; si gladius excussus è manibus: nè fugias miser, nè desponeas animum, sta, irrue, neque te vnquàm victum putato. Hoc Lucas spectasse videtur, qui syram dictionem* בוּאָא *rabbo per* ἰσχυρὰν *vertit.*

Qui appropinquauimus ei. *Græci* καταφυγόντες *habent; quod hæretici sic accipiũt, quasi Paulus nos planè desperabundos esse iubeat. Scilicet, nisi desperet Christianus inter tot pugnas, & ingentia* רבא

*peri-*

*pericula; nisi suas opellas inutiliter adhiberi persuasum habeat: sperare, et seruari nõ poterit. Sed quàm sint hæc à Pauli mente aliena, monstrat syra lectio: neque tamen magis fauent latina, & græca dictiones. Vt enim Loth Sodomis digressus, sibi fuga consulebat in Segor: ita commune nostrum asylum nobis ostendit Apostolus. Sed quî hoc fit? Dum catechumenus videt manere catholicum iudicium, in quo sit positurus rationem omnium, quæ gesserit, cogitarit, dixerit; seq; non aliter, quàm per baptismum, à peccatis emundari posse: id agit, datq; nomen Christo; confugit ad Christum. Christianus, qui fortè pectoris hospitem spiritum sanctum exegerit, considerans indubitatum exitium, nisi succurrat pœnitentia; animatur, vt benè confidat de Dei misericordia; capessit in suo naufragio tabulam alteram, cõfugit ad Christum. Vniuersim itaque is ad Christum dicitur confugere, qui, quantùm in se est, vtitur Dei gratia, & auxilio, fungitur officio christiano; et quod reliquum est, sperat de Dei clementia. Et iam dictum est, non sola spe, sed & longanimitate Abrahamum consecutum esse promissionem.*

Et apprehenderemus spem nobis promissam. *Nisi benè animati, & recreati vnica consolatione, nunquàm consequemur: sed dum vulnera detergit pœnitentia, dum persanat, fouet, alit eucharistia, dum multiplex Dei auxilium stantes confirmat, erigit lapsos, labantes retentat, nõ antè remittitur impetus, quàm sit palma in manibus, Dei benedictione promissa, & sacramento firmata.*

Quæ est nobis, tãquàm anchora certa. *Atqui anchora iacitur in profundum: spes volucri pen-*

Vetustiss. lat. legunt. instar.

na cœlum petit. Sed nihil obest apostolico instituto hæc dissimilitudo. Anchoram si suspenderis, nihil efficies: sed infixam oportet, atque obrutam imo pelagi, si debeat quicquam adferre præsidij. Sic homo christianus in hoc salo vitæ præsentis, nihil habet certi, nihil vsquàm fixum offertur, nec terra stabilis, quam morsu stringat anchora, priusquam ad Deum, tanquàm solidum fundamentum, ac terminum perueniat. Igitur spei maxima consolatio in tot rerum procellis, ac turbinibus instar dicitur anchoræ, qua nostra defixa nauis, non temerè per inane feratur in cautes, & syrtes.

Immobilis. Quoniam interdum anchoræ arenis insidentes, tantùm verrunt fundum æquoris, neque sistunt nauem: Paulus hoc incommodum amolitur. Triũphabit enim christiana spes, prorsus emouerì statione non valens, aduersus huius seculi turbines, ac desperationem. Non cedet anchora tua, non elidetur, non frangetur: tu tantùm heroico pectore perseuera. Hinc discimus, quantopere has Dei promissiones admirari nos oporteat, quamq; sit nobis optimè prospectum.

Vt ad Matth. 27. dictum est.

Et ingressa est intra velum. Non solùm tuta, & firma est, sed altissimè subsidit. Velamen fuit quondàm quid inter locum sancti sanctorũ, & adytum templi. Eò igitur vsque penetrauit, ad medium (inquam) sancti sanctorum, anchora nostra. Quid hoc sibi vult? Anchora quantò penetrat altiùs, & funes longiùs euoluit, tantò hæret pertinaciùs: ita spiritali quodam modo in ipsum cœlum iactis anchoris, fortissimè retinemur, nè per vastum æquor magno cum discrimine, & tantùm non certissima pernicie

*cie iactemur. Si allegoriam detraxeris; hæc erit sententia: Si spem conceptam mordicus retineamus: illa nos perducet ad regnum cœlorum.*

Quandóquidem eò præcessit pro nobis, &c. *Quia enim iniectis veluti uncis suis Christum apprehendit anchora: necesse est eodem, quò ille præcessit, nos subuehi. Nec ille simpliciter eò præcesserit: sed pro nobis, præparans iter, salebrasq; complanans, quæ eius freti, & adiuti merito subsequimur. Græci, et Latini præcursorem vocant, vt nos ponè sequentes præparatas offendamus mansiones.*

## CAPVT SEPTIMVM.

*IOTIVS epistolæ membrum tertium dèinceps prosequetur Apostolus & Christi sacerdotium cum sacerdotio veteris legis conferet: idq; tam accuratè, vt etiam à nominibus argumenta deducat, nec loci, nec adeò eius, quod in scripturis omissum est, mysteria negligat. Et quia hæretici mirum in modum infensi nostro sacrificio; cuius nos typum dicimus fuisse Melchisedecianum, quod hic ex genesi Paulus repetit: tam effrænatè torrentes hic effundunt conuitiorum, & blasphemiarum, vt nè ipsis quidèm insontibus Dei parcant creaturis, quæ in prima creatione Deo benedicente laudatæ sunt.*

*Præscribitur autem in syro Paulo titulus, vndè totius ferè capitis verum scopum licet coniicere.*

Generatione Dei.

| Syr. | Vulg. |
| --- | --- |
| Iste autē Melchisedec fuit rex Scholim, sacerdos Dei excelsi; & ipse occurrit Abrahamo reuertenti à cæde regum, & benedixit ei, & diuisit ei Abraham decimas omnium, quæ penes ipsum essent. Interpretatur autem nomen eius, Rex iustitiæ, & rursus, Rex Schalim, id est, Rex pacis; cuius neque pater, neque mater scribuntur in genealogiis, neque principium dierum eius, neque finis vitæ eius: Sed in similitudine filij Dei manet sacerdotium eius. | *Hic enim Melchisedec rex Salem, sacerdos Dei summi, qui obuiauit Abrahæ regresso à cæde regum, & benedixit ei: cui & decimas omnium diuisit Abraham, primùm quidem qui interpretatur, Rex iustitiæ; deinde autem & Rex Salem, quod est, Rex pacis; sine patre, sine matre, sine genealogia; neque initium dierum, neque finem vitæ habens; assimilatus autem filio Dei, manet sacerdos in perpetuum.* |

ISte. *Est demōstrantis, & quidem eam personam, de qua capite quinto multa se habere dixerat. Nunc itaq; posteaquam auditorem vtcunque præparauit, institutum aggreditur.*

Fuit.

Fuit. *ythuhi. erat re vera.* יהוה

Rex Schalim. *Non satis conuenit sitne hæc eadem, quæ Ierusalem. Quidam aiunt, quidam negãt, vt ad Euagriũ Hieronymus, cui magis accedo. Nam Scholim fuit, vt narrat Moses, vicina Sodomis; & periculum quatuor illatum regibus hic videtur sibi metuisse: vndè apparet fuisse Chananæum.*

Sacerdos Dei excelsi. *Hoc ex Mose constat. Sed qualis sacerdos? Anacletus dicit non fuisse propriè sacerdotem; sed αὐτοματὴ, qui instinctu numinis ad hoc muneris est ascitus, nihil habens cum Iudaicis sacrificis commune. Et hoc typo conueniebat, vt nouum, ac singulare faceret sacrificium. Istud epithetum distinguit Deum ab idolis gentium, quæ in imo sunt, ac profundo depressa.*

Reuertenti à cæde regum. *charbo desolationem, deuastationemq; vertere licuisset: nisi in latini interpretis voce eadem comprehenderentur. Possemus ad alia progredi; si maneret eadem, quæ ante annos mille toti Europæ, & Asiæ fuit receptissima fides, verum esse in Ecclesia sacrificium, & sacerdotium, cuius typum gessit Melchisedec; eumq; non solùm commeatu fatigatum exercitum Abrahami recreasse, panemq;, & vinum tulisse obuiàm; sed verum Deo suo peregisse sacrificium: at hîc altùm vociferantes hæretici cogunt nonnihil subsistere. In primis autem petulanter exultat Theodorus Beza nobis (si Christo placet) homo pudentissimus triplicem impingens impudentiam, totiès, vidélicet, sui pudoris fidem facturus. Primùm quòd sit scripturis ignotum sacrificium Melchisedec: déinde quòd hãc ipsam scripturæ partem adciscamus in catholici sa-* חרבא

Plura habes in catechesibus.

ficij defensionem, quam in Mose, & psal. 109. & hîc in Paulo Spiritus sanctus editam voluerit ad explodendas reliquas omnes oblationes, & sacrificia, præter illud vnicum in cruce peractum à Christo, postremò quòd contendamus (sic enim interpretatur catholicorum patrum sententiam) non ipsum Melchisedec, sed panem, & vinum fuisse typum Christi, quem diebus singulis adigamus ad crucem. Hæc ille scelestus, pro hæretica modestia, vel potiùs demoniaca superbia. Nunc circunferamus oculos, nũ vsquàm alibi, præter istum occursum, non innuatur sacrificatum ab isto Melchisedec: ac tùm licebit statuere, quo merito nostro vocemur in inuidiam. In genesi igitur in nostra translatione dicitur Melchisedec protulisse, in hebræo autem est hotsi, quod efferre, vel proferre significat, septuaginta προσενέγκειν habent, pro quo reponunt plerique veteres προσφέρειν; vt penè mihi sit persuasum sic habuisse Septuaginta. Aduersarij Hieronymum proferunt. Audiamus. Is cùm alibi sæpius, tũ Matthæi 22. ostendit se intellexisse.

הוציא

Epipha. in hæres. 50. Eusdemõ. Euang. li. 5 cap. 3. Theodor. eclog q. 63 In epist. ad Euagrium & ad marcellam tãetsi inscriptã nominibus Paulæ, & Eustochij. Ibi Hieronym. (protulit) offerendi verbo mutauit.

Protulit, *eo, quo volumus modo, nempè, Melchisedec non obtulisse oues, & boues, sed panem, & vinum, & figurasse mysteriũ Christi, & sacrificium nostrum. An non ista vel cæcus videat esse eius, qui veram sacrificij rationem se hîc fateatur agnoscere? Est alius locus in hebraicis quæstionibus, & Matt. 26. nè dicam idẽ verbum hotsi vbi sacerdotes Aaronici victimas ad immolationem, & hyrcum educere dicuntur, occurrere, vt facilè sacrificalem hanc prolationem nos probaturos, vt alibi fecimus, cõfidamus. Ad eum igitur modum Melchisedec suam Scholim egressus, protulit secum ea, quibus erat rem diuinam*

*facturus;*

facturus; & tùm excepit epulo reducem Abrahamum. Ecclesiam autem huius vocis vsum istum recepisse constat ex prece diei Epiphaniorũ, quam secretam vocant, vbi inter alia mystes dicit se nõ proferre aurum, & argentum; sed quod ijs fuerat figuratum. Cùm igitur (vt omittam Tertullianum, & Cyprianum lib. 2. epist. 3. hebraismus ita se habeat; & Ecclesia receperit: non est, quòd de vocabulo nobis litem frustrà moueant argutuli. Neque probabilius aiunt istud à patribus excogitatum. Et siquidem Rabbinorum testimonijs res confici queat; Galatinus multos adducit: sed vereor nè illorum testimonijs se grauari nolint. Certè Philonem, quem antiquitas christianum vocat, reijcere non audebunt in elegantissimo libello de conuẽtu ad capessendas disciplinas. Is igitur factum illud Abrahami adserit studiosis omnibus profectus, & eruditionis exemplum suppeditare; prolixeq; ad imitandum hortatus, inter alia narrat Melchisedeco id moris fuisse, victores prius ad sacrificium, quo agerẽtur gratiæ Deo; ac deinceps ad visceration em, & epulum inuitare: quod etiam vbique gentium obseruatum historijs notum est. Hæc cùm apud illum scriptorem legerint: ecqua maledicendi, & mentiendi libido est, vt dicant patres hoc loco sacrificium excogitasse, nec ibi quicquam præter occursum, intelligendum; cùm apertissima Philonis narratione rei diuinæ epulũ successisse proditum sit? Sed Paulus hoc ipsum fortius probabit. Nam cùm dicitur Melchisedec benedixisse Abrahamo, aduersarij attoniti fatentur non esse vulgare, sed solenne, ac religiosum omen, quo Deo gratus sacerdos homini benè consuleret; nec defuisse quiddam sacerdotale

Tertull. li. aduersus Iudæos. Legit Cypria. ex Ieremia: Ego sicut agnus sine malitia, productus sum ad victimã li. 2. Epi. 3.

tale. Dum igitur dicit Apostolus Melchisedec occurrisse Abrahamo, vtitur insigni synecdoche, priori loco referens, quod póstea secutum est: Moses autẽ dum dicit eum stetisse, & benedixisse, vehementiùs refutat hostes. Non dicent, credo, Philonem Petro, cardini religionis & spiritus hypophetæ, adulari voluisse, qui vti suxerat ex D. Marci discipulis, ita diseruit; vt si fieri queat, garrulis imponat silentium. Vt tamen eius suffragio aliquid accedat põderis: expendatur Iosephus lib. 1. antiquit. cap. 18. & lib. 2. ca. 7. belli Iud. & habeat vanus, si non hæc ipsa cõfirmet, nempè, Melchisedec non tantùm commeatu subuenisse Abrahamo, tanquàm veri Dei cultori; sed antè Deum quoque ipsum ob datam victoriam concelebrasse. Frustrà igitur patribus conflatur inuidia: cùm his duobus antiquissimis, Iosepho (inquã) atque Philone testibus sit certa fides, edoctis à discipulis Apostolorum, quibus partim contra alios hæreticos, partim cõtra Melchisedecianos fuit negotium, vti testantur D. Epiphanius in hæres. & Hieronymus ad Euagrium. Pars altera besanæ reprehensionis est, missam ignotam veterrimis, neotericis esse cõfictam: cui si respondere nunc esset animus, permitterem vtrum vellet, de re, an de nomine agere. De nomine, inquit: legat igitur Iulium Africanum in vita Matthæi, & videat an ne missa significet sacrificiũ, quod etiam nunc vocamus. Sed authorem dubium causabitur. Romanos pontif. obijci sibi non patietur, Clementem, Fœlicem, & alios fortissimos, sanctissimosq; martyres. Ambrosium, credo, non aspernabitur, planè diuinum scriptorem. Igitur narrat ille nihil se moratum hæreticos, in missæ celebratione perrexisse

Trident. sess. 22. c. 1.

Libr. 5. epi. 33.

*rexisse: quòd oblatione facta sperarat se impetraturum, nè Ariani tantùm nocerent, quantùm vellent. Seuerus Sulpitius à suo præceptore D. Martino refert peracta missarum solennia, quæ mox agẽda vocat, & in medio dominicum appellat sacrificium, nè quis detorqueat ad oblationes à populo factas.* In vita li. 2

*Cùm itaque scriptores antiqui nominis meminerint: quid est, quòd accuses infantiam? Quòd Illyricus in Anglia negat cognitũ istud vocabulum ante Vitaliani tempora, vanissimum esse docuerunt pridèm nostræ catecheses ex Beda, quibus appẽdicis loco appendam Hilduuinum referre Dionysium in carcere dominica solennia celebrasse, vt non deesset in mortis præsenti discrimine viaticum, & amuletum. Sed fortassis appellationem se nequaquàm morari dicturi sunt, deq; ipsa re litem mouebunt. At si quid mentis haberent sanæ, parciùs suam traducerent imperitiam. Nunc enim perinde agũt ac si missam Clemẽtis, & fragmentum Procleanæ, Iacobi, eiusq; successoris Cyrilli, Basilij, & Chrysostomi nunquam audiissent, vt omittam doctissimum Germani commentarium, & D. Ambrosij formulam propediem cum multis alijs prodituram. Cui enim hæc non sunt ignota, posset missa non esse cognita, aut nuper confictum videri sacrificium nostrum? Aliàs testium classes in istud iudicium produximus. Versatur in manibus Tertulliani in missam commentarius, támetsi de oratione inscriptus, vixq; reperitur vllus scriptor, qui rei diuinæ non meminerit: & isti quasi in alio enati mundo, postulant eius rei testes, quæ omnium penè suffragijs est testatissima? Verùm, inquit, sires ita habet: Melchisedec non Christi sacrificij, sed panis,* Libris Anglic. Hist. In Areopagiticis.

*& vini*

Strom. 4. Hæresi. 55. In æclog. quæst. 63.

& vini vestri typum gesserit. Miror, quid huic in mentem venerit, vt ita colligat. Maiores nostri Clemẽs Alexãdri. Epiphanius, Hieronymus, Theodoretus, Damascenus, adserunt Christi figuram fuisse Melchisedec; eiusq; mensam, & oblationẽ typum, & imaginem sacrificij, & victimæ christianæ; adeò vt Hieronymus ausus sit ita loqui: Melchisedec fuit typus corporis, & sanguinis Domini. Sed surdis dudum ista canimus; & quibus omninò persuasum est, summam esse impietatem panem, & vinum offerre; quamuis ipsimet negare nõ audeant, eadem in oblatione Melchisedeciana fuisse. Fatebor equidem, si dè ritu Caluiniano, & Besano loquantur: sed Hieronymus nunc explicauit sub horum figura, quid offeramus: quæ non offeruntur, vt talia maneant; sed in momento sacrificij transmutantur; ac tũc demùm vera est oblatio. Reliqua est vna calumnia. Qua fronte audetis, inquit, hanc scripturam ad vestrum detorquere sacrificium: cum Apostolus per eam probet nullum post crucem sacrificium esse reliquum? Quasi verò si dixero Nilum in mare septem ostijs suas vndas euoluere: quisquam non eundem esse fluuium sit adserturus. Dicimus & nos sacrificium nostrum virtutem crucis Christi, & ibidem peracti ab illo sacrificij ad nos deriuare; nec aliam, aut aliundè, quàm eam ipsam virtutem habere. Quòd si autem hostia crucis omnia perfecit, vt nihil addi queat: desine tu quoque, Caluine, tuam cœnulam, aut ientaculum prædicare, neque deinceps doceto baptismũ esse necessarium sacramentũ. Quod si tibi istud agẽdum non putas, fatere nobiscum sacramenta omnia, & proinde nostrum etiã sacrificium, esse labra, quibus

in nos

*in nos deducitur energia sanguinis Christi. Sed pergit. Si omninò superſit aliquod ſacrificium: ergo errat in Paulo Spiritus ſanctus. Ipſe mihi Caluinus hoc loco telum ſuggerat. Nam vbi Melchiſedeci ſcripturæ patrem reticent, dicit myſterium denotari ſilẽtio. Quod ſi veriſſimum eſt: quin idẽ tibi perſuadet myſticum hìc fieri iuſſum à ſpiritu ſilentium: præſertim cùm alibi Paulus non diſſimularit ob rei dignitatem factum? Sed reuertamur ad inſtitutum, vndè procul excidit oratio. Credo igitur iam confeſſum eſſe, iſtum occurſum habere ſynecdochen, & poſitum pro toto negotio religionis, quod nomine deſignatur ſacrificij.*

Et benedixit ei. *Hæc eſt pars ſacrificij. Et in Ambroſij, deniq; Martini miſſa apparet quandam fuiſſe populi benedictionem, vt Paulus principium, ac finem poſuerit rei geſtæ, media reticuerit. Benedixit igitur non ſimpliciter, aut quemadmodùm qui promeritum celebraret, ſed vt ſacerdos plebi. Nam vt docet Epiphanius, vnà benedictionem Abrahami ſocijs impenſam intelligimus.* Hæreſ. 55.

Et diuiſit ei Abraham decimas omnium, quæ penes ipſum eſſent. *D. Hieronymus dicit ad Euagrium eſſe dubium ex ſcriptura tam græca, quàm hæbrea, an Abrahamus obtulerit, an contrà ſuſceperit à Melchiſedec, an vterque viciſſim & dederit, & acceperit, vt alter ex relatis hoſtium manubiis, alter de ijs, quæ poſſidebat, ſibi inuicem decimas obtulerint. Et hoc videtur Iudæorum commento factum, qui egrè ferebãt Abrahamum quodammodo depreſſum videri: ſed Paulus Syrus omnem excludit ambiguitatẽ, & Hieronymus ibidem apertiſſimè*

simè dicit religiosum victorem, spoliorum quicquid fuerat optimum, Deo obtulisse in sacerdote eius. Nã illud extra omnem controuersiam reor, decimas non exactè partem decimam, sed præstantissimum quodque, & optimum designare.

Interpretatur autem nomen eius Rex iustitiæ. Malco decinutho. Hinc, & ex sequentibus liquet sãtis friuolas esse illorum obiectiones, qui dicũt Paulũ non potuisse interpretari, quæ habet Moses. Primum quidam contẽdunt pro virtutis merito nomen impositũ viro, vti Magnos Pompeos, Antonios Oratores, Asiaticos, &c. audimus. Cùm igitur hic rex esset iusti tenax, ita nuncupatus est. Patres autem sic dictum aiunt, propter antitypũ Christum regem, ac fontem omnis iustitiæ. Non fuit tãtùm vir iustus, & rex: sed fuit quasi instrumentum Dei, cuius cùm exemplo, tùm doctrina alij tales euaderent, vt iustus, & causa fuerit, saltem per occasionem, alienæ iustitiæ. Christus autem vocatur rex iustitiæ, siue iustus (idem enim sunt hebræa phrasi) nõ solùm quia ipse iustus, sed quia factus est nobis iustitia: non quasi manentium in impietate vitia contegat, sed quia re vera participes efficimur eius iustitiæ. Neque iterum quasi Dei iustitia, id est, essentia sit in nobis (vti somniauit Hosiander) & ipsi infusam, & inhærentem iustitiam non habeamus: sed ita factus est nobis iustitia; vt cuique propriam largiatur, quæ animam hominis exornet, Deoq; gratam, & acceptam reddat. Est igitur antitypus Melchisedec, primùm quia omnis origo iustitiæ; deinde quia per sacramenta, & alia instrumenta infundit iustitiam quam deinceps fidei, spei, & charitatis exercitio

מלכי דבאמותא

Sic Iosephus lib. 1. c. 11. antiq.

Sic Areop. cap. 10.

tio auctiorem efficit.

Et rursus Rex scholim. *Siue salem: nihil enim est aliud, quàm hebraica, & syriaca prolationis varietas. melec schalim, ita Moses. Paulus autem syro hæc reddens idiomate.* מלכ שלין

Id est, Rex pacis. *malco daschlomo. Erat enim Rex, & sacerdos. D. Hieronymus citato loco dicit omnes Latinos, ipsumq; Iosephum putare eam fuisse* Lib. 1. c. 18 antiquit. *vrbem schalim, quã dicimus Ierusalem, immò Ionathas ad Genesim pro schalim Ierusalem reposuit: Hieronymus tamen ad Euagrium, vbi rem magis seriò expendit, ait fuisse vrbem chananeã iuxta Schytopolim, vbi Iacob dicitur venisse in Socoth iuxta Schalim, & sua ætate ibidem ruinas palatij Melchisedec visas narrat. Igitur figurabat Melchisedec Christum regem pacis, illumq; esse fontem omnis veræ pacis, quæ diffusa in corda fidelium sensum omnem exuperat, consectanea reconciliationis cum Deo. Neque tamen & hæc publica homines inter pax non est Dei haud pœnitendum munus.* מלכא דשלטא Genes. 14. Genes. 13.

Cuius neque pater, neque mater scribũtur in genealogijs. *Græci scitissimè ἀπάτορα, καὶ ἀμήτορα, καὶ ἀγενόσικον vocant: quod audent quidã reddere, incerti patris, & incertæ matris. Planius tamen in syro. Neque in Genesi, neque in paralipomenis vel pater, vel mater nominatur, vel omninò tegitur eius genealogia: cùm fuerint harum rerum Iudæi semper studiosissimi; adeò vt vocet Apostolus interminatas genealogias. His verbis magnópere nitebantur hæretici, de quibus in eadem epistola Hieronymus, & Epiphanius in hæresibus Hieracitarũ, & Melchisedecianorum. Hierax enim istum adscrebat*

rebat Spiritum sanctum: Samaritæ Sem Noë filiũ; ita Ionathas, ita Iudæi recentiores, & illorum nimis addicti sententiis hæretici; quos opinione multorum manifestè refutat cùm historia geneseos, tùm annorum ratio. At nos rem in dubio relinquimus, quæ numeros tangit, ob calculum 70. & supputationẽ Hebræorum diuersissimam. Quæ igitur silentij ratio? An quod voluere nõnulli, quia matre scorto, patre incerto natus? Sed respondit huic calumniæ iam olim Epiphanius. Quæ igitur alia? Vt nimirum silẽtio referret quodammodo Christi generationem æternam, & abditissimam. Nam alioqui vt cuncta displodantur deliria; huius viri Patrem Heraclã, Matrem Asteroth, siue Asteriam idem vocat Epiphanius. Addit præterea non huic soli accidisse, vt parentum series nusquàm, vel nomina proderentur; cùm in Elia, Daniele, & alys idem deprehendamus: nè videlicet hæreticis ea re commenti præberetur occasio: si in vno tantùm id contigisset. Id igitur sibi vult sine patre, sine matre, &c. nempè, Spiritum sanctum noluisse per Mosen huius viri parentes, ac stirpem in scripta referri. Hic itaque etsi patrẽ habuerit: tamen perinde ac si caruerit, in scripturis non nominatur. Christus autem revera patrem in terris non habuit, nec in cœlis matrem: & veritas in Christo; typus, & vmbra in Melchisedec. Christus quoque duplici modo est sine genealogia; cuius generatio enarrari non potest. Nam vt omittamus æternã; ad quã nè aspirare quidem licet: quis eam, quæ in terris super omnem naturam est, assequi valeat?

In Melchisedecianis.

Ignatius Epiph. Hier. aiunt virginẽ fuisse Melchis.

Neque principium dierum eius, neque finis vitæ eius. Est eodẽ modo intelligendum. Neque enim

*enim, quod dè alijs legimus in generationum serie, vsquã de isto occurrit; vt dè ortu, ætate, morte quicquam liceat constituere. Et hæc rursum, quantùm ad Melchisedec, in typo. Christus autem verè secũdum diuinã dè patre generationem est æternus, neque initium, neque finem habens, immortalis Deus, & fons immortalitatis.*

Sed in similitudine filij Dei manet sacerdotium eius. *Hoc vtebãtur loco Veteres aduersus eos, qui Melchisedec Dei filium Christo superiorem adserebant. Quomodo enim, si esset Dei filius, diceretur assimulatus filio Dei? Noster autem Syrus apertissimè confutans hæreticam impietatem, dicit in similitudine fuisse filij Dei Ex parte fuit Dei filio similis; nimirũ, quia eius sacerdotium manet in æternùm. Quómodo? Quia in scripturis neque patrem, neque matrem, neque genealogiam habuisse, neque sacerdotio defunctus fuisse dicitur, quod est æternitatis quoddam exemplar. Euthymius dicit propterea manere sacerdotem; quia eius filij non nominantur, quibus per manus sacerdotium tradiderit, vt Aaron Eleazaro, hic Phineæ, qui rursus alteri. Sed qua ratione Christus manet æternùm sacerdos? Quia semèl obtulit sacrificium, ex quo olim, & nunc omnia sacrificia vim habẽt, & habitura sunt suam; deinde (vti patres Tridentini aiunt) quia sub vltimam noctem sacrificium instituit, quod ipse obtulit, & eo fruitus est, teste Cypriano, quod habet vim ex cruce; & sic instituit, vt perpetuò offerretur, non tã per homines, quàm per ipsum. Vnde sic loquitur Epiphanius. Christus est victima, sacerdos, altare. & suscipit sacrificium: ita vt sacerdotes manum accõ-*

*modent, lingua verba pronũtient; sed Christus peragat, quia eius meritum, & virtus operatur. Undè enim alioqui tanta vis homini mortali, vt panem, & vinum in corpus non quodlibet, sed filij Dei, momento transmutet? Rectè igitur œcumenius: Si considerauerimus, inquit, Christi sacrificium, tantùm vt est oblatum in cruce, atque in cœna institutum: non possemus æternum eius sacerdotiũ adserere. Nulla igitur est hæreticorum cauillatio, prementium verbum μένει, manet. Nam cùm agatur dè Melchisedec, qui assimilatus est filio Dei; liquet non accipiẽdum, vt ipsi somniãt, quasi omne sacerdotium excludatur. Nam tunc nè Aaron quidèm, eiusq; filij sacerdotes, aut pontifices dici possent, qui Melchisedec ætatem secuti sunt. Manet igitur: quia scriptura non dicit mortuum, ac desijsse. Notandum autem diligenter Syrum Paulum non sacerdotem, sed sacerdotium dicere, támetsi tantundem fortassis videatur: magis tamẽ refragatur hæreticorũ instituto, neminẽ scilicet mortalium visibile habere posse sacerdotium. Igitur Christi sacerdotium manere adserimus, quod in cœna institutum secundum ordinẽ Melchisedec, propter vsum panis, & vini: déinde quia sacerdos ipse est, ac per suos quotidiè sacrificium perficit, hostiam suggerens ministris, efficacem reddens, & cum patre suscipiens. Hactenus quæ erant de typo considerãda. Nunc eadem est mira industria Paulus in antitypo demonstraturus.*

| *Syr.* | Vulg. |
|---|---|
| Spectate autẽ, quãtus sit iste, cui Abrahamus, | *Intuemini autem, quãtus sit hic, cui et* decí- |

hamus, caput patrũ, dedit decimas, & primitias. Iis nãque, qui ex filijs Leui suscipiũt sacerdotium, mãdatum est lege, vt decimas accipiãt à populo, ipsi à fratribus suis etiamsi & ipsi dè lũbis Abrahami sint egressi. Iste autem, qui scriptus nõ est in genealogiis ipsorũ, decimas accepit ab Abrahamo; & benedixit ei, qui acceperat promissionem. Non est controuersia minorem benedici à se maiore. Et hic homines mortales accipiunt decimas. Atqui de hoc testatur scriptura, quòd viuat: & vt quis dicat; per Abrahamum ipse quoque Leui, qui alioquin

*decimas dedit dè præcipuis Abrahã patriarcha. Et quidèm de filijs Leui sacerdotiũ accipientes, mandatum habent decimas sumere à populo secundum legem, id est, à fratribus suis; quãquàm & ipsi exierint dè lumbis Abrahæ. Cuius autem generatio nõ adnumeratur in eis, decimas sumpsit ab Abraham; & hunc, qui habebat repromissiones, benedixit. Sine vlla autem cõtradictione, quod minus est, à meliore benedicitur. Et hic quidẽ decimas moriẽtes homines accipiunt: ibi autẽ cõtestatur quia viuit. Et*

quin decimas accipit, decimatus fuit. Nam etiam tunc in lumbis erat Abrahami patris sui, cùm ei occurreret Melchisedec.

*(vt ita dictum sit) per Abraham, & Leui, qui decimas accepit, decimatus est. Adhuc enim in lũbis patris erat, quãdò obuiauit ei Melchisedec.*

*VT hæc pericope meliùs intelligatur; credo non futurum abs re, si argumentorum antè membra aperiamus. Hoc igitur agit Apostolus, Iudaicã hierarchiam, & Aaronicum sacerdotium esse multis nominibus impar Melchisedec. Erant enim Leuitæ mortales, eorum decimatio non erat perpetua: deinde à fratribus, qui laborarunt, decimas accipiebãt, agnoscentibus cuncta se habere à Deo, cuius erat Leuitæ ministerijs mãcipati. At Melchisedec non ab ipsis Iudæis, sed à capite omniũ accepit Abrahamo, cui promissum erat à Deo futurum, vt in eius semine benedicerentur omnes gentes. Et hoc ad rem facit, quòd is nulla lege coactus, sed vltrò dederit, solam in Melchisedec dignitatem, religionem, ac typum reueritus. Adhæc Leuitarum neque familiæ, neque numerus ignorabatur, legisq; præsidio fulciebãtur ad agendum: Melchisedec neque lege, neque genealogia nixus, primò congressu ita rapuit Abrahamũ in sui admirationem, vt omnium primitias, ad sacrificium accedens, offerret. Qui & ipse Leui, cùm posteris omnibus, in paterna illa pietate numerandus est. Mirabilem igitur hunc esse oportet, cui legalis hierarchia*

*rarchia vniuersa libenter tributũ pendit, typo Christi sponte se subiiciens. Quid si nunc ipsum Christum conferres?*

Spectate. *Religiosum mihi est à verbo discedere. Latini tamen, siue contemplari dicant, siue intendere, non adsequuntur, quod in Syra, & græca voce positum est. Vos, qui estis exercitati in componendis theorijs, & mysticis contemplationibus, hîc eã artem exercete, & expendite, quod dudum exposui. Nam apud Dionysium, & Chrysostomum θεωρεῖν mysticè interpretari, & figurã accommodare veritati significat: vt sit hic sensus, Figuram Abrahami, et Melchisedec allegorica contemplatione interpretamini.*

Cui Abrahamus, caput patrum. *In quo, velut in radice, & semine, latẽt res Iudaicæ, & tota hierarchia legalis. Hinc licet constituere, qui sint patriarchæ.*

Dedit decimas, & primitias, *quod est indiciũ verissimæ subiectionis. Exprimit Syrus duabus vocibus, quod Lucas vocauit* δεκάτην ἐκ τῶν ἀκροθινίων. *Significant autem* ἀκροθίνια *ea propriè, quæ defuncti periculis ex voto offerunt. Latinus vertit præcipua, vt primùm idẽ sit, quod præstantissimũ, deinde quod loco decimarum Deo, propter liberationem ex periculo quopiam, offertur. Dedit igitur Abrahamus, non malignè, quod fuit deterrimum sed nobilissima quæque: nec auara manu, sed liberaliter, vtpotè decimam.*

Iis namque, qui ex filijs Leui, &c. *Est alia comparatio. Mementote huius, quod scitis mãdatum esse in lege filijs Leui, vt acciperent decimas à populo, non autem à sacri ordinis hominibus. Nisi*

*enim id lege cautum fuisse: neque dedissent gens auara Iudæi, neq; Leuitæ extorquere potuissent. Igitur iussi facere, fecerunt, licèt in prophetis aliquãdo appareat eos fuisse legis huius oblitos. Sed Abraham fortè nunquàm priùs viso, occurrenti, & ad sacrificiũ inuitanti, summa liberalitate cuncta detulit: Leuitæ autem à fratribus suis non ita depressis, sed penè æqualibus.*

Etiamsi & ipsi dè lumbis Abrahami sint egressi. *Noster Latinus non ita perspicuè*: Quanquàm & ipsi exierunt de lumbis Abrahę. *Dubium enim est, an ad Leuitas, an ad populũ sit referendum: sed Syrus proculdubiò ad populum respicit. Lex præcipit Iudæis eodem patre natis, eosdem sortitis proauos, dare decimas, & primitias.*

Iste autem, qui scriptus non est, &c. *Leuitæ habebant suas genealogias, ex quibus probatum facerent se esse ex genere leuitico, sibiq; proinde deberi decimas: Melchisedec autem nihil tale habuit, neque tamẽ ideò minùs vberrimas decimas promeruit.*

Et benedixit ei. *Nõ tantùm laudauit, sed profuit homini, Deoq; reddidit amiciorem sacerdotali benedictione.*

Qui acceperat promissionem. *Et id quidèm erat eximium, quòd ea ratione fuerat Abrahamus toti mundo prælatus, dum illi conditum est à Deo: Tu ex omni carne meus es, futurus es meæ particeps æternitatis, ex tua carne meus aliquando nascetur filius, solaq; tua posteritas salua futura est. Nihilominus tanta prærogatiua locupletatus, sese lætabatur auctum Melchisedeciana benedictione.*

Non est controuersia minorem benedicià se ma-

se maiore. *Hæc pars magnas habet difficultates.* Numer. 6.
*Sunt enim aliquot genera benedictionum, quæ hîc videntur posse intelligi. Est enim sacerdotum benedictio in Numeris; vbi re vera fore benedictos dicitur eos, quibus sacerdotes fuerint benè precati. Videre licet alterum genus benedictionis, qua & animantes, & res exanimes feruntur benedicere Deum. Est & tertium, quo maioris quispiã authoritatis vtitur erga alterum. Sic Isaacus declarauit Iacobum hæredẽ fore diuinæ promissionis factæ Abrahamo; sic Iacobus benedixit filijs Iosephi, & efficta brachijs cruce ostẽdit se promum condum futuræ per eandem benedictionem fœlicitatis. Est difficilimum videre, quomodo istud dicat Apostolus. Quia tamen præcessit Abrahamum, vt subditum, & laicum à Melchisedec benedictum fuisse: videtur conuenientius, vt dè sacerdotali accipiamus; qua Deus per sacerdotem, vt instrumentum, benedicit homini. Non desunt, qui ad secundum genus, quod latissimè patet, quod non est aliud, quàm laus, & elogium, pertinere volunt: sed proculdubio consistere illud non potest; dùm videamus à minore faustis acclamationibus quotidiè maiorem benedici. Sed mox per alia scripturæ loca cogimur in magnas angustias. Quid enim dicemus dè Simeone doctissimo, ac legis peritissimo; qui apud Lucam refertur puerum, secundum exemplaria latina, vel vnà cum puero, ipsos quoque parẽtes, vt Syri, & Græci legũt, benedixisse? Num Christo, vel Maria maior fuit, qui sibi arrogare ausus est benedicere cœli, terræq; reginã, quam haud ignorabat, qui occultissimorum se conscium fuisse prodit, & (si credimus Hebræis traditionibus) discipulus Hillel*

fuit, quem cum Solomone paria facere potuisse adserunt. An antè puerum nesciebat Deũ esse, qui in spiritu venisset in tẽplũ? Quomodo ergo dicit Paulus istud alienum ab omni controuersia? Et si quorũdam recentiorum, & nonnullorum Græcorum sentẽtiam sequeremur, adserentium Simeonem non sacerdotem, sed plebeium, & vnum è vulgo fuisse, quæstio redderetur difficilior: magis tamẽ vetustioribus accedo, sacerdotem dicentibus. Nam & Epiphanius vocat insignem sacerdotem, & prophetam ex domo Aaron; cui subscribit Cyrillus Ierosolymitanus in quadam concione, nupèr in vitis Aloysij Lippomani edita. Hic igitur Mariæ, ac Iosephi modestiam considerans; tametsi non ignoraret haud egere sua benedictione: eam protulit formulam lege præscriptam; suoq; functus est officio. Quòd si quis eum velit tãtùm legis interpretem, non sacerdotem; cæteroquin virum sanctissimum: extra controuersiam est fuisse prophetam, & sicisto fungi munere potuisse. Quòd si à sententia Cyrilli, & Epiphanij discederemus: non indoctè quandam προσποίησιν agnoscemus, solumq; ad Iosephum benedictionẽ pertinuisse; maximè cùm mox dicatur conuersum ad Mariam dixisse: Ecce positus est, &c. Huc facit, quod ex Cyrillo Alexãdri. superiùs dictum est non obstitisse Abrahami præstantiam, quominus ei Melchisedec sacerdos benediceret. Sed ad viam reuertatur oratio. Est sacerdos, dum suo fungitur officio in benedicendo, maior non quidèm semper vitæ merito, sed dignitate functionis, & numeris; & plebem, quantúmvis sanctam, hac parte lõgè superat, vt Melchisedec Abrahamum; licèt maiorem huic sanctimoniam Cyrillus non vereatur

Theophy. Euthymi.

In synopsi.

In festo purificationis Deiparæ.

veatur adscribere. Nec illud parùm ad rem facit, quòd Epiphanius in Collyridianis ait Virginẽ sanctissimam angelicæ puritatis, ac virtutis optimè sibi conscium, se pro laica gessisse; atque in iis, quæ religionis erant, sacerdotum ministerio eguisse.

Et hîc homines mortales accipiunt decimas. Quorsum? Si Melchisedeo sacerdotio successit lex: ergo illud abrogatum est, legisq; sacerdotiũ fuerit Melchisedeciano præstantius. Quid enim alioqui Aarone fuit opus? Hoc incommodum tã dextrè Paulus amolitur, vt doceat simul ipsam legem declarare legale sacerdotium non fuisse perpetuum, sed per illud, quod ante legem fuerat, quod Christus erat reducturus in orbem, antiquandum fuisse. Cùm igitur in Mosaica religione mortales decimas acciperent: sua ipsi morte innuebant sacerdotium non esse permansurũ, cuius administri morerẽtur, sibiq; per manus prouinciam traderent. Voluit enim Deus illud ad tempus duntaxat esse ratum, donec Iudæi dediscerent superstitiones, & pecudum, quas in Aegypto viderant, mactationes: simul autem vt venit Christus; atque illi visi sunt edormiuisse crapulam Aegyptiacã; tùm rediit sacerdotium Melchisedecianum. Sed nunquid & Melchisedec mortuus est?

Atqui dè hoc scriptura testatur, quòd viuat. Sacerdotum enim legalium mortes leguntur, dè isto nihil simile: quod est indiciũ immortalitatis. Sic interpretes. A quibus si licet interdum nonnihil religiosè discedere; scripturæ vocabulum, quod Latini, Græciq; non habent, mihi videtur psalmum 109. digito commonstrare, ad quem superiùs respexerat Apostolus: vt ille psalmus testetur sacerdotiũ Mel-

*chisedec esse æternum; sicut reliquis in scripturis Iudaicum intermoriturum fuisse manifestum euadit.*

Et vt quis dicat. *Si licet vera loqui; si quod in re ipsa latet, proloqui possem. Græci, vt ita loquar, vt breuiter, & compendio dicam.*

Per Abrahamum ipse quoque Leui, &c. *Per metonymiam Leuitas omnes, ac vniuersam hierarchiam Mosaicam intelligit, quæ cùm accipiat decimas, dedit Melchisedec.*

Nam etiam tunc in lumbis erat. *Hinc ducimus regulam demonstrandæ labis originalis. Quomodo enim per proauum Leui, cum tota posteritate, decimas dedit: sic omnes in Adamo peccauimus, in quo velut in semine latebamus, accepturi bona, si permansisset, si secùs, mala, quæ nunc exhaurimus. Enumeratis ad hunc modum argumentis, quibus Melchisedec sacerdotium legali præfertur: relinquit cogitandum Iudæis, quid de prototypo sit statuendum. Videtur autem viris doctis, nec immeritò, iam expedita de sacerdotio quæstione, nouum caput instituendum. Nam hucusq; de rebus propositis, regno, apostolatu, ac sacerdotio Christi disputauit: & tanquàm si satis de eius persona disseruisset, mutato nunc ordine de ipsius officijs ab hoc loco vsque ad decimum octauum versum capitis duodecimi disputabit, quem tùm vsque ad caput decimumtertium excipiet de apostolatu tractatio, ac postremò de regno est verba facturus, vt inuersa serie eò dem se recipiat, vndè progressus est.*

| *Syr.* | Vulg. |
| --- | --- |
| Quòd si igitur perfectio | *Si ergo consummatio* |

fectio per sacerdotiũ Leui esset, in quo lata est lex populo: quãobrem requisitus fuisset sacerdos alius, qui surgeret in similitudine Melchisedec? Dixit autem, in similitudine Aaron vt fieret: sed quemadmodùm fuit variatio in sacerdotio; sic variatio fuit in lege. Is enim, dè quo hæc dicuntur, dè tribu alia fuit natus, dè qua nemo seruierat in sacrario. Manifestum est enim de tribu Iuda ortum esse Dominũ nostrum: dè qua tribu Moses nihil dixit, quod pertineat ad sacerdotiũ. Et ampliùs rursùm notum est in eo, quod dixit in similitudine Melchisedec

*matio per sacerdotium Leuiticũ erat (populus enim sub ipso legem accepit) quid adhuc necessarium fuit secũdum ordinẽ Melchisedec aliũ surgere sacerdotem; et non secũdum ordinem Aarõ dici? Trãslato enim sacerdotio, necesse est, vt & legis trãslatio fiat. In quo enim hæc dicũtur, dè alia tribu est, dè qua nullus altario præsto fuit. Manifestũ est enim, quòd ex Iuda ortus sit Dominus noster: in qua tribu nihil dè sacerdotibus Moses locutus est. Et ampliùs adhuc manifestum est, si secundũ similitudinem Melchise-*

dec surrecturum aliũ sacerdotem, qui non esset secũdum legem mandatorum carnalium: sed secundum potentiam vitæ indissolubilis. Testatur enim dè eo, esse ipsum sacerdotem inæternum secũdum ordinem Melchisedec.

*chisedec exurgat alius sacerdos, qui nõ secundum legẽ mãdati carnalis factus est; sed secundum virtutem vitæ insolubilis. Conteſtatur enim quoniam tues sacerdos in æternũ secundum ordinem Melchisedec.*

*HAC parte constitutum fuit Apostolo docere Leuitici sacerdotij imbecillitatem in eo præstando, quo vel Iudaicus populus perficeretur, vel redimeretur genus humanum.*

Quòd si igitur, &c. *Si prior populus poterat saluus fieri, beneq;, ac beatè viuere per pædagogiam legis veteris, & sacerdotium; nihil erat, cur Deus mentionem faceret cuiuspiam sacerdotij: cùm autem apertissimè alterius meminerit, & quidèm ex diuersa tribu procreandi, necesse est veterem legem cum suis sacris inutilem, ac mortalem esse. Hæc autem perfectio non de ornatu, legibus, & aliis ad perfectã politiam spectantibus, sed dè ea, quæ populo velut imprimatur, est intelligenda. Nam si Leuiticum ministerium valuit iustum reddere populum: non alius sacerdos quæretur. Quorsum autem alium prædicat Dauid, quorsum ait diuino iuramento confirmatum: nisi foret ille Aaronicus è medio tollendus?*

Respicit

*Respicit enim Apostolus ad verba psalmi 109.*

In quo *(nimirum sacerdotio)* Lex lata est populo. *Græci* ὁ λαὸς γὰρ ἐπ' αὐτῇ νενομοθέτηλο, *quod Latinus est secutus, videtur magis impeditũ. quasi hoc vellet, vt nonnullis placet: Accepit legẽ populus, secundùm quã viuere, & Deum colere deberet. Syri paulò apertiùs, In sacerdotio instituto populus accepit legem, & catechizatus fuit. An verò legem accepit simpliciter? Minimè: sed accepit ediscendam perpetuo ex ore sacerdotum, qui veluti promi, & cõdi constituebantur. Lex enim propria sacerdotum officia seorsum exclusis alijs præscribebat; & quibus in expiando populo ritibus vterentur, in conciliando numine, auertendis cladibus, & alijs, præcipiebat; ita vt fides, religio, necessariaq; doctrina cognitio penderet ab ipso sacerdotio: et nihilominus hoc præterito fit mentio noui. Cur non potiùs secundum ordinem Aaronicum surrecturus, denuntiatur cuncta reformaturus, & pristinæ iuuentuti redditurus sacerdos: quã secundùm ordinem Melchisedec, qui cum Aaroni nihil commune fuit?*

Dixit autem in similitudine Aaron vt fieret. *Sic scriptum est Numerorum 16. & 17. vt nullus crearetur sacerdos, nisi dè Aaron posteritate; & idem repetit sacer scriptor, licèt obscuriùs, libri 1. Reg. 2. ad quem locum Procopius Gazæus testatur ænigmaticè doceri, quod hìc apertè Paulus ostendit, nempè, abrogatum iri pontificatum* Heli, *& multò præstantiorem surrogandum.*

Sed quemadmodùm fuit variatio in sacerdotio, &c. *In his verbis hæret tota vis apostolica ratiocinationis. Hac enim ex re, vt ex psalmo 109.*

varia-

*variationem esse colligimus, mutationem, seu translationem (vt noster loquitur) sacerdotij: atque adeò necesse fuisse totum vetus testamentum oblitterari. Iam enim dè sacrorum Iudaicorum abrogatione disputarat Apostolus: nunc autem dè lege tantundem dicit expectandum. Qui hoc probat? Quia in ea duplex sacerdotium esse non potuit. Atqui in noua sunt gemini sacerdotes, nimirum laici, qui suos in baptismo consequuntur ordines; & qui postea consecrantur ab Episcopis: quid ni eodem modo in veteri lege Leuiticum penes Aaronis posteros, & Melchisedecianum apud alios sacerdotium? Respondent interpretes fieri nequiuisse: quia lex, vt anteà diximus, pendebat à sacerdotio; & eadem, quicquid rituum, & sacrorum erat, præscriptum habebat. Sed poterãt præscripta seruari in Aaronico. Nequaquàm. Vidisses enim mox populum, illo relicto nimis quàm operoso, conferre sese ad expeditius Melchisedecianum: quod planè legi fuisset aduersum, vetanti quenquã, præter tribum Leui, vel tantillum attentare. Itaque repugnãte lege, nullum erat locum habiturus Melchisedec. Hoc igitur pro diuina sua sapientia Paulus, quod nostrũ nemo vel suspicari quiuisset, ex verbis psalmi 109. colligit.*

Tu es sacerdos, &c. *Ergo Aaron, cum suis omnibus explosus est: legemq; tam intimè connexam, vt reuelli non posit, vnà mutari, tolliq; necesse est. Cùm enim illa præcipiat legem à sacerdote petendam: consequens erat, vt alterutro mutato, mutaretur & alterum.*

Is enim, dè quo hæc dicuntur, dè alia tribu natus fuit. *Dè quo, scilicet homine, & Deo, tam magnifi-*

magnifica cantantur apud Dauidem de alia tribu fuit. Sed de ea quoque (inquiet aliquis) vsurpare sacerdotium quispiam valuisset; vt ex 1. Reg. capit. 2. diximus. Huic obiectioni occurrens Apostolus ait.

Dè qua nemo seruierat in sacrario. *Seruitus ista sacrificialis est, Deiq; cultus præcipui. Sacrariũ autẽ est locus, in quo offertur sacrificium, mizbeach* θυσιαστήριον: *Cuius tribus alumnus nemo vnquàm sacrificauit, diuiniſq; rebus est operatus. Est hîc rursus synecdoche: quia sacrificium, tanquàm pars primaria, pro toto officio sacerdotali ponitur. Nulli autem permissum sacrificium, nisi sacerdoti.*

Adverbum (Seruit) כובח

Manifestum est enim dè tribu Iudæ, &c. *Si quæras tribum Domini, aut sacerdotis Melchisedeciani: fuit tribus Iuda: cui non sacerdotium, sed res bellicæ committuntur. Sed vnde istud tam confidenter adsumit Paulus; quasi nullus queat ambigere? Respondent interpretes, quod res est, Iudæos non solùm habuisse genealogias à primo patriarcha ad vltimum in archiuis publicis; sed & priuatim sepenumerò (quas ex Africano didicimus Herodem Idumæum, & ignobilem exussisse) bonamq; vitæ partem in ijs ediscendis posuisse; vt à capite ad calcem vsque per auorum, & maiorum imagines promptissimè stirpis quisque suæ seriem percensere posset. Nè dicam proindè curatum idem à Deo in totius orbis per Augustum descriptione, vt dubitare nemo posset Ioseph um, atque sanctissimam Virginẽ tribus Iudæ fuisse. Vndè & Tertullianus lib. 1. contra Marcionẽ, & aduersus Iudæos, idem tabulis Romanis demonstrari posse dicebat. Hunc autem ortum non simpliciter volunt accipi, sed allusionẽ esse ad id, quod passim est*

Balaã c.24. Numero rũ Zac.3.& 6. Luc.1.

sim est in prophetia. Qua in re duo notanda sunt; non esse opera natum humana, & eius lumine totius orbis depulsam caliginem: vt mirifica huius Oriẽtis natiuitas, & efficacia demonstretur.

De qua tribu Moses nihil dixit, quod pertineat ad sacerdotium. Itaque quàndiu lex vigebat, non poterant eius tribus homines se ingerere; adeò vt infœlix Ozias quippiam attentans, fuerit lepra percussus: ideò necesse est hunc sacerdotem esse alterius generis. Verùm esto (inquies) mutarit Deus, & ex alia tribu sacerdotẽ consecrari, propter Leuitici ordinis intoleranda scelera, præceperit: debebit ille Aaroni præscripta seruare; neque iam legem mutari necesse fuerit. Nam fuit perpetua quædam inter Iudæ, & Leui tribus cõmunio, puellis in alterutram coniugio migrantibus; vt in Aminadab videre fuit, & Elizabetæ, sanctissimæq; Virginis matribus; quæ sacerdotalis tribus cùm essent, nupserunt viris tribus Iudæ. Hanc obiectionem euertit Apostolus, dicens.

Et ampliùs rursum notum est in eo, quod dixit, &c. Quando dicitur futurum alium secundùm ordinem Melchisedec; cuius sacerdoty in veteri lege nulla est mentio, sed tãtùm Aaronitici: patet Leuitis ablatum sacerdotiũ, & datum iri Melchisedecianis, qui typum suum imitarentur, neque vacarent vmbris, vti Leuitici ordinis sacerdotes.

Qui non esset secundum legem mandatorum carnaliũ. Noster mandati carnis, vt & Græci: clarius tamen, quod ex Syro redditum est. Optimè autem omnium Theodoretus ait legem dici carnalium mandatorum, propter carnalem successionẽ; cùm

cùm alienus, quantũcunq; præstãs, & sanctus, ad sacerdotium adspirare non posset. Et illa quidem lex, quæ successionem postulabat, ex diametro pugnabat cum Melchisedecianorum lege. Nam sacerdos mortalis mortale quoque sacerdotium ostendebat: Melchisedec autem immortalis æternum designat. Carnalẽ igitur legẽ, propter carnales sacerdotes vocauit. Et obiter in hac notatione carnis latet argumẽtũ nõ diuturni sacerdotij: quia quod carneũ est, sensibusq; patens, fluxũ est, ac penè momentaneum. Existimat autẽ Theodo. cursim hîc innui, quod póstea fusius declarabitur, legẽ habuisse multa carnalia, lotiones, expiationes, suffitus, ciborũ discrimina; nec animorũ fibras attigisse. Addatur istud præcedẽti commẽtario.

Sed secundum potentiam vitæ indissolubilis. Talis erit Melchisedecianus, nempè, æternus, qui successorem non metuat. Nam licet interdũ lege perpetua res Aaronis sanciri audiamus: non aliud, quàm tempus præstitutum significatur, ac terminus correctionis, donec veniret antitypus. Hoc colligit Paulus ex ratione ordinis, siue initiationis. Scriptura mortis huius sacerdotis non meminit: immò nè deuteroseon quidèm curiositas, & historiæ Iudaicæ quicquam tradũt; in quibus etsi patris, matrisq; nomina habeantur; nusquàm tamẽ annus, mensis, dies, locus mortis eius. Hoc est igitur: Secundum potentiam, seu virtutem vitæ indissolubilis: vt qui nunquàm vita sit defunctus. Ad hunc modum rebus constitutis, adhibet testimonium, quo doceat Dauidem ita vocem istam accepisse.

Testatur enim dè eo, esse ipsum sacerdotem, &c. Non debemus post Paulinam interpreta

*tionem ambigere vocem*, inæternum, *seculorum, temporumq; immensa, & quæ finem nesciant, spatia designare, quãuis in lege aliud, nempè legales periodos, vel præfinitum aliquod seculum significarit. Nunc igitur habemus, quicquid erat a Paulo præpositum, infinitis parasangis Melchisedec, id est, christianum sacerdotium Aaronico præstare: deinceps incipiet apertè conuellere, quicquid fuit in veteri lege, tanquàm nulla virtute præditum.*

Die tertio candidatorum.

*Legitur caput sequens tertia à pascha die, cùm recèns baptizati in symbolũ acceptæ innocentiæ candidis induerẽtur: vt discerẽt cõuersi potissimùm a Iudaismo, quãtùm inter seruitutẽ legis, & euangelij libertatẽ, & vtriusque vtilitatem intersit; vbi Paulus egregijs antithesibus committit legẽ, eiusq; sacerdotium cum lege, & sacerdotio Christi.*

*Syr.*

Mutatio autẽ, quæ fuit mandati prioris, facta est propter ipsius imbecillitatẽ, & quòd vtilitas nulla esset in eo. Nihil enim perfecit lex. Intrauit autem pro ea spes melior ipsa, qua appropinquamus deo, & certiorauit de ea nos

*Vulg.*

*Reprobatio quidem fit praecedentis mãdati propter infirmitatem eius, & inutilitatem. Nihil enim ad perfectum adduxit lex: introductio verò melioris spei, per quam proximamus ad Deũ; Et quantum est nõ sine

nos iuramento. Isti enim fuerunt sacerdotes sine iuramẽto: hic autẽ cũ iuramẽto; sicuti dixit ipsi per Dauidẽ: Iurauit Dominus, & non mẽtietur; quia tu es sacerdos inæternùm in similitudine Melchisedec. Tantò melioris testamẽti huius spõsor factus est Iesus. Et isti fuerunt sacerdotes plures, eò quòd mortales essent; & nõ possent permanere: hic autem quia inæternum permanet; sacerdotium eius non prẽterit; & potest saluare inæternum eos, qui appropinquant Deo per ipsum. Viuit enim ipse omni tempore; & offert preces pro illis.

*sine iureiurãdo (alij quidèm sine iureiurando sacerdotes facti sunt: hic autẽ cũ iureiurãdo per eũ qui dixit ad illũ: Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum; tu es sacerdos inæternum) in tantum melioris testamenti sponsor factus est Iesus. Et alij quidẽ plures facti sunt sacerdotes; iccircò quòd morte prohiberentur permanere: hic autem eò quòd maneat inæternum, sempiternum habet sacerdotium. Vndè & saluare in perpetuum potest, accedens per semetipsum ad Deũ, semper viuens ad interpellandũ pro nobis.*

*IAm dixerat legem antiquatam; idq; conuicerat, petitis argumentis à necessitudine legis, & sacerdotij: ne quis autem quæreret, quid causſæ fuerit, cur Deus à se quondàm institutam abrogauit; cùm nemo non videat receptæ semel religionis mutationẽ semper esse periculosam; Paulus eum percunctatorem multis rationibus edocet.*

Mutatio autem, quæ fuit mandati, &c. *Vis causam agnoscere abolitæ legis, & sacerdotij? Quia non poterat homines ad vitam æternam ducere; iugum erat intolerandum; mandata non bona; tantùm in eum vsum data Iudæis, nè conuolarent ad idola; quos erudiri oportuit lege meram seruitutem habente: at verò nobis eam imponi non decuit, vocatis in libertatem spiritus.*

Et quòd vtilitas nulla esset in eo, *nẽpè, mãdato. Quarè ergo lata lex; si semper inutilis? Habuit suo tempore commoda sua. Inutilis, si ad ingenuos, liberosq; Christianos respicias: vtilis, si ad Iudæos in idololatriam procliues. Quia autem Christiani nũc reuelata facie Deum contuentur: lex desijt esse cultus Dei; immò verò cultui, qui in spiritu, & veritate consistit, cœpit aduersari. Chrysostomus elegãter cõparat cum lacte, quod infantes quidem alit; sed robustos nutrire non potest. Non est propriè disputatio dè eo, quod olim lex egit cum Iudæis, sed quod esset factura, si filios nunc premeret.*

Nihil enim perfecit lex. μηδένα, *nullũ hominem. Lex tantùm in rebus externis occupabatur. Si quis mortuum, aut immundum attigisset, lauari, si quis homicidium, & verum crimen admisisset, occidi iubebat: non expiabat.*

Intra-

Intrauit autem pro ea spes melior ipsa. *Hic introitus ascensum quendam habet, pro Syri verbi aal proprietate, quod ad rei nonnihil facit præstantiam. Habent enim spem Christiani, qua accenduntur ad Deo obediendum. Iudæi minis, ac terroribus adigebãtur ad officium: Christiani autem, si professionem seruent, non solùm Deo morem gerere, sed & pro eo vitam profundere parati sunt, partim spe præmij, partim charitate succensi. Neque tamen intérea deest lex. Nulla enim est respublica, quæ suis careat legibus, quid agendum, quid fugiendum docentibus. Videtur autem Apostolus hanc spem synecdochicôs vsurpasse, pro cunctis, quibus ad mandata Dei custodienda iuuamur: & iccircò in loco eã adhibet, quòd Iudæi tantùm non desponderent animũ de promissis euangelicis, cùm bonæ spei nihil affulgeret afflictis. Est & metonymia spei pro rebus speratis.* 79

Qua appropinquauimus Deo. *Allusum videtur ad introitum summi pontificis, cùm per velum à reliquo vulgo discernebatur. Nos hac spe nixi penetramus ad ipsum sanctũ sanctorum. Nunc enim per fidem homines euehuntur ad fastigium, olim tamen longè perfectiùs: Paulus autem respicit ad colophonem præmij.* Exod. 30.

Et certiorauit de ea nos iuramento. *Nè quis vendi spem pretio sibi putet; cùm humanis iudicys habeatur ridiculum præsentium iactura futura mercari: Deus nos de promissis, ac speratis rebus certiores reddidit sic; vt fluctuare, aut locum dare desperationi minimè déinceps oporteat. Est enim & hîc spei vsus metonymice, pro speratis rebus; vt modò*

*etiam est dictum. Sequitur alia antitheſis.*

Isti enim fuerunt ſacerdotes ſine iuramento: hic autem cum iuramento, &c. *Quid ſit Deum iurare dictum eſt: tãtùm quæſtionem habet, quod tranſtulimus ex ſyro*, Non mentietur: *vbi noſter legit*, Et non pœnitebit eum; *ſed Syri peierationem per mendacium explicant. Non peierabit, nec iuramentum violabit.*

Ad verb. hoc toto.

Tanto melioris teſtamenti huius ſponſor factus eſt Ieſus. διαθήκην *noſter teſtamentum, recẽtiores fœdus, & pactum vertunt, quæ eſt ſimplicior tranſlatio. Nam agit Apoſtolus de teſtamento, ac veluti tabellis, quæ contineant fidem, & ſententiam pacti: quia tamen idem in voce teſtamenti ſignificatur; retinendam putaui. Moſes olim pactus eſt nomine populi cum* Deo: *at in noua lege Chriſtus fuit inter* Deum, *& homines pacti mediator, adhibitis lõgè præſtantioribus inſtrumẽtis; adeò vt pactum illud ſeruatoris noſtri fide, & interceſsione conſtabilitum fuerit, quaſi dixerit: Vanũ me haberi volo, niſi quod patris mei nomine fideiubeo, ſemper ſit ratum. Confirmat iſtud, quæ dicta ſunt de ſpe.*

Et iſti fuerũt ſacerdotes plures, &c. Hic autem quia in æternum, &c. *Chriſti ſacerdotium non tranſijt ad alios, nec finem habebit; cùm ſacerdos æternùm permaneat. Hoc loco damnant aduerſarij cœcitatem noſtram, qui non videamus euerti catholicum ſacerdotium; quod nunc videtur in multo plures diffuſum, quàm fuerit vnquàm Iudaicum. Horum in antedictis liquet ſolutio. Si enim manet idem fons, in multos licèt diſciſſus alueolos; ſi vni ſanctæ, & catholicæ Eccleſiæ nõ refragatur eccleſiarũ multitudo*

*titudo: nec istud oberit Christi sacerdotio. Nam sacerdotes non sunt, nisi quædam Christi manus. Nè dicam maiores nostros adserere, non dici rectè posse sacerdotem æternum; nisi per suos ministros sacrificiũ panis, & vini perageret. Id autem in veteri lege non reperiebatur: quia nec Aaron in Eleazaro, nec is rursus in Phinees operabatur.*

Ad verb. viuificare.

Et potest saluare in æternum eos, qui appropinquant, &c. *Potest saluare (inquam) partim vt in fonte, partim vt in instrumẽtis; & quidẽm in æternum; non omnes, non perfidos, non malos Christianos, sed appropinquantes. Rursum alludit ad annuum introitum summi sacerdotis in sanctum sanctorum.*

Viuit enim ipse omni tẽpore. *Paratus próinde cunctis adferre salutem: cùm veteres sacerdotes, si quid possent per ritus, & fidem in Messiam, momentaneum fuerit, propter mox ingruentẽ mortẽ.*

Et offert preces pro illis. *Absit vt quisquam existimet Christum, post partam victoriã, orare pro nobis, & in morem supplicis gestus habere: sed sicuti sua perpessione omnia impetrauit; ita illo merito, quæ eueniunt nobis, cuncta impetrat bona. Quod enim tunc in diebus crucis promeruit, hoc nunc redditur tã efficaci merito, vt quiduis extorqueat. Iam ostendet Apostolus sanguinem Abel clamare, etiam post iusti mortem iniquam; quia nimirum tam indignum fuit parricidium; vt atrocitate sua Deum vindicem ad vltionẽ assiduè flectere dicatur: è diuerso autẽ Christi sanguis, nè dè nobis pœnæ sumãtur; intercedit. Chrysostomus addit designari prætérea insignem fauorem erga nos: vt intelligamus illum et sua perpessione promeruisse*

meruisse, & simul fauere nobis impensissimè. Theophylactus autem dicit istud fieri, quòd vibices, & cicatrices ille suas patri semper exhibeat, monimẽtum emercatæ gratiæ. Valeant igitur mortui, inquit hæreticus. Atqui Paulus suorum preces, orationesq; poposcit: quòd si viuos in hoc seculo non abijcis interpellatores, túne cohæredum Christi preces officere credes ipsius intercessioni? Sed & ignem expiatorium hoc loco cæcus exhiberi sibi postulat. Quómodo enim (ait) Christi meriti participes æternum viuentis, deduci credendi sunt ad locum, vbi expientur? At respondeat ille vicissim, quómodo propheta hortatur Nabuchodonosorum peccata eleemosynis redimere. Quæ enim est hæc altera redemptio? Et quómodo propter pœnitentiam Deus hominibus peccata condonat, si ea Christus ad viuum exhauserit? Qui potest hæresis constare sibi, dicens peccatoribus necessariam ad mortem vsque pœnitentiam: si penitùs peccata Christi mors absorbuit? Quorsum lachrymæ; quorsum eleemosynæ, & cætera pœnitentium instrumenta: si nihil supersit expiandum? Quòd si quid requiratur ab hominibus saniora iam meditantibus, vt in se vindicent admissa: nónne meritò idem exigatur à vita defunctis, postquàm hinc negligentiores abierunt?

Tribus antithesibus expeditis inter sacerdotium noui, & veteris testamenti; nimirum, quòd sit Christus melioris testamenti sponsor; déinde quòd legales ministri temporarij sint, Christus æternus; illi plures, hic solus: nunc ferè totidem sequuntur, nempè, Christum esse sacerdotẽ immaculatissimum; itaque maximè idoneum, qui alijs sanctificandis consulat; cùm

in ve-

*in veteri lege fuerint sacerdotes, qui non tantùm alienis, sed & suis emundandis peccatis operam dare necesse haberent; & pretèrea multis ibi fuisse opus, & quotidiè repetitis sacrificijs; hic autẽ vnico Christi sacrificio cuncta peracta.*

*Syr.*

Hic namque talis sacerdos etiam iustũ erat, vtesset nobis purus, cui nulla sit prauitas, & nulla pollutio, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlo. Neq; ei est necessitas quotidiè, quemádmodũ principi sacerdotũ, priùs pro peccatis suis offerẽdi sacrificia, & tùm pro populo. Hoc enim fecit vno tẽpore in sese oblato. Nam lex filios hominum infirmos cõstituit sacerdotes: sermo iurisiurãdi, quòd factũ est post legem, filiũ perfectũ in æternum.

Vulg.

*Talis enim decebat vt nobis esset põtifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus; qui nõ habet necessitatem quotidiè (quemadmodum sacerdotes) priùs pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi. Hoc enim fecit semèl se offerendo. Lex enim homines constituit sacerdotes infirmitatẽ habentes: sermo autem iurisiurãdi, qui post legem est, filiũ inæternũ perfectũ.*

Hic namque, &c. *Intelligit proculdubiò de summo pontifice Christo: interea tamen respicit propriè dictum sacerdotium, siue presbyterium. Atque id est in primis hoc capite, ac per totam ferè obseruãdum epistolam, quandò de officijs agitur sacerdotalibus, Paulum pro ijsdem habere principem ipsum, & minores sacerdotes, & vtrosq; in eandem disputationem permiscere.*

Etiam iustum erat, vt esset nobis, *Clariùs, & ad nostrum vsum aptiùs Lucas græcus, & noster interpres aiunt talem decuisse nos habere sacerdotem, tam præstantem, quàm mox depingetur, omnium in lege, & ante legem sacerdotum principem. Enumerat igitur, Paule, huius, & omnium qui ipsum vt prototypum sequuntur, dotes. Nam cùm simus sacerdotes secundum ordinem Melchisedec; & proinde etiã Christi, & Christiani habeamur: nobis haud ignorandæ sunt virtutes nostri sacerdotij principis, & nostræ. En igitur primam christiani sacerdotis dotem, vt sit iustus, seu idoneus, vel* Purus, *Integerrimæ vitæ; qui omni labe, & culpa vacuus sit, decens suum Deum, ac populum. Latinus sanctum. Græci ὅσιον habent, quæ includũtur in puritate generali, & amplissima virtute, quæ totam legem virtutumq; omnium familiam complectitur. Est igitur minus Latinè, & Græcè dictũ, quàm Syriacè. Nec aliter interpretes, sanctum intelligentes, qui nusquam deest officio, colit Deum vt debet, proximum vt seipsum cõplectitur. Hinc discat sacerdos Christianus, quantum illi incumbat, vt nihil eorum, quæ sui muneris, negligat.*

Cui nulla sit prauitas. *Vt non solùm malus nõ sit:*

*sit: verùm etiam ab omni scelere tam alienus, vt nihil in eo resideat, quod cuiquam incommodet.*

Et nulla pollutio. *Qui neque sit corpore, neque animo vitiatus. Curabant veteres nè sacerdotes quicquam attingerent, quo polluerentur: at Christiani cùm corpus illibatum, & castum; tùm multò maximè mentem incontaminatam seruare debent.*

Segregatus à peccatoribus. *Latini quidã accipiunt dè sacerdotibus Mosaicis peccatoribus; tãmetsi non defuerint in eis præstantissimi: sed rectiùs dè omnibus omnino peccatoribus intelligemus. Qui nihil habeat commune cum alijs peccatoribus; nec sit alienis vitijs attaminatus: quod non rarò contingit, vt qui caret proprijs, inquinetur alienis. Christo id peculiare fuit, amicum fieri publicanis, & omnium infirmitati adclinare sese, sine vllius afflatus discrimine; Ioannes autem omnium defugiebat consuetudinem: at christiani sacerdotis cùm sit in media plebe versari, debet hac veluti tabella admonitus vbique sibi cauendum esse non ignorare, vtpotè mortalis, & peccator; nè dum alios instruit, seipsum contaminet.*

Et excelsior cœlo. *Maiores nostri vrgent vocabulum* γενόμενος, *quod in Syro nequeas obseruare. Adorandus est angelis, & beatis spiritibus cunctis, & mortalibus; qui sub se conuexa cœlorum despuit, denique sedet ad dextram patris. Mirum, quantis hic lateribus detonent in christianorum, sacerdotum hæretici vitam, & peccata; cunctosq; vnà cum sanctissimo sacrificio exsibilant, tanquam indecentes, ac degeneres. Fortassis canum istorum latratu Deus suos vocat ad meliora: sed quid pro veritatis patrocinio proferendum? Apostolum non agere dè in-*

dè instrumentis, & veluti manibus principis sacerdotum; sed sermonem esse dè eo, qui solus vnus, & vnica hostia expiaturus fuerat totum genus humanum. Quantumcunque sancti, & iusti multi fuerint; quia non Dij, quia non Christi, non poterāt adferre salutem: sed is, qui promeriturus erat omnibus veniam, debebat talis esse, qualis describitur. Fuit ergo talis Christus, alioqui nequiuisset mundum redimere: nos illius instrumenta, peccatores sumus, & euadimus eius gratiæ participes, & tantò quis innocentior, quantò haurit copiosiùs; alioquin haud solum nostrum sacerdotium, sed & laicum euerteretur. Cùm autem hostes ecclesiarum ministros (vt vocant) se dictitent, quantislibet obrutos criminibus (nam ea tolli negant) qua fronte nobis hæc obiyciunt? Quorsum enim, ô miser, tuum ministerium non ponis; qui peccatis obtectum te esse non negas? Quid tibi cum baptismo? Quod si tua peccata functioni tuæ non officiunt: neque nostro sacrificio refragabuntur nostra, quod est labrum illius summi sacrificij crucis. Agitur ergo hîc dè illius summi sacerdotis virtutibus, qui toti mundo promeruit remissionē peccatorum: interea tamen fatendum est omnes vicarios eniti debere ad tantam sanctimoniam; vt ea saltem referant, quæ maiores nostri dicunt valdè esse humilia, pietatem, innocentiam, &c.

Neque ei est necessitas, &c. Non est necesse, vt Christus quotidiè cùm pro se, tùm pro suo populo victimas offerat; quemadmodùm fuit veteribus sacerdotibus, qui, vt in dies peccabant, ita nunquàm nō debebant esse soliciti.

Hoc enim fecit vno tēpore in sese oblato.

In ani-

*In anima sua, inquiunt Syri. Loquitur de oblatione crucis. Veteris legis sacerdotes brutas animantes, & quidem frequenter offerebant: Christus semèl, seq; ipsum obtulit. Quid hinc colligimus? Christi sacrificium tam fuisse efficax; vt illo placaretur Deus, pararetur iustitia, gloria æterna, & hæreditas. Ergóne baptismo, pœnitẽtia, satisfactione non est opus? Nuga. Christus perfecit hæc omnia vnico sacrificio crucis: sed quia homines sumus; vt meliùs esset nobis consultum, præstituit instrumenta, quibus id, quod est sufficientissimum paullatim nobis instillaretur. Si angeli essemus; suffecisset crucis sacrificium: sed quia infirmi, quia sensibus regimur, et ducimur; dedit sensibilia nobis sacramẽta, quibus infirmitati nostræ suppetias ferret. Igitur vnica hostia ille omnia promeruit, ac perfecit; si meritum spectes, & pretium: non autem quantùm ad participationem, & efficacitatem. Nec habent aduersarij, quod obganniant: ni sua priùs velint extrudere qualiacumq; sacramenta.*

Nam lex filios hominum infirmos, &c. *Erant enim peccatores: non tantùm quia olim peccarant, sed quia tali infirmitate pressi, vt fateri debeãt nullum sibi diem sine peccati abire vestigio. Tam lubricos creat sacerdotes vetus testamentum.*

Sermo autem iurisiurandi, &c. *Periphrasis legis nouæ. Diuinum Dauidis oraculum, quo portẽditur noui testamenti conditio; quo Deus iurasse perhibetur futurum stabile Christi sacerdotium, neque quémlibet è vulgo, vel tribu Leui, sed ipsum Dei filium sacerdotem futurum.*

Perfectum in æternùm. *Dè hac perfectione suprà dictum est. Neque enim agitur de solitaria, qua*

*quispiam*

*quispiam in sese perfectus redditur: sed de sacramentali, aut etiam sacrificali. Talem habemus sacerdotem, qui & ipse perfectus sit, & alios sibi similes reddere satagit. Est ergo maxima noui testamenti prærogatiua. Nunc audire mihi videor nostros antagonistas, his ipsis rationibus catholici sacerdotij ruinam molientes, quibus vident Paulum Aaronicum euertere. Nec enim peccatores esse nos inficiari possumus, necesseq; habere Deum nobis reddere propitium, & quotidie sacra eadem repetere. Verùm istis gannientibus vulpibus ante plùs minùs annos mille à maioribus nostris respõsum est. Nos cum Christo nequaquam committimur, quemadmodùm Aaron commissus est, sed vnus, idemq; sumus cum eo sacerdos, is in nobis offert, & sacrificat, & ipsum quidem offerimus, qui in ara crucis oblatus est, sed non eadem specie: itaque non debet sacerdotium à sacrificio disiungi; quia Christus est, qui offert, & qui offertur, dum sacerdos defungitur. Vis audire, cur póstquam legis sacrarium finem accepit, & sacerdos, qui est secundum ordinem Melchisedec semèl obtulit, & effecit reliqua sacrificia nõ essent necessaria, noui testamẽti sacerdotes mysticã litugiam celebrent? Audi, quid hac de re doctissimus in scriptis ad istud caput reliquerit:* Clarum estijs, qui sunt in rebus diuinis eruditi, nos nõ aliud sacrificium offerre sed vnius illius memoriã peragere, vt per figurarũ contemplationem earum, quæ pro nobis susceptæ sunt, passionũ recordemur. Deinde vt in benefactorem beneuolentiam cõseruemus, & futurorum bonorum perceptionem expectemus. *Hæc ille. Hoc igitur volumus, ex-*

Theodor.

*lumus, ex fonte crucis, in quo omnia sunt abunde parata, riuulum elicere, qui ex veteri lege non potuit. Neque enim Eleazarus vim habebat ab Aarone, nec Phinees ab Eleazaro. Postremò semper erant noua sacrificia; & licèt potuerit eiusdem formæ animal denuò offerri, sed non idem ipsum: hîc autem vnus, idemq; numero Christus in bis mille locis. Jam quod de repetitione obijcitur, ex parte dilutum est: cùm eundem offeramus semper, neque id quidem (vt diximus) facturi sæpiùs, nisi gratæ mētis, & infirmitatis, atque reduntium singulis diebus peccatorum id ratio postularet. Tam enim est efficax sacrificiū, vt si per nostram frigus non staret, vniuersum mūdum vnica missa permundare possemus. Quòd si Paulos, Areopagitas, & huiusmodi adhibeas, qui partim cooperentur, partim operentur sacris: liquidò videbis, quid posset missa, si non deforent, qui ex immenso hausturi pelago, latissimum pectus deuotionis adferrent. Hæc igitur adeò non obsunt nostræ causſæ, vt magis Dei in nos prædicent beneuolentiam, quæ nostræ imbecillitatis non ignara, voluit sæpiùs in nos vim crucis deriuari. His ad istum modum delibatis, libet confertim dissimilitudines vtriusque sacerdotij, quæ Dei misericordiam, summaq; in nouo testamento præstita mortalibus beneficia commendant, expēdere. Nos itaque habemus Dei filium, & quidèm perfectum in æternùm. Nam quod de innocentia, & cæteris virtutibus dictum est, nimis quàm est exile, támetsi non prætereundum, nec in Mosaicis sacerdotibus inueniebatur. Lex enim etsi habuerit viros quosdam non malos, infirmi tamen, & ad peccatum proni erant, ac in multis offendebant. Ibi boues, oues,*

Vide interpretes veteres cū ad hæc, tū ad 9. & 10. ca.

*lagana,*

piã esset, quod offerret. Et siquidẽ in terra foret; nè sacerdos quidẽ esset: eò quòd sacerdotes forẽt, qui facerent oblationes secũdum quod in lege; quippè qui seruiant similitudini, & vmbræ eorum, quæ sunt in cœlo; quemadmodũ dictum est Mosi facienti tabernaculũ: Vide, & fac vniuersa ad similitudinẽ, quæ visa est tibi in monte. Nunc autẽ tantò melius suscepit ministerium Iesus Christus, quãtò melius testamẽtum, cuius factus est ipse mediator, & promissionibus melioribus factũ est eo, quod antè fuerat datum.

*bere aliquid, quod offerat. Si ergo esset super terram, nec esset sacerdos: cum essent, qui offerrent secundum legẽ munera, qui exemplari, & vmbræ deseruiũt cœlestium. Sicut responsum est Mosi, cùm consummaret tabernaculũ, Vide (inquit) omnia facito secũdum exemplar, quod tibi ostensum est in mõte. Nunc autem melius sortitus est ministerium, quantò & melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est.*

Hæ

HÆC pericope (libet enim huius rei in principio commonere) habet non tãtum peculiarẽ, sed & necessarium vsum, hac potissimum tempestate. Nam quicquid excogitarunt aduersarij contra honorem, & laudem vnici sacrificij catholici, id se putarũt cùm ex hac tota epistola, tùm præcipuè ex hoc loco hausisse. Itaque his probè intellectis, quæ iã sunt nobis exponenda; facilè subuertentur machinationes hæreticorum, & molitiones euertemus.

Caput autem omnium horum est. *Hæc (inquit Paulus) egi cùm alibi, tùm capite septimo, Christianis non deesse suum summũ pontificem. Sed qualem?*

Sedentem à dextera throni maiestatis in cœlo. *Non hominem, sed Deum æqualem Deo patri, simul & regem hunc esse denotatur. Nã hæc duo sæpe commiscentur; & alioqui thronus est regia sedes. Pontificum est stare, dum rei diuinæ operantur, & maximè dum adest momentum consecrationis: noster pontifex sedet, vt Deus, iam re sacra defunctus. Alludit autem ad Psalm. 109.* Sede à dextris meis. *Sedet (inquam) in cœlo, in sancto sanctorum non manufacto.*

Et ministerium domus sanctæ. *Dirimit Syrus grauem Latinorum, & Græcorum interpretum pugnam ob illud* τῶν ἁγίων λειτουργὸς, *aliis aliud subaudientibus. Chrysostomus de hominibus, qui sunt Dei thronus, intelligit pro consequentibus verbis: alij de loco interpretantur, vti dicitur ingressus in sanctũ sanctorum, id est, sacratissimam partem templi. Ipse Paulus domus sanctæ ministrum, & quidem publicum vocat. Hoc enim Syra dictio meschamschono,* משמשנא

& græca λειτουργὸς *sacrificium publicum.* Nã λειτουργία *sacrificium publicũ dicitur: vt sit noster pontifex sacrificus in ipso cœlo, quod capite nono manifestiùs docebit.*

Et tabernaculi veri, quod fixit Deus, & nõ filius hominis. *Sudant interpretes in distinguendo sanctuario, & tabernaculo: Paulus tamen, quid sit tabernaculum, in sequentibus declarabit, nempè, ipsum sacerrimum corpus. Sed operæpretium est meminisse totius faciei tabernaculi Mosaici. Porta erat ad orientem, quæ in Actis dicitur speciosa, per quam ingrediebantur Judæi, & vbi consistebant ij, pro quibus fiebat sacrificium. Secundus locus erat sacrificalis, in quo mactabãtur hostiæ. Ibi altaria duo, ac portæ totidem, aquilonaris, & septentrionalis. Ex hoc ingressus erat in sanctum sanctorum, in quod reliquis per velum exclusis, soli pontifici patebat aditus. Hoc velum fuit eius tabernaculi, dè quo hîc disseritur, typus. Illud igitur typicum tabernaculum, ac fictum erat; verum non erat: sed quod Deus expãdit suo sancto sanctorum, veritatẽ habet; vt habeat noster pontifex pro sacrario cœlum, pro velo sanctissimã carnem. Nec est segniter expendendum, quod hic Apostolus dissimulanter innuit, ad catholicum sacrificium erudite defendendũ. Dicit enim Christum etiam nunc sedentẽ in dextera patris esse* λειτουργὸν, *& quidèm non tantùm sancti sanctorum, id est, cœli; verùm & sui tabernaculi. Quomodo autem id fieri vllo pacto potest; si nulla est oblatio? si nulla quotidiana immolatio? maximè cùm simus mox audituri, omnem pontificem habere debere, quod immolet. Chrysostomus ita premit verbum* ἔπηξε; *vt cœlum*

(nam

(*nam illud tabernaculum intelligit*) *adserat immobile contra philosophorum demonstrationes: cùm aliud nihil sibi velit seu illud Græcum, seu Latinum fixit, quàm fecit.*

Omnis enim princeps sacerdotum constituitur, &c. *Quicunque vult censeri titulo sacerdotis, debet offerre, & sacrificare: quia sine hac functione nemo eam appellationem promeretur. Oblationes dicuntur, quæ non constant immolatione, & iugulatione: quæ autem habent ista, censentur sacrificij nomine.*

Quápropter æquum erat, &c. *Christus cùm sit princeps sacerdotum; & quidèm non vnus è multis, sed secundum ordinem Melchisedec: necesse est, vt ei suppetat, quod offerat pro suo populo. Hoc ratio postulat, sacerdos, & pontifex nè sit otiosus. Sed quæ est res offerẽda, quòd ue eius sacrificium, dum ingressus est in sanctum sanctorum? Vetus sacerdos cum alieno ingrediebatur sanguine: Christus cum suo. Paulus autem id silentio premit, ac dissimulat: sed nobis est diligenter obseruandum. Nisi enim quotidiè Christus locis innumeris offerat, & simul cũ patre suscipiat, qui sacerdos dici poterit?*

Et siquidem in terra foret: nè sacerdos quidèm esset. *Mirabile. Quod Græci adserunt non fore sacerdotem, propter pericula seditionum, nõ sufficit. Est quidèm verum, si quis Mosis turbaret rempublicam, & sibi, quod penes alios fuit, sacerdotium vendicaret: summam adferret rebus omnibus turbationem. Erãt igitur mox Christo reclamaturi Iudæi, vt fecerunt, cùm nihil huiusmodi tentaret:* In qua potestate facis hęc? *Quòd si ab aris eos abegisset, vt*

abegit à mensis, & nundinis: mouissent proculdubiò seditionem. Veruntamen opus est alia sublimiori intelligentia. Nam Christus etiam adhùc in terris agens, fuit re vera sacerdos secundum ordinem Melchisedec, immò tùm factus est, cùm est ingressus, id est, cùm corpus assumpsit. Incarnatus autem, nobiscum hîc degit, populum docuit, & quæ in mandatis habuit, mundo tradidit. Quómodo ergo dicit Paulus, siquidem in terra esset, non fore sacerdotem? An Paulus negat, quod Dauid adserit? Est opus intelligere, quid hîc terræ nomine significetur. Quid enim si in vltimis orbis partibus fuisset, nihilq; sibi cõmune esse voluisset cum Aaronicis sacerdotibus: nunquid ideò non fuisset sacerdos? Non agitur itaque dè terra Iudea, aut qualibet, sed vniuersim dè terra, vt opponitur cœlo. Immò veriùs Mosaicam hierarchiam Apostolus terram appellauit, ac templum Mosaicũ, in quo Deus suo tempore colebatur, vt sit hæc sententia: Si versari vellet in templo Solomonis, loco à Deo quondam electo ad cultum suum, & consueta sacerdotibus obire munera: tùm sacerdos non foret secundum ordinem Aaronicum; vtpotè qui ritibus illi sacerdotio proprijs, quemadmodùm filij Aaron, haud erat initiatus. Si igitur esset consendus secundum legis præscripta; non foret sacerdos: vt neque nunc, quantumcunque sanctus, quisquam sacerdos habetur, qui ab Episcopo nõ fuerit legitimis ceremonijs consecratus. Sed quæ est ratio?

Eò quòd sacerdotes forent, qui facerẽt oblationes, &c. Quia in templo Iudaico erant sacerdotes secundum legem initiati, qui offerebant legitimas oblationes, & sacrificia. Christus autem non alio

loco

*loco habebatur, quàm quiuis laicus: vt pro sacerdote se gerere non posset: quòd si ratione Melchisedeciani sacerdotij hoc ipsum tentasset, absurdus haberetur cùm istud ex diametro repugnaret Aaronico. Nullo igitur modo sacerdos haberi potuit, si sacra sua in terra, id est, in synagoga, administrare voluisset.*

Quippe qui seruiant similitudini, &c. *Tota ratio sacerdotij Mosaici est typica, neque rem ipsam habet: sed rei cuipiam adumbrandæ seruit. Mirè autem istud dictum est. Habebãt enim Iudæi sacrificia, ritusq; suos in maximo pretio nec certè suo tempore contemni poterant. Verbum seruiendi pro imaginum defensione notandum. Est enim λατρεύειν, quod summum Dei cultum significat: nè iconoclastæ audire se credant piaculum, cùm veneration em sacrarum nominamus imaginũ: cùm Apostolus dicat Iudæos imaginum similitudini, & rebus sub aspectũ cadentibus latriam impendisse.*

Et vmbræ eorum, quæ sunt in cœlo. &c. *Initio statim declarat magnã esse differentiam inter res Mosaicas, & christianas: cùm habeãt christiani imaginem; Mosaici vmbram. Vt autem vmbram videas: nõ statim agnoscis hominem: imago verò certò repræsentat. Tametsi nè christiana quidèm sacra careant suo mysterio, vt potè in Mosaicorum, & cœlestiũ meditullio. Habemus enim Christiani rei veritatem, iustitiam, Deiq; leges in cordibus descriptas: nondum tamen facie ad faciem cernimus. Interea propter carnis infirmitatem, gratia, & veritas quibusdam inuolucris in sacramentis obductæ, nobis exhibentur: vt & prægustatã veritatem, & nihilóminus quandam habeamus significationem: multum*

veritatis, & gratiæ; longè tamen minùs, quàm olim in illo fœlicissimo cõtuitu cœlesti, vbi nullus amplius erit figuræ locus. Sit igitur, quòd ad hunc locum, satis; Mosaicos sacerdotes seruiuisse obscuris signis, & à paucissimis intellectis; neque ferè altiùs penetrasse; sed ad illam, vt plurimùm, hæsisse caliginem. Eorum, quæ sunt in cœlo, inquit. Nonnulli dè rebus christianis dictum volunt: nec falsa est prouldubiò sententia; quãuis alia sit mens Apostoli. Neque caret ille commentarius vtilitate maxima, res nempè Mosaicas rerum nostrarum figurã gessisse; vt lotio Mosaicorum Christi lotionem significarit, idémque fecerit baptismus illorum, & circuncisio; sacrificium, & sacerdotium apud eos portenderit christianum sacerdotium, & vnicum, ac summũ catholicum sacrificium. Hinc enim, cùm ad pugnam vocamur ab hæreticis, non fuerit indoctum petere præsidia. Hæc tamen etsi verè, & vtiliter dicantur, non arbitror Apostolum voluisse; sed re vera dè rebus cœlestibus esse locutum, propter id, quod sequitur.

Quemadmodùm dictum est Mosi, &c. Ea enim, quæ in cœlo sunt, Moses intuebatur, iussúq; est illud sanctuarium, et domum sanctam, in qua ministeriũ agit seruator Christus, exprimere. Sic enim ad illum Exodi locum plurimi, quos mihi certum est imitari. Dum igitur portatile tabernaculũ exstrueret Moses, conatus mente comprehensam, & infixã à Deo speciem illius cœlestis sancti sanctorum delineare: póstea quoque Solomon, pro tabernaculo reponens ædem augustissimam, quantum potuit, humano expressit ingenio, quod Mosi fuerat demonstratum. Sed quis horum vsus, hæreticis oblatrantibus vndique,

*vndique, & hæc in contrarium dogma rapientibus? Illud in primis cõstitutum habeant orthodoxiæ studiosi, Apostolum hîc habere coniectos oculos in psalmum 109. semperq; intelligere Christum sacerdotem ritu Melchisedeciano creatum. Et cùm ibi dictũ sit Christo à Deo patre,* Sede à dextris meis: *liquet nõ debuisse Christum in synagoga versari, sed in illo sancto sanctorum, quod omnium captum superat. Nã lex in loco fixo, ac certo sacrum facere præcipiebat: Christus autem ad dexteram patris considens, ea lege haudquaquam tenori potuit. Nè repetam, quod perstrictum est, illum esse λειτουργὸν longè alterius dioecæseos, & cõditionis, nempè, cœlestis; ibique obire suam oblationem in ara sua, habereq; tabernaculum sanctissimum corpus suum, quod & ipsum est summum sacrificium oblatum cum in cœna, tùm in cruce. Cùm autem veri sacerdotis rationem non amiserit: offert sese quotidiè per suos ministros; & oblatum cum Patre, & Spiritu sancto suscipit. Hæc si quis cordatus demittat in animũ: iudicabit (credo) non temerè alio in loco tantum inueniri præsidij, ad nostri sacrificij non ignauã defensionem. Eòdem tamen pertinet, quod sequitur.*

Nunc autem tantò melius suscepit ministerium Iesus, &c. *Quod sit hoc ministerium, patet ex antè dictis. Christus obit longè diuersum munus pontificale ab eo, quod in fumo vmbræ Mosaicæ quondàm à Iudaicis ministris peragebatur. Quãtò habemus meliores, & maiores promissiones: tantò est ministerium præstantius; in quo non amplius ficus, vinum, oleum, & similia, sed coeleste regnum promittitur. Nunc elegans vtriusque testamenti com-*

*paratio subiungitur, latumq; discrimen.*

| Syr. | Vulg. |
| --- | --- |
| Si primum namque fuisset tale, vt in eo nihil fuisset reprehensibile: non fuisset locus huic secundo. Reprehēdit enim eos & dicit: Ecce dies veniūt, dicit Dominus; & cōsummabo super domū domus Israël, & super domum domus Iuda testamentum nouum; nō sicut id testamētum, quod dedi patribus ipsorū die, quo apprehendi manum eorum, & eduxi eos dè terra Aegypti: eò quòd ipsi non permanserint in testamento meo; ego quoque spreui eos, dicit Dominus. | *Nā si illud prius culpa vacasset: non vtique secundi locus inquireretur. Vituperās enim eos dicit: Ecce dies venient, dicit Dominus; & consummabo super domum Israël, & super domū Iuda testamentum nouum; non secundum testamentū, quod feci patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, vt educerem illos de terra Aegypti: quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo; & ego neglexi eos, dicit Dominus.* |

SI primum namque, &c. *Si vetus testamentū, quod Deus pepigit cum Mose intercessore populi*

puli Iudaici nihil habuisset.

Reprehensibile. *Non quod peccata contineret; sed ob suã infirmitatem, & imperfectionem, & vmbras huius mundi (vt alibi vocantur) elementa. Si igitur nihil in eo desideratum fuisset, si iustum, & beatum reddere quempiam valuisset: non fuisset opus secundo.*

Reprehendit enim eos, & dicit. *Locus hic & à D. Stephano, & à maioribus nostris diligenter obseruatus. Quid Paule, videbaris de nouo testamento sermonem instituisse: & iterum relaberis ad eorum nomina, quorum legem adseris cũ ipsis reprehensam. Sed hinc oritur geminum operæpretium. Erit enim oratio minùs inuisa; & maior ex propheta authoritate, cui Iudæi contradicere non audebunt, nascetur fiducia. Is ergo propheta dicit vetus antiquatũ testamentum. Qui sic? Quia discipulorum vitia solent pædagogis adscribi. Legem autem Iudæorum pædagogum fuisse, quis nescit? Vterq; igitur reprehensibilis. Nulline igitur seruati Iudæi? Multi sanè: sed quicunque seruati sunt, ad nouam legem pertinebãt.*

Ecce dies veniunt. *Est phrasis scripturæ; quæ quando aliquid orditur magnificum, vtitur demonstrandi particula.*

Et consummabo. *Scripsit D. Augustinus libellum cunctorum iudicio doctissimum, de spiritu, & litera, vbi hanc versat quæstionem dè vtriusque testamenti discrimine, & verbum istud ad hunc explicat modum. Faciã, vt queant perficere præsente gratia, quicquid imperatum est. In qua explicatione (si quod res est, modestè dicere liceat) nõ videtur ad viuum seruata germanitas. Nam tametsi Lucas habeat*

ואגמור beat συνελέσω, & Syrus Paulus vegimur. quæ perfectionem sonant: Ieremias tamen usus est verbo vecarathi, quod pãgere, & ferire fœdus significat; & septuaginta utroque loco habent διαθήσομαι, quod & Lucas in seqnẽtibus retinuit; ubi Syrus mutato verbo rẽ prorsus eãdem ostendens, dixit detthel. Quò circa videtur hic esse sensus: Ego nouum fœdus cum domo utrâque Iuda, & Israël feriã, hoc est, cum omnibus Christo crediturís.

וכרת

דאתרל

Die, quo apprehendi manum eorum, & eduxi eos, &c. Est metaphora sumpta à fatigatis, et impeditis ad iter; vt Iudæorum infirmitatem, & liberationis eorum difficultatem intelligamus. Nunquàm effugissent miseram seruitutem; nisi Deus velutì porrecta manu, eos extraxisset. Sed & illud indicatur, fuisse non tantùm indignos, sed etiam inuitos, & abhorrentes à libertate: cuius rei fidem præbet historia; exemplum autem exhibuit Loth, cuius tergiuersantis, & cunctantis manum angeli corripiẽtes, liberationi consuluerunt. Illis ergo quasi reclamantibus, & indignissimis tantum contuli beneficium. Quæ est caussa, cur illud ratum Deus testamentum esse non patiatur?

Eò quòd ipsi non permanserint in testamento meo. Iudæi debebant obedientiam præstare Deo: is prosequi eos beneficijs. Has veluti partes dederat, & assumpserat Deus. Et ille quidẽ, quod suũ erat, præstitit: ipsi verò nequaquam. Simul quoque innuit testamenti imbecillitatem, quod non poterat nauseabundos Iudæos, infirmosq; persanare.

Ego quoque spreui eos. Quidam ex hoc loco, cornicum scilicet oculos configentes, colligunt epistolã mini-

*minimè gentium hebraicè conscriptã: quia apud prophetam est verbum baalthi, quod maritum esse, & tanquam maritum dominari significat. Egregiè nimirum decepti, dum elegantiori lingua Hebræorum nos hanc exaratã velle credunt: tãmetsi ne tùm quidem id, quod sperant, auferrent; cùm Ioseph Kimhius adferat illud verbum interdum esse idem, quod abominari, cõtẽnere, &c. Habet tamẽ Syrus Paulus* בעלתי *beith quod aliò torqueri nõ potest. Reieci eos igitur, ait Dominus; nouumq; mihi populũ deinceps cõdere decreui. Qua sententia repellitur & vetus populus, & vetus testamentum: ille quia non perstitit in pacto, lex autem, quia non effecit populum suum morigerum. Nunc itaque audiamus noui testamenti, ac populi descriptionem.* בסית

| *Syr.* | Vulg. |
| --- | --- |
| Hoc autem est testamẽtum, quod dabo domui domus Israël post dies hos, dicit Dominus. Dabo legẽ meã in mentibus eorũ, & in cordibus eorum scribã eam; & ero ipsis ego Deus, & ipsi erũt mihi populus; & nõ docebit quisquam ciuẽ suum | *Quia hoc est testamentũ, quod disponã domui Israël post dies illos, dicit Dominus. Dabo leges meas in mentẽ eorum, & in corde eorum superscribã eas; & ero eis in deũ & ipsi erunt mihi in populum; & non docebit vnusquisq; proxi-* |

suum, neque fratrem suum, & dicet, Scito Dominum) eò quòd omnes scient me, à paruo eorum, vsque ad senem eorum; & parcā iniquitati eorum, & peccatorum eorum non recordabor rursus. In eo, quod dicit nouum, antiquauit prius: & id, quod antiquum est, & veterascit, vicinum est interitui.

*proximum suū, & vnusquisque fratrē suum, dicēs, Cognosce Dominum) quoniam omnes scient me, à minore vsque ad maiorem eorum; quia propitius ero iniquitatibus eorum; & peccatorum eorum iā non memorabor. Dicendo autem nouum, veterauit prius. Quod autem antiquatur, & senescit, prope interitum est.*

*TRibus hæc noui testamenti delineatio capitibus cōstat. Primùm enim docetur, quid possit charitas, et quæ sit vis gratiæ, quæ cœlitùs præsto est christianis: deinde verò tractat de gratuita condonatione peccatorum, ostendens, quàm clementer Deus paciscatur cum peccatoribus, cùm ex impijs iustos reddit: postremò de mirabili luce, & scientia differit, qua perfunduntur veri Christiani. Videamus singula.*

Hoc autem est testamentū, quod, &c. *Quidam hos dies ad liberationem olim factam ex Ægyto refe-*

eò referūt: sed Ieremias dè sua videtur ætate locutus. Nam hoc eodē capite liquet Iudæos, cæteróquin scelerati ssimos, pro optimis haberi se voluisse; & cùm à Deo flagellarentur ob flagitia, dixisse non se criminū suorum, sed auitas luere pœnas. Eapropter confestim Ieremias in persona Dei, Vos équidem, ait, ingratissimi commeruistis, vt ex virtutibus vestris vos adornem: post hos autem dies, neque multò pòst, nulla iam habita ratione veteris testamenti, condam nouum. Propter gratiæ conditæ certitudinem, dixit post dies istos: & intelligit de aduentu Christi.

Dabo legem meam. *Emphaticum est.* Notatur enim aliquid singulare, velut ibi, Secretum meum mihi. *Dabo eis peculiarem meā legem, hoc est, scriptum meum effundam in corda ipsorum. Faciam, vt mentes sectatorum meorum, & hæredū noui testamenti, non versentur vltrà in vmbris, & caligine; sed instar spiritualium codicum totas meis legibus exarabo. Sensus compendio reddi potest, Christianos curatum iri mente, & intelligentia; vt probè intelligant Dei voluntatem, eiusq; semper meminerint. Nam Ieremias habet vocem, quam Hebræi dè memoria exponunt. Igitur quantùm in homine desiderari potest, quod in eo supremum est (mentem intellige) miro lumine complebitur. Vndè conijcere licet, quàm benè respondeāt nomini suo, qui sunt planè cæci.*

Hieron. vertit In viscera ibus: sed Paulus Syrus habet eā vocē, quæ est, vbi iubemur dilī gere Deum tota mēte. daaiono דעינא Matth. ca. 22. d. bekirbam בקרבם

Et cordibus eorum scribam eas. *Efficiā per spiritum meum, vt non tantùm rectè intelligant; sed vt etiam libeat seruare mandata. Quid enim alioqui prodest cognitio non operanti?*

Et ero ipsis ego Deus. *Hæc indicant quoddam pecu-*

*peculium; vti non ignorabat, qui dicebat Samueli:* Ora pro me Deum tuum. *Etsi enim sit omnium Deus; peculiariter tamẽ viuentium per charitatem. Ego præbebo me ipsis Deum patrem, & clementissimum dominum; faciam eos meæ gratiæ participes; & ad postremum in eandem fœlicitatem assumam.*

Et ipsi erunt mihi populus. *Habet istud emphasim non obscurã. Ipsi hactenus idololatræ, & vitijs omnibus obruti, euadent in populum mihi charissimum, verumq; Dei cultorem: & cũm veteris testamenti cultores non perstiterint pactis; isti constanter in lege mea perdurabũt. Hactenus dè Dei misericordia. Si roges, quænam futura sit huius populi disciplina; audi.*

Ciuem. Ita 70. & Regiorum exemplariũ 1 5.10. 11.& Ita Augu. c.19.de Spiritu, & litera, & Syrus Ephes.4.

Et non docebit quisquam ciuem suum. *Apud Iudæos cuique mandatum erat de proximo suo. Vide, quid agas: sabbathum est, &c. Quid in noua lege? Num hoc abijt præceptum? Hûc assilit Anabaptista, vel quispiam alius hæreticus, omnemq; docẽdi laborem clamat superuacaneum, et dæmonicos instinctus expectandos. Quod si verum sit: quarè diceret Paulus institutos à Deo pastores, atque doctores ad consummationem sanctorum; totiesq; memimisset necessariæ doctrinæ? Non hoc, igitur, ista sibi volunt, quod somniant Anabaptistæ: sed vt Veteres docuerunt, est intelligenda in ijsce verbis æterna vita, cuius nunc gustum per nouam legem accipimus. Nonnulli tamen patres istud quoque additum volunt; quia id, quod summum est in docendo, non aliunde, quàm à solo Deo proficiscitur. Finge quémuis doctũ, aut indoctum concionatorem; adhibe sanos, & insanos, catholicos, & hæreticos auditores: & videbis eos, qui legem*

Aug. cà. 19 dè spiritu, & litera. Theodore. Primasius.

gem cordibus inscriptam non habent, irridere, alios assentiri per mirificam spiritus operationem, qua sæpenumerò malignus veteris testamẽti, vel erroris cuiuspiam sectator, euadit in noui testamẽti, & orthodoxæ fidei discipulum.

Scito Dominum. *Syrum dedda scire significat.* דע
*Ionathas chaldæus addit Timere. Nõ docebit quisquam aut ciuem, aut eiusdem gẽtis, cognationis, familiæ virum timorẽ Dei. Hinc perspicuum est vtrinque legi communem timorem Dei, atque doctrinam, si nihil accedat præterea. Nam in veteri præsens erat calcar supplicij metus: in noua autem stylus velociter scribentis immutat cor, & intelligentiam.*

Eò quòd omnes scient me, &c. *Non quòd omnes paruuli nostri sciant: sed habeant infusum id, quo valeãt suo tempore facere officium, fidem nempè, & charitatem; vt simul atque acceſſerit opera, & nuntius legis, aduertant animum. Nec enim aliunde videmus in pueris christianam indolem, & præcoxrerum nostrarum desiderium; vt gestiant ad orationem dominicam, & imitanda, quæ imbiberint, bona. Absit igitur, vt Christianus suo putet studio, & labore se efficere, vt quis ad fidem conuertatur, cùm diuinæ id sit opus energiæ; nec minùs orationibus, quàm eruditione contendat.*

Et parcam iniquitati eorum. *Hoc est alterũ caput de gratuita remissione peccatorum. Istud autem propriè de baptismo dicitur. Nã dictio Ieremiæ Iaaonam ad pœnas peccatis cõmeritas pertinet, quæ vnà cum ipsis criminibus baptismo delentur. Ego pro omnibus admissis ante huius legis inscriptionem, nihil reposcam pœnarum.* לעוונם

Et peccatorum eorum nō recordabor rursùs. *Istud etiā, vt Patres interpretati sunt, ad baptismum pertinet: oportet tamen toti vitæ commune credere. Non enim solum habemus baptismum fluminis, quo semèl omnium sit culparum, & pœnarum liberalis condonatio: sed etiam lachrymosum, expiātem sordes nostras gratia, misericordia, & indulgentia; cui tamen est cum illo priore affinitas maxima. Nam etsi nonnunquàm (quæ est nostra ignauia) accedamus ad absolutionis beneficiū imparati; vt vix à culpis liberemur: quis tamen ignorat, quàm multa suppetant præsidia, quibus quasi nihil agendo peccata redimere queamus? Si diues, largire pauperi; si doctus, alium instrue: si his destituaris; habes sacrificium quo admissorum, & pœnarum debito te liberes. Postremò non videmus, quàm liberaliter sanctorum nobis opulentia suffragetur in indulgētijs? Ex his liquet, quàm sit in noua lege misericors Deus: nisi planè nos ipsi iuuari nolimus. Non recordatur Deus, cùm punire non vult.*

In eo, quod dicit nouum, antiquauit prius. *Est metaphora sumpta à decrepitis, et silicernijs. Dū meminit noui, quod se substituturū pollicetur, ostendit iam adesse veteri suum senium, ac fatiscere; quòd suos cultores perfectos reddere non posset.*

Et id, quod antiquum est, &c. *Vocabulum Pauli* אכחב, *quod secundo loco ponitur, quadruplicem habet significationem: & nisi Lucæ me mouisset authoritas, eram Pollutum interpretaturus. Igitur Ieremiæ temporibus lex declinarat in senium; & adeò expiare non poterat, vt ipsa videretur potiùs (si ita Syram vocem spectemus, emundatione opus habere:*

quócir-

*quòcirca veniente Christo meritò sublata est.*

## CAPVT NONVM.

*QVÆ in octauo capite compendiosiùs perstricta sunt, nunc Apostolus veluti commentario dilucidiora facturus, ostendet diligentiùs Christum longè aliud tabernaculum, & sacrificium habere, & ôbiter, quò illa vetera spectarint; nè planè suo tempore quis inutilia fuisse putaret.*

| Syr. | Vulg. |
|---|---|
| In primo autem erant mandata ministerij, & domus sancta secularis. In habitaculo nãque primo fabricato erat candelabrum, & mensa, & panis propositionis; & vocabatur domus sancta. Habitaculum autem interius, quod post secũdum velum vocabatur sanctũ sanctorum, in quo thuribulum aureum, & arca testamenti, quæ obdu- | *Habuit quidẽ et prius iustificationes culturæ, & sanctũ seculare. Tabernaculum enim factum est primum, in quo erant candelabra, et mẽsa, & propositio panum; quæ dicitur sancta. Post velamentum autem secundum tabernaculũ, quod dicitur sancta sanctorum, aureum habens thuribulum, & arcã te-* |

obducta erat vndique auro; erat in ea vrna aurea, in qua manna, & virga Aaronis, quæ floruerat, & tabulæ testamenti & supra eam Cherubim gloriæ, obumbrantes propitiatorium. Non est autem tempus nobis dicendi de his sigillatim.

*stamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua vrna aurea, habens manna, & virga Aarō, quæ fronduerat, & tabulæ testamēti, superque eam erāt Cherubim gloriæ, obūbrantia propitiatoriū. Dè quibus nō est modò dicendum per singula.*

*Sed cui videantur ista grammatica, & historica parum habere vtilitatis; secum expendat velim cùm magnas interpretum contentiones, tùm inter ipsum Mosen, & Paulum non aspernādas in speciem antilogias: nè dicam nostram à Paulo vellicari negligentiam, dum has minutias tam accuratè percenset, támetsi penè desperans sibi per otiū dè ys fore locum exactiùs disserendi; vt à nobis eas oporteat expendi diligentiùs, tāquàm vehementer facientes ad vtriusque testamenti discrimen instituendum.*

In primo autem erant mandata ministerij. *Regia editio legit in omnibus suis exemplaribus* Tabernaculo, *quam vocē Photius notham esse adserit: certum est illud additamentum obscurare mentem Apostoli Hæretici pro sua modestia, fœdus reponunt: quod etsi non malè intelligatur; non tamen*

*ferenda*

*ferendæ temeritatis, apostolico textui quicquam attexere. Hic igitur fuit Pauli sensus, superiori capiti cohærens: Dum adsero vetus testamentum, vt potè iam senio fatiscens, esse antiquatum, & abrogatum; absit, vt quispiam intelligat nihil habuisse, quod ad Dei cultum, & iustitiam pertineret. Nam fuerunt in primis δικαιώματα λατρείας,* Iustificationes cultus, *siue latriæ, quas interpretes vocant cũ Syro Paulo mandata, nimirum, legis Mosis lata ad colendum Deum. Deus enim per Mosen certas dederat cultus sui rationes, quæ ad hominis iustificationem, adhibita fide in Christum, non forent inutiles. In ijs autem erant, & quæ ad ceremonias pertinebãt, & quæ Græci ἐντολάς, id est, mandata (nisi doctrinæ vox magis placeat) dicunt, ethicem, ac decalogum complectentia; & postremò τὰ κρίματα, id est, iudicia.* Ps. 118. sæpè inculcãtur ista.

Et domus sancta secularis. *Quódnam istud est τὸ ἅγιον κόσμικον? Quidam ex recentioribus mũdanum vocant: Syrus a seculo, non autem à mundo, vocem habet hìc deductam; quod obseruatum, quid hinc sit eruendum, commonstrabit. Græci ferè secuti Chrysostomum, intelligũt dè prima parte templi, in quam non solùm Iudæum vulgus, sed & gentiles admittebantur. Neque verò id alienum ab antiquitate Iudaica. Nam Aristæas libro de Septuaginta interp. se missum ad Ierosolimitanos dicit admissum in eam templi partem, quæ prima parti tabernaculi respondebat; & ad Caligulã Philo refert talem locum fuisse, ex quo gentiles poterãt adorare Deum, & quæ pro se offerrẽtur, intueri. Et huic subscribit Iosephus lib. 2. cap. 16. belli Iud. narrãs Politianum ascendisse in templũ, conspicatum quæ fas erat, oraſſe, & reuersum*

uersum ad Cestium. Ista visum est adferre, nè quisquam à Chrysostomo, & suis hunc sine caussa locum credat intellectum. Si dicas id non conuenire cum historia comprehensionis Pauli: quid conuenire satis valeat furiosæ multitudini, præsertim Iudæorũ? Nec plus officit, quod nonnullis non dè templo, sed dè tabernaculo Mosis verba fieri videtur: quia Mosaici tabernaculi formam Solomõ, quoad licuit, expressit. Eúmne igitur locũ Paulus intellexit? Certè magna est Græcorum authoritas: neque vel hiscere auderẽ; si deforet Syri Pauli præsidium. Nã cum habeat vocem, quæ ad seculum pertinet: arbitror indicasse locum illum æternum non fuisse, in quo populus ad tempus religioni operam dabat; cùm totus ille cultus ad tempus duntaxat esset præscriptus. Et sicubi dè his iustificationibus, & loco dictum sit, fore in obseruatione perpetua; nõ æternitas, sed statutum tempus ostenditur. Itaque ad totum illud Leuiticum tabernaculum, seu in deserto constructum, seu Ierosolimis ædificatum, quod euanidum fuit, & verè seculare; ista pertinent. Sic igitur Paulus commissurus res Christi cum Leuiticis, suum his honorem, laudemq; tribuit. Sed progrediamur adsingulas partes huius domus.

In habitaculo namque primo fabricato. *Huius domus temporariæ prima pars, & media habuit, quæ sequuntur.*

Candelabrum. *Cùm ad Solomonis ætatem vsq; tabernaculum in pretio fuerit, videtur probabilius singulariter legi. In templo autem multa fuerunt: vndè placet nonnullis lampadum vocabulum, quæ erant in varijs brachijs candelabri, vt ciphuli, & globuli*

buli ex ramis prominentes. Institutionis causſam Moſes apertè refert: ſitus autẽ ad meridionalẽ plagam Philo, & Ariſtæas rationem adferunt, quia ſolem meridianum repræſentaret.

Et menſa. Hæc è regione candelabri ſortita eſt locum ad ſeptemtrionem, in media parte templi.

Et panis propoſitionis, Seu facierum. Ita enim vocantur ab Hebræis; quod ordine duplici collocati, ſe inuicem reſpicerent. Exod. 27. Leuit. 25. 1. Reg. 21. Matth. 12.

Et vocabatur domus ſancta. Ergo proprium nomen huius mediæ partis erat τὰ ἅγια; Syris Domus ſancta: quia ibi ſacrificabatur, ſuffitus fiebãt, & propria religionis functio peragebatur.

Habitaculum autem interius. Syris eſt poſitiui gradus. Mirè hîc ſeſe fatigant Latini, & Græci interpretes, vtri voci tribuant dictionem Secundũ; aiuntq; eſſe cõfuſionẽ, & ſyntheſin in oratione Pauli, qui tribuerit velo, quod erat tabernaculi: ſed noſter apertiſſimè dicit fuiſſe interuum tabernaculum, poſt velum ſecundum. Videre eſt enim Exodi 25. manifeſtè duo vela præſcribi à Deo (quicquid libeat quibuſdam recentioribus litigare) alterum, quo ſanctum ſanctorum tegebatur; alterum, quod ab atrio populũ ſeiungebat. Immò ſi quod res eſt, dicendum ſit; Leuitici loca inter ſe collata, probant quatuor, aut plura fuiſſe; quemadmodùm & in templo Solomonis. Leuit. 4. 5. 14.

Quod poſt ſecundum velum. Oppandebatur illud, nè populus nimium eſſet curioſus.

Vocabatur ſanctum ſanctorum, id eſt, ſanctiſſimum. Eſt enim idiotiſmus; ſicut virgo virginũ quotidiè pro ſanctiſſima virgine vſurpatur. Syri vocãt domũ thuris, ſeu aromatum, aut ream.

In quo thuribulum aureũ. Græci θυμιατήριον,

*quod & de altari thymiamatis intelligi potest. Nec desunt, qui sic interpretentur, parum (vt videtur) eum mores structuræ tabernaculi. Moses enim illud altare ante velum sancti sanctorum collocari iusserat. Itaque de vasculo faciendo suffitui commodo debet accipi. Quando ergo summus pontifex ingrediebatur sanctum sanctorum, gerebat thuribulum; et excitato suffitu honorabat arcam, & propitiatorium.*

Et arca testamenti, quę obducta erat vndique auro. *Ea satis nota est. Sic autem appellabatur: quia gemina tabulæ, quibus inscriptum erat fœdus initum à Deo cum Iudæis, impositæ erant.*

ענפא Eratque in ea vrna aurea, in qua manna, *Syri manno pronunciant. Cum Deus non ignoraret Iudæos fastidio habituros hoc genus cibi, voluit vrnam eo compleri, & in omnẽ posteā seruari ætatem, vt non ignorarent posteri, qua esca nutriti fuerunt ab optimo Deo homines tam immorigeri.*

Et virga Aaronis, quæ floruerat. *Moses fusè totam rem describit. Est autem intelligendum de scipione, quem pro more gentis deferebant. Hoc miraculo constitit omnibus, Dei beneficio Aaroni delatum esse summum sacerdotium. Sed hic hæremus. Nam cùm sacer historicus duarum meminerit solũmodo tabularum: quómodo Paulus ait hæc duo prætérea fuisse? Hæc enim fuit vna ratio, cur plerique veteres de hac epistola non ádmodum senserint magnificè. Volunt autem nonnulli esse synecdochen, ac solas ibi tabulas nominatas; quòd tunc solæ ad rem facerent. Sunt qui negent Hebræos eo loco habere particulam, quæ nostræ.* Nisi, *respondeat: sed falluntur. Quin immò commentatores Hebræi ad eum locum*

*aiunt*

aiunt in arca tũc temporis, cum scriberetur historia, præter geminas tabulas, nihil fuisse: cætera verò in thesauros recondita. Et vt fidem faciant; adferunt, quòd 4. Reg. 22. narratur, ab Helcia sacerdote repertũ librum Mosis Deuteronomium in gazophilacio domus domini. Nam extructo templo augebantur omnia, & pro religionis incremẽto, rerum quoque ad eam spectantium crescebat numerus, adeò vt fuerint candelabra decem, mensæ totidem, & Mosis totum tabernaculũ in thesauros referebatur. Non desunt, qui per antonomasiam tabulas indicatas nominatim contendant, tanquàm maioris momenti, reliqua autem esse ex alijs locis intelligenda: & quoniã non semèl tabernaculum fœderis appellatur; aiunt arcam esse intelligendam, cùm dicitur: Referin tabernaculum testimonij. Sed quod optimè notauit Augustinus in quæst. tunc neque arca, neque tabernaculum erat constructum. Superest vna conuenientissima conciliandi ratio; si dicamus, nondum extructo templo, arcam ob angustiam tabernaculi cuncta ista clausisse, tempore autem Solomonis exempta, & varias in cellas recõdita. Licet in prorsus diuersam iuerit sententiam Theophylactus; nempè, vt priùs fuerint diuersis in locis, deinde autem atate Ieremiæ cõgesta in arcam.

Lib. 2. ad. 16. Exodi. Idẽ tamen li. 4 ad. 17. Numer. dicit iussum in Exodo vt virga in sanctis sanctorum cũ mãna in arca poneretur. Idẽ habet lib. 3. in Ex. ad cap. vlt. in topographia tabernaculi.

Et supra eam Cherubim gloriç, id est, gloriosi; insignia, & honorantia illud adytum. Erãt honorificentissimæ effigies ex mero auro conflatæ. Quid autem significet hæc dictio, non satis est constitutum. Dauid Kimhi, & Esdras aiunt accipi pro rei cuiúsuis imagine augustioris: adeò vt 28. cap. Ezechielis putent regem vocari Cherub. Sed Kimhius omnium

diligentissimus, in lexico, & Michlol dicit vocem compositam sonare, Sicuti puer) vt caph similitudinis sit, & rub a rabio, quòd puerum Chaldæis valet: eò quòd plerique persuasum habeant Cherubim solere pingi forma pueri. Sed cap. 7. Cælo. Hier. Areopagita de nominibus hebræis angelorum non sine numine differens, ait constãter Hebræos adserere dici Multitudinem scientiæ; cuius interpretationem Hieronymus non vno sequitur loco. Si quid autem de forma, quã Moses. & Solomon exsculpebãt, & pingebãt, sit dicendum: Flauius Iosephus lib. 8. ca. 3. antiq. ait neminem qualia (Græci enim neutro genere efferũt) fuerunt dicere, vel conijcere posse; libri tamen 3. cap. 8. dicit esse animalia volatilem figurã habentia, quæ à nullo hominum visa sint; vt is hac in re nõ satis constare sibi videatur. Apud Ezech. ca. 10. & Exod. c. 25. satis liquet humanam habuisse figuram; alatos autem vbique constat, nec puerilis illa forma per omnia dissimilis est. Ne autem hac in re diutius immoremur: Nicæni Patres actione quarta nobis præscripserunt, dicentes humana semper effigie, & quidem iuuenili pictos; vbi & alia non indigna cognitu legere est.

רביא רוב

Ad c 6. Isaiæ & Zechiel. 10.

Esa. 6. Ezech. 10. 20. & 41. Concil. 7. Gene.

Obumbrantes. Nam cùm à dextra, leuaq; assiderent; vterque altera ala mẽsam adoperiebãt. Syrus addit aal.

על

Propitiatorium. Istud erat aurea mẽsa, & lata cubitum vnum, & dimidium, longa duos cubitos, & dimidium; quam vtrinque Cherubim sustentabant. Designat autem perpessionem domini, & Seruatoris nostri Iesu Christi, & ipsum quoque. Nam vocem hebræam nihil aliud nobis licet interpretari, quàm

*quàm ἐπίθεμα, καὶ ἱλαστήριον. Quamuis Hebræi recẽtiores defensaculum reddere malint, excipiẽdis pulueribus superexpansam arcæ laminam intelligentes: cùm Septuaginta, vt iam dictum est, & Syrus Paulus per chuseio reddiderint; non possumus ambigere, quid sequendum.* אחום

Non autem tempus nobis, &c. *Nimis longum foret harum rerum mysteria cuncta declarare. Hoc dixisse sit satis, impiè simul, & indoctè agere hæreticos, qui vetent horum significationem quemquam inuestigare; ac nominatim taxent Hesychium: cùm sit religiosissimum ex Philone, Dionysio, Clemente, & alijs vetustissimis, quid sibi hæc voluerint symbola, perquirere; præsertim cùm Paulus tantùm non hortetur, idẽ facturus, si instituta poposcisset disputatio.*

| Syr. | Vulg. |
| --- | --- |
| Quę sic parata fuerunt. Et in habitaculum exterius omni tẽpore intrabant sacerdotes ministeriũ suũ perficientes: in habitaculũ autẽ interius illo semèl in anno solus intrabat sacerdotũ princeps cũ cruore, quem offerebat pro se, & delictis populi. | *His verò ita cõpositis, in priori quidèm tabernaculo semper introibant sacerdotes sacrificiorum officia consummantes: in secundo autem semèl in anno solus pontifex, non sine sanguine, quem offerret pro sua, et populi ignorantia.* |

Et in

ET in habitaculum exterius. *In medio loco, qui* ναὸς, *siue templum vocatur, & noster dudum domum sanctam appellauit, sacerdotes totam ferè agebant vitam sacris operantes. Quod autem ministerium dicimus, Græci* λειτουργίας *nuncupant; & de sacrificijs, ac oblationibus intelligunt.*

In habitaculum autem interius. *Hûc tendebat Paulus, nimirum in tertium locum. Eũ autem diligẽtissimè pertractat in Caio Philo Alabarches. Ait enim tanta cultum veneratione: vt nemo laicus capitis periculo adire posset, nè ipse quidèm princeps, nec vllus, præter summum pontificem sacerdos, idq; non bis, vérue, sed tantùm semèl in anno, mensis septimi die decimo, qui pœnitentiæ dicebatur. Ac neque vnà die ter ingredi fas illi fuit, quod fauere prima fronte videtur eorum sententiæ, qui bis ingressum aiunt, ita Exodi c. 30. & Leuit. 16. interpretates: fuerit tamẽ probabilior dè vno, & eodem introitu explicatio. Et ista quidem nullam habent difficultatem, si nos hæretici permitterent esse quietos, nec ignoratã obijcerent historiam. Nã veterum theologorum plurimi narrant Iacobum iustum, fratrem domini, hoc habuisse prærogatiuæ, vt semel quotannis ingrederetur in sanctum sanctorum: quem tamẽ summũ sacerdotem nequaquàm fuisse constat. Hoc igitur rident hæretici, quasi cõtrarias scripturis traditiones habeamus. Quid ergo? Num tam sanctos, & doctos Ecclesiæ proceres, & fidei columnas reijciemus? In primis notãdum Egesippum huius esse authorem sententiæ, ex cuius quinto commentariorum libro aly deinde mutuati sunt. In huius autem verbis apud Eusebiũ dicitur Jacobo Iusto permissum intrare* εἰς τὰ ἅγια,

Augustin. in topograp. tabernaculi ad vlt. c. Exod. indicat principi sacerdotũ sæpiùs ingredi licuisse, sed semèl duntaxat cũ sanguine.

& ea

& ea mox exponens, Et hic, inquit, solus intrauit τὸν ναὸν. At Matt. 21. & Luc. 1. & Act. 23. notum est ναὸν pro parte templi media vsurpari, siue tabernaculo, vbi sacerdotes operabãtur sacris. Ex quibus nec Egesippum aliud, quàm Iacobum intrasse ipsa, quæ, sine additamento sanctorum, sancta vocabantur, dicere; nec hæreticos, quod meritò exagitẽt, habere manifestum efficitur. Nã cùm Samuelem Ephraimæũ factum esse sacerdotem, & quidem summum, in loco Heli scripturæ referãt, ob primogenituræ sanctificationem: mirum certè nõ est, Iacobum ex materno genere sacerdotẽ (patruus enim maternus Zacharias fuit) & Naziræum, sacerdotibus admixtũ inferioribus, sese pro eius ordinis dignitate gessisse, & mediũ locum adijsse. Venit prætérea in mentem, hunc annuum introitũ Iacobi interpretari, pro ea, quã Dauid instituerat, familiarum distinctione. Esset ista conciliandi ádmodum expedita ratio: sed ijdem patres volunt sanctissimum illud adytum trãs velum adiuisse, & quidem solum; quod non cuiuslibet, sed summi sacerdotis erat. Quid hîc dicimus? Equidem quod soli hoc deferunt, est ad eius fratres Iosen, Judam, & Simeonem referẽdum, nec primogenitos, nec Naziræos: vel dicito Christianos alios, & reliquos Apostolos excludi, quibus nequaquàm id tutò licuisset. Quod autem additur semel in anno, cùm videamus ex eo, quod Paulo dederat, consilio Iacobũ à sacris Judaicis non abhorruisse tãtisper, donèc planè sepulturæ traderetur mater synagoga, sic intelligendum videtur, quòd reliquo tempore sacrificijs vacaret christianis: quia tamen Iudæis gratum sentiebat, vt suum ius Iudaicum obtineret, semel hoc illis tribue-

Deserat dum, qui intrarent ss. Pont. apud Iudæos legitima successio.

tribuebat, & locum illum intrabat. Sed magis premit dictio sancti sanctorum. Quid si respondeatur eius tempestatis sacerdotes non magnopere hac dere laborasse; vel id muneris in alterius humeros deposuisse, & potissimum notissimæ sanctitatis homini demandasse? Quid si Caiaphan, Ananum, & huiusmodi rebus alijs, honoribus, iurisdictionibus, splendori, pomposis titulis occupatos: quid si periculosissimũ eum semper ingressum, in quo si quid vel minimum prætermissum foret, certum exitium, & huiusmodi alia quis adferat; & Iacobum partim sua sanctimonia, partim legis abrogatæ conscientia fretum, id non refugisse delatum? num penitùs absurda dicere iudicabitur? Certè quòd aduersarij vrgent, Iacobum facinus admissurũ, nihil est: cùm lex nullius tunc momenti fuerit. Verùm tametsi non facilè, quæ dicta sunt, respuenda videantur: arbitror ego reliquos patres Egesippum ex memoria retulisse; & vti fit interdum, credidisse eum agere de sancto sanctorum, cùm tantum de media parte loquatur. Durum quidem istud, & à nostra consuetudine penitùs alienũ, qui Patrum authoritatem religiosè veneramur: res tamen dissimulari non potuit, vt studiosi sacræ theologiæ trapezitarum instar expendant, & cùm paragogis conferãt traditionum, & antiquitatis monetã. Quia autem versamur in ista quæstione, possumus haud dissimili opera similem ailuere scrupulum, occurrentem in veterum commentarijs ad primum caput D. Lucæ. Diuus enim Ambrosius, & eum secutus Beda, non dubitant Zachariam adserere summum fuisse sacerdotem, vel saltem eius munere functum: quod si res ita se haberet, multum ad præce-

dentem

dentem valeret disputationem. Tum enim mirum videri non posset, Iacobum adijsse sanctũ sanctorum, cuius patruus summus sacerdos fuisset, vtpotè natũ Salome filia Haggai, qui pater Zachariæ fuit. Sed Patres illi modestè agere videtur excusatione, neque satis præsenti in memoria habuisse, quid in Exodi et Leuitici locis superiùs indicatis mandaretur. Nam in Luca suffitus, qui manè, & vespere fiebat, intelligitur; & omnibus cuiuslibet sortis, & familiæ sacerdotibus communis erat. Ne hùc adferam Nicephorũ ex vniuersis Flauij Iosephi monimentis diligẽtissimè Iudæorum pontifices omnes percẽsentem, nullius imminisse Zachariæ, præsertim cũ circa Herodis tẽpora Ananus cum filijs summo incubarit sacerdotio.

Cum cruore. Græci istud ita accipiunt, ac si Apostolus velit indicatum legem etiam habuisse quoddam sacrificium, ac thysiã ignis, & lignorum expertem: vt quidem appareat in communiter accepto sacrificio ista requiri; sed tamẽ illud nobilissimũ fuisse, quod illis duobus caruerit. Hoc igitur tantum de cruore, Aaronem introiturũ decimo die septimi mensis, primùm iugulasse victimam in altari æneo, incẽdisse, & hausisse de carnibus; accepisse nihilóminus de sanguine in phiala, & versus propitiatorium digito respersisse.

Quem offerebat pro sese, & delictis populi. Græci, & Latinus interpres pro ignorãtia, & tãtundẽ vox Syra, pro stultitijs: vt intelligantur peccata, quæ non fiunt industria, & proposito. Non est tamen dissimulandum maiores nostros, occasione huius vocis, iubere nos diligenter attendere, quàm debeamus subducta semper esse ratione: cùm non solùm

scientes,

*scientes, prudẽtèsq; peccemus; sed multa quoque patremus ignorantes.*

*Syr.*

In hoc autem docet Spiritus sanctus nécdum reuelatã fuisse sanctorum viam, quoadusq; staret primum habitaculum. Et fuit parabola hæc temporis eius, quo offeruntur oblationes, & sacrificia, quæ non possunt perficere conscientiam eius, qui ea offert; sed in cibo, & potu solummodo, & baptismate diuersarum formarũ; quæ erant mandata carnis, imposita vsq; in tempus correctionis.

Vulg.

*Hoc significante Spiritu sancto, nõdum propalatã esse sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum. Quæ parabola est temporis instantis: iuxta quã munera, & hostiæ offeruntur, quæ nõ possunt iuxta conscientiam perfectum facere seruientem; solummodo in cibis, et in potibus, & varijs baptismatibus, & iustitijs carnis, vsque ad tẽpus correctionis impositis.*

*COllaturus sacrificia legalia cum sacramentis, & sacrificijs christianis Paulus, probat veterum triplicem defectum, nimirum, quòd tantùm ad tempus seruierint; quod carnis duntaxat emundationi fuerint apta; deinde quòd nè diebus quidem singulis oblata, & repetita, iustum quemquam reddere potuerint.*

*potuerint. Initio autem anagogicè ea, quæ hactenus ex lege repetyt, interpretatur; veluti per glaciẽ desectã similia nos in rebus veteris testamẽti tẽtare docẽs.*

In hoc autem docet. *Quòd sacerdos summus quotannis intraret semèl in sanctum sanctorum, & quòd reliqui totos dies versarentur in media parte templi. In iys enim, quod mox est secutum, adumbrabat Spiritus sanctus: vt non Mosi, sed Spiritui sancto, iuxta interpretes, has legis vmbras feramus acceptas. Quid docet?*

Nécdum reuelatam fuisse sanctorum viã. *Notant interpretes* sancta *hîc dici, quæ modò sancta sanctorum vocata fuerunt; vt nõ immeritò, quod ab Egesippo dictum erat de Iacobo, raptum fuerit ad sanctum sanctorum. Nóndum igitur patebat via, non in Mosaicum, sed in significatum sanctũ sanctorum, in cœlum: quia homines viæ ignari; duxq; Christus adhûc expectabatur.*

Quóad vsque staret primum habitaculũ. *Quàndiu sacerdotes legales occuparentur in quotidianis victimis, & nihilominus post toties repetita sacra, necesse esset semèl in anno summum sacerdotẽ adire sacerrimam templi partem; vt imperfectis illis, ad nauseam vsque repetitis, hostiys annuum nihilo perfectiorem imponeret colophonẽ: quàndiu (inquã) hæc fiebant, satis declarabatur homines viam ad cœlum ignorare; &, qui eos deduceret, summum quempiam alterius generis sacerdotem desiderari. Nullæ enim lex, nulla philosophia, nullæ naturæ vires valebant hominem liberare, quin extorris à cœlo, descenderet in infernum.*

Et fuit parabola hæc temporis eius. *Tollitur gra-*

tur græci articuli ἡ ambiguitas, qui vel συνήν, vel παραβόλην referre quibusdam visus est. Illa itaque præcepta, cõsuetudines, ritus, quicquid fiebat in veteri lege (ea enim omnia tabernaculi voce superius cõplexus est) fuit parabola temporis totius a condita lege vsque ad eius abrogationem. Vt enim sacrificia; ita lex tota perfectionem à Christo præstolabatur. Rursum autem hic diluitur varietas, quæ ex græca oritur lectione. Quidam enim legũt καθ' ὃν; Oecumenius autem καθ' ἣν, secundum quam, nimirum parabolam; vt noster quoque legisse videtur interpres. Quid Syrus?

Quo offeruntur oblationes, & sacrificia, quæ non possunt, &c. Diximus, quæ sit hæc perfectio, iustificatio, peccatorum condonatio, quæ sit per christiana sacramenta. Est enim τελειῶσαι verbum, quod sacramentorum efficacitati adsignant interpretes. Illa autem vetera nihil tale præstiterunt: ac nè ipsum quidem offerẽtem præsenti donare iustitia valuerunt; né dum peccata totius delere populi. Nã si verissimum est, quod Areopagita dicit, sacerdotes instar esse debere crystalli pellucidi, in quod incidentes radij solis, in cætera, quæ vicina sunt, refundũtur: debuissent priùs ipsi se iuuare sacerdotes, deinde populo quoque prodesse. Et ista quidem est veterum interpretatio, solum sacerdotem offerentem intelligentium: possent tamen haud absurdè populus, ac sacerdos vnà coniungi; cùm sit vna duorum actio, & operanti sacerdoti plebs cooperetur, vt Leuitici capitibus 5.6.7. & 1. Reg. capit. 2. Nihilne igitur contulerunt?

Sed in cibo, & potu solummodo, & baptismate,

mate, &c. *Scimus enim, quàm operosè fuerit præscriptum, quibus vel vtendum, vel abstinendum. Quod autem ad potum pertinet, quibusdam placet exaggerationis gratia positum, ob iucundã græcarum vocum paronomasiam* βρώμασι, καὶ πόμασι; *alij volunt Apostolum respexisse ad ea, quæ in potu sacerdotibus interdicũtur, vel Naziræis. Fortassis nõ ineptè spectasse diceretur Iudæorum superstitionem, qui in prosabbathis coquebant cibos, nè sabbathis ignem struere oporteret; ideoq; nè calidem quidam bibebant vti scribunt Ignatius, & Iustinus. Dè baptismate multa quoque fuerant mandata; vt nusquàm non grauí sarcina premerentur.* Leuit. 10. Numer. 16. Iustinus in Tryph.

Quæ erant mandata carnis. *Cùm enim abluueretur caro, interea manebat obruta peccatis anima; nisi fides in mediatorem opitulata fuisset: & propterea tantùm* Leuit. 11. Numer. 19

Imposita vsque in tempus correctionis. *Donèc veniret, qui restitueret omnia. Erant autem onera necessaria Iudaicæ leuitati, nè ad idola defluueret: vndè imposita dicuntur. Vbi meminisse decet illius Actorum:* Quid tentatis imponere, &c. *Mandata, siue δικαιώματα non rectè à plerisque de ipsa iustitia, cùm sint de esculentis, & similibus mãdata, accipiuntur. Absolutis tribus, de Mosaicæ legis, rituum, & sacramentorum imbecillitate; nunc ad nouæ legis energiam, & præstantiam Paulus accingitur.*

Surrectione tertia noctis pridie crucifixionis.

Syr.

Christus autẽ accedẽs, fuit sacerdotũ princeps bonorum, quæ fecit; & intrauit habitaculũ magnũ, & perfectũ, quod factũ non est manibus: & nõ intrauit cũ sanguine hircorũ, & vitulorũ, sed cũ sanguine suo proprio intrauit vno tempore in domum sanctuarii, & inuenit redẽptionẽ æternam. Si namque cruor hircorũ, & vitulorũ, & cinis vitulę aspersus super eos, qui inquinati erant, sanctificauit eos, quò ad emundationem, quæ est in carne ipsorum: quantò magis igitur sanguis Christi, qui per spiritũ æternitatis sese obtulit imma-

Vulg.

*Christus autem assistens pontifex futurorũ bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum, non manufactum, id est, non huius creationis; neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinẽ introiuit semèl in sancta, æterna redemptione inuenta. Si enim sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emũdationem carnis: quantò magis sanguis Christi, qui per spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emun-*

immaculatum Deo, emundabit conscientiam ab operibus mortuis, vt seruiat Deo viuenti?

*emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti.*

CHristus autem accedens. *Græci hoc elegantius efferunt,* ἐπιγενόμενος. *Atque hoc loco debemus eorũ commentarijs esse contenti; nempè, Christum non hominum cæterorum more literis insudando, sese alijs approbando, conscientiam emundando, factum esse sacerdotem: sed eius incarnationem fuisse eius sacerdotij inaugurationem. A primo conceptionis igitur momento adsistens, seu superueniens.*

Fuit sacerdotum princeps bonorum, quæ fecit. *Videtur laborare Paulus, & rẽ pro sua dignitate satis exprimere nõ posse. Ipse est administrator, & promus condus omnium bonorum, quæ nimirum,* nec oculus vidit, nec &c. *quæ in præsenti, & futura vita ad benè, beatèq; viuendum conferunt. Vt autem in tentationibus non deijceremur, nec in terris fœlicitatẽ captaremus; græcus, & lat. interpres addidit,* futurorum: *quia tametsi promiserit centuplum, nõ tamen id cunctis expedit; ac próinde multi Lazari in ærumnis degunt vitam. Verùm quoniam alij quoque sacerdotes possunt esse duces, & auspices ad aliena bona; non est otiosè dictum à Paulo,* Quæ fecit: *quia non est alieni beneficy largitor, & administer; sed idem author eorum bonorum, quæ plena manu in suos effudit. Hoc igitur esto primum discrimen.*

Et intrauit habitaculum magnum, & perfectum. *Iudaicus pontifex prius habitaculum introibat; ibiq; mactati hirci sanguinem deferebat in sanctum sanctorum: sed ille vterque locus fuit humana structura, neque magnificentissima. Synecdochicôs dicitur σκλωὴ, seu velum, vt superius dictum est.* Magnum *Interpretes de Christi interpretãtur corpore: vt non oporteat svram vocem rabbo spatio,* רבא *sed pretio, & dignitate æstimare. Istud ergo non fuit manibus factum; sed spiritus artificio: nec hominũ quisquam ad illud contulit: sed ex beatissima virgine desumptum, & quod reliquum est Spiritus sanctus, immò tota Trinitas est operata. Sit hæc altera differentia, quòd summus sacerdos in humana arte, & operis artificum extructum tabernaculum, non maximum; Christus in templum nequaquàm manu factum, quoque nihil augustius, intrauit. Vbi laborãt Patres contra Nestorium, qui nugabatur Christũ in vtero virginis, & in proprio corpore, velut hospitem in domo, conuersatum. Sequitur tertia.*

Et non intrauit cum sanguine hircorum, & vitulorum. Sed cum sanguine suo. *Ad verbum, Cũ sanguine animæ suæ, habet igitur Christianus, quo glorietur, tanto dignatus honore, vt pro ipso noui sacerdotis funderetur sanguis.*

Intrauit vno tempore in domo sanctuarij. *Est quarta differentia. Antiquus ille sacerdos semèl quotannis hanc repetebat ceremoniam: Christus semèl in vita per prius tabernaculum transiuit ad sanctum sanctorum, quod hìc vocatur domus sanctuarij. At præstitisset hìc remansisse nobiscum. Immò viam præstruere debuit; & ideò subiungitur.*

Et in-

Et inuenit redemptionem seculi. *Quidam recentiores* εὑράμενος *vertunt, Adeptus est, reperit; nec omninò malè: tamen post Chrysostomũ, Theophylactum, & alios, vocem probè intelligentes exponunt, Inuenit, præter spẽ eorum, quos redemit. Eramus enim sine spe vitæ æternæ: sed pontifex noster nobis eam acquisiuit, non quólibet labore suo, sed effusione sanguinis sui. Hæc igitur inuentio Christi laborem significat: quod autem ad nos attinet, præter omnem spem, & adeò præter omne meritum.* Inuenit redemptionem seculi, *seu æternam: quia redemit eos, qui iam indè ab Adamo lapsi fuerant, & qui postea peccarunt vnquam, denique sufficit pretium pro innumeris, qui nunquàm ad salutem sunt peruenturi. Horum probationem subdit.*

Si namque cruor hircorum, &c. *Argumentatur hoc loco Paulus ex fide, & opinione Hebræorum. Vos, Iudæi, fortassis admirabimini Christum vnica opera tantùm valuisse: videte, quid credatis; vitulorum cruorem sanctificare, & emundare, quod ad carnem attinet. Persuasum quoque habuistis cõmixtos aqua cineres eodem valere. Numerorũ 19. vaccæ bustũ paratur, sacerdos ipse, et qui præerat incendio, iubentur pro immundis haberi, & vestes abluere. Quæ hæc sunt paradoxa? Possuntne ista iuuare, quæ commaculant? Deinde præcipitur homini mundo colligere cineres: & mox vestimenta lauare cogitur. Contingebat expiatorios pulueres, & inquinabatur. Dictum mirum: vos tamen eo, Iudæi, credidistis vos purgari. Quin istud creditis potiùs, quod subditur.*

Quantò magis sanguis Christi, &c. *hominis*

simul, & Dei? Fortassis mirabitur aliquis Apostolũ totiès legalia ad carnis emundationem restringere. Dixi non semèl, etsi vis sua non profuerint ad mentiũ expiationem; non tamen vel otiosa fuisse, vel solius carnis emundationi seruiuisse. Quamuis & hæc sit in cultu Dei necessaria. Nam maiores nostri, cùm fateantur Deum potiorem animarum ducere munditiem, non leue tamen duxêre piaculum, si quis sordidis vtatur in mysteriis. Deinde cùm olim extra castra secedere cogerentur immundi, fiebat vt res diuinas maiori haberent in pretio. Nè dicam vniuersa refertissima fuisse mysteriis, propter antitypa; neque physicis rationibus caruisse, neque sua qualicumque efficacia. Huius autem sacri cineris occasione, nostri aduersarij clamant aquam sale conspersam insignem esse catholicorum blasphemiam. Si quis autem Gratianum adeat (eum enim potissimum vexant) videbit fragmentum epistolæ primæ Alexandri primi ad omnes orthodoxos, seu (vt olim Burchardus inscripsit) ad Ægyptios. Sic autem fermè argumentatur Alexander. Si cinis vitulæ potuit carnem emundare: quantò magis aqua sale aspersa, diuinisq; precibus sacrata? &c. Quid in his clamore dignũ, si quid voluerit Alexander, & quid catholici doceãt, expendatur? Non enim sanctissimus martyr veteris testamenti ritus damnat: sed tãtundem, aut plus adscrit valere diuinis consecrata precibus elemẽta. Sed quorsum hìc demum hostibus istud venit in mentem conuellere; qui idem docent ad quartum prioris ad Timotheum, vbi Dei verbo dicit Apostolus bonas Dei creaturas sanctificari? Nec ipse Caluinus potuit veritatem inficiari, cùm agens dè initiatione fatetur

Aristeas li. de Septuag. Interpre. Thomas prima 2. q. 102. Philo. Ad Nume. 19. & Gratian. de cõsecrat. cap. Aquam sale. disti. 3.

res hu-

*res huiusmodi reddi veluti quædam amuleta contra damonum præstigias. Sed aliàs egimus ea de re copiosiùs.*

Qui per spiritum æternitatis. *Notant ferè omnes interpretes istud opponi incendio holocaustomatum. Christus non egebat lignis, sed rogus fuit illi Spiritus. Quod ait Christum se Deo patri obtulisse; non ob superbiam, aut metum, sed dictante Spiritu sancto gestum est. Etsi enim fateamur non defuisse Trinitatis adorandæ totius operationem: attamen maiores nostri volunt exhibitum nobis à Paulo patrem mortalibus infensum; miseros, ac perditos procul exanimatos metu; Filium mediatorem. Refugiebamus iratum patrem, Christus intercedebat, nè interitus decretum statueretur; Spiritus sanctus autem eum veluti hortabatur, & impellebat, si ad hũc modum dè rebus occultissimis, & sanctissimis balbutire non sit religiosum. Pœnam igitur, quam reposcebat pater, filius flamma spiritus impulsus exanthlauit, & sese obtulit.*

Immaculatũ. *Quid enim aliud esset, qui Deus erat, in cuius ore dolus non fuit, qui à Spiritu sancto cõceptus fuerat? Sed vt antithesis seruaretur, dicit ob lationem fuisse vndequaq́, immaculatam, & sanctam. Nam & vacca nullã debebat habere maculam. Et quidem*

Deo. *nimirum patri. An non fuisset non exigere clementius? Haud sanè. Referebat enim nostra plurimùm, peccati grauitatem agnoscere; neque decebat per effusiorem indulgentiam (tametsi fuerit etiã tùm effusissima) iustitiæ Dei fieri vim.*

Emundabit conscientiã ob operibus mor-

tuis. *Veteres illi solam vtcunq; carnem emundabãt: Christus conscientiam, id est, ipsam animam; vt ibi dè cæterò non sit reatus, non hæreant culpæ, sed erutæ proijciantur in cor maris. Quomodo? An per animi solam informationem? Minimè: sed per sacramenta. Si enim non adaptetur nobis Christi sanguis; nõ proderit. Hinc igitur in primis discimus christianorum sacramentorum necessitatem; deinde remitti per Christi virtutem peccata, ipsasq; fibras animorũ, quæ per conscientiæ vocabulum indicãtur, expurgari. Dè operibus mortuis capite sexto aliquid audiuimus. Ita vocantur peccata: non solùm quia ipsa sunt mortua, id est, quia nihil prosunt ad vitam; sed etiã quòd à morte proficiscantur, & mortem generent.*

Vt seruiat Deo viuenti. *nempè, in conscientia sic emundata. Scopus igitur Christiani hominis est, vt póstquam Christi redemptionis euasit compos; deinceps non idolis, nõ carni, nõ concupiscentiæ, sed Deo seruiat; & quicquid molitur, ad liberatoris Dei sui honorẽ referat, & expiatã filij Dei sanguine mentẽ, illius vnius mancipet obsequijs. Et ista sufficere poterant: sed quoniam agebat Apostolus cum ijs, quibus mors ipsa seruatoris erat offendiculo: dèinceps eiusdem necessitatem, ac summam vtilitatem est probaturus.*

| *Syr.* | Vulg. |
| --- | --- |
| Proptérea ipse factus est mediator testamẽti noui: vt morte sua cõtingeret redemptio iis, qui trãsgres- | *Et ideò noui testamenti mediator est: vt morte intercedente in redemptionem earum præuari-* |

gressi erant testamẽtum primum; vt acciperent promissum ii, qui vocati fuerunt ad hæreditatem æternam.

*naricationum, quæ erant sub priori testamẽto, repromissionem accipiãt, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis.*

PRoptérea. *Nimirum, vt in sanguine suo speratam humano generi compararet liberationem.*

Ipse factus est. *Non angelum, aut aliam creaturam substituit: sed obtulit seipsum.*

Mediator. *Sunt, qui ab hac voce, vt parum latina, abhorrent; reconciliatorem dicentes, aut quippiam simile: sed interim neque syræ, neque græcæ vocis proprietatem appendunt. Nam potes quempiam alicui conciliare: vt nõ stes ipse à partibus rei; neque in tuum caput deriues eius crimina. Græcum* μεσίτης *mirè exprimit, quod erat mentis apostolicæ. Syrum autem vocabulum metsaaio perinde est, ac si dicas* מצעיא *dimidiatum factum. Christus dominus ita tuitus est patris iustitiam, mortem geminã ob transgressionem ab Adamo exigentis; vt non nimium vrgeret partes seueritatis: sed vicissim egit fortissimè caussam suorũ clientum; seq; verè medium constituit inter periculũ nostrum, & patris offensam iustitiam, hãc adserendo, illud eleuando; quod patris erat seruans, & quod generi humano necessarium, præstans.*

Testamenti noui. *Prius non erat verum, sed veri symbolum testamenti, quod habet verum propitiatorium, & propitiationem, summum, nempe, pontificem profundentem sanguinem suum, quo omnia in oblivionem abirent crimina. Intelligit autẽ pactũ,*

*accom-*

*accommodarent. Vides, Christiane, quale sis nactus beneficium? quod non habeat speciem, sed rem; quod non sit in voto, sed in vsu. Verùm quòmodo ictum illud fuit.*

Vt morte sua contingeret redemptio. *Non ignorabat aliter fieri non posse, nisi moreretur. Fili mi (aiebat pater) si me his parcere velis, qui tam grauiter peccarunt: quia legem latam rescindere nolo; opus est morte, & sanguine. Paulus autem vsus voce compositæ ἀπολυτρωσις, indicat nobis redimendis non mediocre pretium fuisse satis: sed filium summo iure ad teruncium vsque cuncta persoluisse; vt omnis abesset dè cætero metus, & nudo (quod aiunt) capite animos, spesq; nostras erigeremus in Deum. Et quibus id procuratum?*

Iis, qui transgressi erant testamentum primum. *Quid miraris, Iudeæ, quid morte Christi turbaris? Condonauit peccata etiam iis, qui legem, & pactum prius violarant. Lex enim tam erat infirma, vt in se commissa donare non posset: nouum autem & suos expiat testamentum, & veteris legis cultores; quæ in carne occupata, ad conscientiæ emũdationem suis tam multis expiationibus peruenire nõ poterat, ostendens venturum, quiid faceret. Veteres ergo peccatorum, & naturæ debitorum non aliunde, quàm Christiani, recipiebant condonationem. Quorsum?*

Vt acciperent promissum. *Antè erat pactum in spe, quàm in re. Sedebant in limbo patrum, in carceribus inferni: per Christum autem erant accepturi hæreditatem æternam. Qui? Non omnes, sed per-*

Ad verb. secularem, *pauci.*

Qui vocati fuerunt ad hæreditatem æternam.

nam. *Qui eligenti, prædestinanti, vocanti Deo se accommodassent; quorum mens (vt ita loquar) è meliore luto formata fuisset, qui Dei mandata seruassent, & in eum speraſſent: quorum nunquàm non rara copia. Habemus, quod nos vsque, et vsq; inflamare debet studio vicissim placendi per omnia Christo.*

Crepusculo feriæ quintæ secretorum.

*Sic dictus est ille dies, quòd Christus horrenda tunc mysteria, & ipsum sacerdotium instituit, arozo enim Syris propriè dictum sacramẽtum, vti dè suis septem augustissimis Christiani loquuntur, significat. Notandum istud igitur, propter hæreticorum prophanationem, qui arcana omnia, quæ horrent ipsi quoque cœlestes angeli, deducunt in omnium notitiam, etiã infidelium.* ארזא

| *Syr.* | Vulg. |
|---|---|
| Vbi namque testamentum existit, mors eius nuntiatur, qui id fecit. Super mortuo autem duntaxat ratum fit: eò quòd, quandiu is viuit, qui ipsum fecit, nemo illo compelli valet. | *Vbi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentũ enim in mortuis confirmatũ est: alioquin nondũ valet, dum viuit, qui testatus est.* |

VBi namque testamentum. *Qui huic epistolæ sunt iniquiores, aiũt Paulum abuti græcæ vocis ambiguitate: quòd in syro, & hebræo vocabulo cùm fieri non possit; reliquum est, vt è Paulinis litteris*

Adverb. nõ est necessitatis.

litteris hanc expungamus. Quócirca demonstrandum est neque Paulum rhetorum more ludere; neque huic officere scripturæ, quicquid illis visum est comminisci. Principiò igitur, quod negant berith pro ultimæ voluntatis indicio vnquàm accipi, probare nõ possum: cùm & rem fœdere firmatam, ipsumq; fœdus, & pacti quoque symbolum denotet. Cuius rei caput geneseos nonum luculentum præbet testimonium, vbi Deus pollicitus Noacho nunquàm futurum, vt mundus pereat diluuio, dicit se demonstraturum iridem, tanquàm fœderis indicium; & vocat berith, quo tãquàm scriptura Dei nobis volũtas designatur; vt non procul abludatur à morientium voluntate chartis illita. Deinde ex sententia doctissimorum ea vox à bere ducit originem, quod succidere, amputare, & metaphoricôs etiã mori significat. Verùm istis impræsentiarũ vt supersedeamus; dicendũ est Paulum scripsisse lingua Christi ætate peruulgata Syrorum, quæ græcas, & hebræas voces plurimas in suam recepit ciuitatem, adeoq; hoc loco eandem, quam habet Lucas, vocem vsurpasse: quæ res exsuflat aduersariorum nugamentum. Si autem & illud refellere oporteat, quod adserũt Paulum ex amphibologia sophisticum argumentum nectere, quasi pactum nullum sit ratum futurum, nisi mors cuiusquã accedat, quia testamẽtum morientium, quándiu superstites sunt, vim non obtinet: dicendum est eum hac in disputatione non respicere propriè, vel maximè ad vltimæ voluntatis testationem, sed vniuersim ad omnem διαθήκην. Nam siue agas de testamento, vt ad mortuos pertineat, siue dè fœdere, quod ictum est inter Deum, & nos: vbique requiritur mors. Nam

ברית

ברית

נרא

διαθήκης, דיתקא deiattiki.

sic fuit

*sic fuit à nobis lex violata: vt fœdus inter Deum iratum peccato, & reum Adamum, sine morte eius, qui conciliaret illud, iniri nulla ratione posset. Tu, Christe, vis mediatorem inter Deum, & genus humanum agere? vis eum reddere propitium, iustissimè iratum tuis clientibus? Morte opus est, & quidẽ tua: sanguine aperiendum est iter in cœlum. Paulus igitur hæret in disputatione de fœdere propitiatorio inter Deum, & homines. Vis de pacto intelligere? Nemo poterat tam perditos redimere, nisi mori vellet; non poterat siue pactum, siue testamentum fieri inter Deum iratum, & reos homines, nisi illius morte, qui conderêt illud. Hoc qui intellexerit, non (arbitror) leue iudicabit argumentum Pauli. Si enim testamentum nullum est ratum, sine morte: quid mirũ, non antè percussum hoc in negotio fœdus, quàm moreretur is, vel qui debebat, vel qui caussam in se nostram receperat? Sed videte, quàm sit ingeniosa nequitia. Cùm enim, quæ dicta sunt, inficiari non possint: ex ijs, quæ sequuntur, probare nituntur Paulum agere de mortuorum voluntate, quod de additione loquatur hæreditatis, similem locũ expromentes è Galat. cap. 3. Equidem quòd ad me attinet, non inuitus id totum illis concessero. Agat Apostolus de mortuario testamento: vt lubet. Faciat mentionem adeundæ hæreditatis; esto: ergo dum versatur inter has promissiones, agit re vera de vulgari testamento. Et hoc habeto. At mox de fœdere, & pacto sermonem iniicit,* Neque illud primũ fuit sine sanguine. *Nec istud abnuo, si modo non subtrahas, quod addẽdũ est, Omne pactũ, quod vnquàm fuit inter Deũ, & genus humanum, vel eius partem aliquã, ita pacti*

*rationem*

rationem habuisse, vt simul illud alterum testamẽtum genus complecteretur. Primum Deo cum hominibus videtur pactũ fuisse in illa promissione facta Noacho, nè repetito mundus absorberetur diluuio. Ibi non abfuit, vt dictum est, vltimæ voluntatis significatio. Alterum percussit Deus cum Abrahamo, vt Paulus docet, Ambula corã me, & esto, &c. An id mortuarium non fuit? Tertium ictum est cum Iudæis: cui successit postremum, de quo agimus, nouũ testamẽtũ. Nec vnquam pactus est Deus cum vllo vel homine, vel populo, quin simul ageret, si vellent, de adeunda quandoque hæreditate cœlesti. Promissio autem hæreditatis quid est aliud, quàm testamentum? Et in Abrahamo Paulus id apertè docet, scribens Galatis, quòd is patriarcha cum tota posteritate futurus esset particeps fœlicitatis æternæ: in nouo autem tam id luculenter exprimitur, vt in demonstrando laber foret inutilis. Liquet igitur hoc pactum, & inter Deum, ac genus hominum conciliationem, & propitiationem, habere mortuarium testamentum.

Genes. 20. Galat. 3. Exodi. 24.

Galat. 3.

Mors eius nuntiatur. φέρεσθαι. Nisi eius, qui testamentum condidit, mors nuntietur, tantisper dum viuit mutare, & abrogare potest.

Eò quòd quandiu, &c. Habeas licet tabulas, codicillos: nihil tamẽ iuuãt, priùsquam defungatur, qui conscripsit. Et sic se res habet in testamento Dei. Vndè liquet duplici nomine Christi mortem fuisse necessariam. Hæc autem omnia ad erigẽdos Hebræos pertinebant: nè erubescerent Christi mortem, sine qua cœlestem hæreditatem adire non possent. His absolutis, Apostolus rem in veteri testamento sic se habuisse

*buisse docebit; vt simile quippiam in noua quoque lege præstandum esse portenderet.*

Syr.

Quapropter neq; primum confirmatũ est absq; cruore. Cùm enim præceptũ esset omne mandatum à Mose toti populo in lege, accepit Moses cruorem vitulæ, & aquam cum lana coccinea, & hyssopũ; & aspersit librum, & totum populum; dixitque eis: Iste est cruor testamenti, mandati à Deo. Item tabernaculum, & cuncta vasa eiꝰ ministratoria cruore aspersit: eò quòd vniuersa cruore hoc in lege mundentur; & absque cruoris effusione nõ fit remissio.

Vulg.

*Vndè nec primũ quidem sine sanguine dedicatum est. Lecto enim omni mãdato legis à Mose vniuerso populo, accipiens sanguinẽ vitulorum, & hircorum, cum aqua, et lana coccinea, & hyssopo; ipsum quoque librum, & omnem populũ aspersit dicens: Hic sanguis testamẽti, quod mãdauit ad vos Deus. Etiam tabernaculũ, & omnia vasa ministerij sanguine similiter aspersit. Et omnia penè in sanguine secundum legem mandantur; & sine sanguinis effusione nõ fit remissio*

QVapropter neque primum, &c. *Noster habet* dedicatũ: *Græci* ἐγκεκαίνισται, *quod varie a variis accipitur. Noster autem Syrus lucẽ inferens. Primum, inquit, testamentum robur non obtinuit, nisi cùm sanguis accessit. Est enim idem, quod superiùs habuimus:* Super morte ratum fit: *meschettharro. Sed ibi alienus, & quidem brutorum animalium sanguis. Non enim sola vitula, sed plures vnà victimæ cæsæ sunt: qua in re tùm docebatur minùs valere vitulinum cruorem, & expectandum filij Dei sanguinem.*

Exod. 24.

משחרא

Cùm enim præceptum esset, &c. *Non tantùm præceptum; sed & scriptum, & lectum.*

In lege. καὶὰ νόμον. *Non erant ibi omnia Dei præcepta; sed ea duntaxat, quæ secundum legẽ, aiunt quidam.*

Cruorem vitulæ. μόσχον *habent Græci: noster, & Syrus singulariter. Sed est enallage numeri. Nam constat plures iugulatas pecudes.*

Et aquam cum lana coccinea. *Quia hæc non habentur eodem loco, placet quibusdam Apostolum ad diuersa loca respicere: sed magis consentaneum est veterum theologorum intelligentiæ, Paulum istud habere vel per Spiritum sanctum, vel ex traditione. Hæc enim commemorat non de rerum ipsarum vsu; sed de eo, quod factum est, dum lex confirmabatur. Vt palam sit aquam non esse eam, de qua in leprosorum negotio, vel in cineritia, quæ quotannis fiebat, purgatione fit sermo. Miscuit autem Moses aquã cruori, quòd is concretus sparsilis non sit. Hæc autem vniuersa maiores nostri passionis, mortis, & sanguinis, nostriq; adeò baptismi typos fuisse aiunt.*

Numer. 19. Leuitic. 14

Et hy-

Et hyssopum. *Hæc enim aspersioni percommoda. Seruit autem mysterio, propter feruorẽ, qui sancti Spiritus ardẽtissimos æstus, quibus igne scunt piorum mentes, denotat.*

Et aspersit librum. *Hebræi interpretes hunc librum geneſim intelligũt; qui vtrùm ea scriptus fuerit ætate, incertum est: & si quis diligenter capit. 24. Exod. perpenderit, deprehendet de geneſi accipi non posse.*

Totum populum. *Non pertingebat quidem cruor ad omnes (Qui enim tantillo cruore tantus lustraretur exercitus?) sed cùm proximos attingeret, vim ad omnes exerebat: sicuti sacerdotis christiani à paucis audita, & intellectâ benedictio prodest etiã procul dissitis.*

Iste est cruor, &c. *Isto cruore Deus inter se, ac vos suum testamentum obsignat; vt illi in posterum sitis obstricti. Designabat autem cruor mortem testatoris. Sicut hoc testamentum non dat iam in manibus; sed procul adhùc absentem promittit hæreditatem: sic iste cruor mortem Christi futuram ostendit, qua nouum confirmabitur testamentum.*

Item tabernaculum, &c. *Hac aspersione cuncta initiabantur, & consecrabantur Deo.*

Eò quòd vniuersa cruore, &c. καὶ σχεδον habent Græci. *propemodũ, ferè; & restringunt nonnulli ad superficiẽ tenus: credibiliùs tamen priores. Vniuersa enim eo ritu ferè mundabantur: nisi quòd quædam per preces, per aquam, & similia purgabantur.*

Et absque cruoris effusione, &c. *Remittebatur quidèm & in lege peccata, propter Christum, & fundendi olim sanguinis efficaciam: debuit nihilóminus*

*minus adesse sanguis, propter mysterium.*

| *Syr.* | Vulg. |
| --- | --- |
| Est enim necesse, vt hæc, quæ similitudo sunt cœlestiũ, his mundentur: ipsa autẽ cœlestia, sacrificiis iis melioribus. Nõ enim manibus fuit facta domus sanctuarii, quam intrauit Christus, quæ esset similitudo veræ, sed cœlũ; vt conspiciatur corã vultu Dei pro nobis; neque vt offerat sese tẽporibus multis; vt facit princeps sacerdotum; & intrat omni anno domum sanctuarii, cũ cruore nõ suo. Alioqui debebat tẽporibus multis pati ab initio mundi. Nũc autẽ in fine mũdi vno tẽpore obtulit sese per sacrificiũ | *Necesse est ergo exemplaria quidem cœlestium his mundari; ipsa autem cœlestia melioribus hostijs, quàm istis. Nõ enim in manufacta sancta Iesus introiuit, exemplaria verorum; sed in ipsum cœlum; vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. Neque vt sæpè offerat semetipsum; quemadmodum põtifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno. Alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi. Nunc autem semèl in cõsummatione seculorum,* |

suum,

suũ vt aboleret pecca tũ. Et quẽadmodũm statutum est filiis hominum, vt vno tẽpore moriantur; & post mortem eorũ, iudicium: sic & Christus vno tempore oblatus est, & in seipso sacrificauit peccatũ multorum. Secũdò autem absque peccatis conspicietur, in salutem eorum, qui respiciũt eum.

*lorum, ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit. Et quemadmodùm statutum est hominibus semèl mori; post hoc autem iudicium: sic & Christus semèl oblatus est, ad multorum exhaurienda peccata; secundò sine peccato apparebit expectantibus se in salutem.*

*TAndèm peroraturus istam veteris, ac noui sacerdotis collationẽ, Apostolus omnia committit; & confert in cumulum locum, tempus, energiam: denique metũ Iudæis incutit, nisi plena fide in Christum recumbant, venturi iudicis, tametsi dissimulãter, nè nimiùm percelleret.*

Est enim necesse, vt hæc, &c. *Nemo miretur omnia cruore sanctificata. Debuit enim totum testamentum vetus consummari, & emundari rationibus consentaneis vmbris. Lucas vocat pluraliter ὑποδείγματα, quæ noster interpres exemplaria conuenienter expressit. Hìc autem quidam vsque adeò temerarij inueniuntur, vt Paulo moueant litem, quasi aliquid Origenianũ dicat. Notum est enim ascriptum*

*Origeni, quod putarit fore, vt aliquando cacodæmõnes seruarentur, & quòd in cœlestibus spiritibus crimina, ob quæ plectantur, non desint. Tale igitur aliquid hoc loco se audire putant, cùm dicitur legalia, et cœlestia sibi consentaneis esse victimis expianda. Sed quis non execretur tantam blasphemiam hominum, Pauli mentem, quia non adsequantur, alio detorquẽtium? Audiuimus omnia legalia iussa à Deo fieri ad formam exhibitam in monte, & cœleste prototypum: vndè apparet legalia cuncta, quantúmvis obtutu speciosa, typos, vmbrasq; fuisse; quibus seruiles, & stupidæ Iudæorum mentes ad Dei cultum pertraherẽtur. Congruebat igitur corporea, & typicanõ dissimilibus ritibus initiari. Res autem christianæ, & nostra sacramenta (hæc enim maiores nostri nomine cœlestium interpretantur) spectant ea, quæ animorũ sunt, & in cœlo versantur; atque adeò sunt cœlũ ipsum, & cœlestium imagines. Has enim caussas Patres adferunt huius appellationis: tamen est prætẽrea quiddam in his cœlestibus intelligendum. Vt enim dictum est, nouum testamentum non terminatur hoc mundo: quia Christianorum sanctum sanctorum est ipsum cœlum, summus põtifex, Christus; introitus in sanctum sanctorum est præsentia, & sessio eius ad dexteram patris. Vndè constat nostra esse connectenda cum ijs, quæ sunt in cœlo: & legalia figuram gerere cũm nostrorum, quæ ex parte habent veritatem; tũm eorum, quæ sunt in cœlo, dicẽda sunt. Sic Dionysius in Eccle. Hier. dicit legem clariùs Ecclesiam, res autem cœlestes obscuriùs figurasse: nostrã autem hierarchiam delineare quoque cœlestem, sed in immensum euidentiùs; interìm rem ipsam habere,*

*& in*

*& in sacramentis obtinere gratiam.*

Ipsa autem cœlestia sacrificijs ijs melioribus. *Quærunt interpretes, quo pacto emundentur cœlestia, si cœlum ipsum denotent; & quæ sint ista potiora sacrificia. Primum autem agnoscunt omnes enallagen numeri in dictione sacrificiorum, quæ sunt passio, & sacrificium Christi. Cœlum autem nobis priùs infensum cõciliatur, pater iratus, angeli ob iniuriam conditoris hostes: crucis autem hostia cõuersa sunt omnia. Sic Chrysostomus cum suis, verissimè quidem; tám tsi hoc etiam Paulum voluisse videri queat. Typici sacerdotes cúm suo introitu, tùm suis asperſionibus exprimebant id, quod factum est per Christi in cœlum introitum. Dum enim aquã spargerent, baptismum nostrum, dum sanguinem, Christum nos eòdem suo sanguine introducturum significabant: is autem ingressus benignos dedit angelos pacis; supernaq;, & inferna reconciliauit.*

Non enim manibus fuit facta domus, &c. *Iam destinata vtriusque pontificatus incipit committere, & interpretari, quod octauo capite diximus,*

Quæ esset similitudo veræ. *Si enim Christi domus sanctuarij manibus effícta, tùm ipsa quoque fuisset vmbra præstantioris: at omissis rebus temporarijs, in ipsum velum ingressus est; in quo cõsistit, vt pontifex in suo sanctuario.*

Vt conspiciatur coram vultu Dei. *Pontifex ingressus in sanctum sanctorum, censebatur astare in conspectu Dei. Nam támetsi omnes, qui vel Mosis tabernaculum, vel templum Solomonis intrabant, censerentur venire sub conspectum Dei, cuius gloria totam domum non semèl impleuerat: dum tamen*

pōtifex illud religiosissimū adytū ingrederetur, propriè numinis conspectū subire credebatur. Huius autem figuræ veritatem præcipuè Christus impleuit suo in cœlum introitu.

Pro nobis. Vt enim sacerdos Mosaicus id agebat, Deum vt redderet populo propitium: ad eūdem modum & Christus. Quo pacto? Nouis precationibus, & additamento quopiam ad perpessionem? Minimè gentium. Non orat, nisi merito, & sufficientissima satisfactione; qua præditus, interpellat pro nobis, dum singulis momentis vel donat peccata, vel erogat gratiam.

Adverb. animā suā.

Nèque vt offerat sese temporibus multis. Occurrit tacitæ quæstioni. Nè quis noua in cœlo sacrificia cogitet: vno sacrificio vniuersa sunt expleta. Et hìc rursum deprimit sacrificiū legis veteris, quod repetebatur singulis annis.

Alioqui debebat temporibus multis pati, &c. Nónne huic loco repugnat, quod ait Ioannes, agnum immolatum ab initio mundi? Minimè: quia Patres remissionem peccatorum non aliunde, quàm à Christi perpessione acceperunt. Nostri autem serpentes ádmodum callidi, conantur hìnc efficere, nullum catholicis reliquum esse sacrificium: quia mori, pati, sacrificare, offerre, Paulo idem sunt. Nam (inquiunt) semèl passus est, ac se obtulit; seq; próinde sacrificauit Christus: neque denuò immolatur, moritur, aut offertur. Hæc illi prolixissimè; nihilo rectiùs colligentes, quàm si dicam: Christus iussit apostolos euangelium annuntiare omni creaturæ, id est, omnibus hominibus: ergo præter homines, nulla est creatura. Quócirca tametsi Christi perpessio cruenta fuerit: non

*rit: non est proptérea consequens, nullum supereſſe ſacrificium. Immò ſi ſecundum hunc locum res decernatur; ipſa paſsio, & crux non est futura ſacrificium verum, ſcilicet figuratum: támetſi ita vocetur, quia ea, quæ erant ſcopus ſacrificiorum, præſtabat; & cætera omnia hinc energiam mutuabantur. Liceret tamen cõcedere vnicum eſſe Chriſti ſacrificium: quia Paulus nõ loquitur dè ſacrificio participatiuo, quod homini vim crucis impartiatur; ſed dè eo, quod effecit, ac promeruit, vt indè hauriant vniuerſa. Conſtat igitur vanum eſſe, quod dicunt paſsionem, & ſacrificium eſſe prorſus eadem.*

Nunc autem in fine mundi vno tempore, *id eſt, ſemèl. Omnia ſunt emphatica. Vltimo tempore, quod iam indè à Chriſti morte vſque ad eius fluit alterum aducntum, quod excipietur beato immortalitatis ſeculo.*

Obtulit ſeſe per ſacrificium ſuum. *Notat peculiarem ritum, & ceremoniam oblationis Chriſti. Iſtud enim pronomen non tantùm denotat Chriſtum haud alieno ſanguine, & diuerſa à ſeſe vſum victima, ſed peculiarem offerendi rationem: quia non erat rotundum, & notæ definitionis ſacrificium; licèt hoc nomin ſortiatur, quia id perficeret, quod intendebat.*

Vt aboleret peccatum. *Dictum eſt ad caput 2. vocem ſyram ſignificare talem quaſſationem, & violentiam illatam alicui, poſt quam vix poſsit mẽbrum vllum mouere. Ita Chriſtus technis, inſidiiſq;, ac viribus mortẽ ſpoliauit; vt nè hiſcere quidem valeat aduerſus veros Chriſti ſectatores. Hic multa dicuntur à Patribus, cur in fine mundi hoc potiſsimùm*

*sit factum, aiuntq; omnes ita morbi rationem postulasse. Actũ est bellis, diluuijs, incendijs, philosophia, lege, & alijs innumeris beneficijs: quibus tandèm absumptis, nec restituta sanitate; necessarius fuit filij Dei aduentus.*

Et quemadmodum statutum est filijs hominum, &c. *Dubitant nonnulli vtrùm hoc dicatur, Homines per legis primæ violationẽ addicti sunt ad mortem: an simpliciter, Necesse est quodam decreto Dei mori. Vtraque sententia est vera; sola posterior germana. Videtur itaque Paulus istud adferre, vt crucis ignominiã diminuat. Præclara quidèm adfers, Paule: sed quarè non mansit in vita noster sacerdos? Quodã ductu, & lege naturæ, vti omnes homines, & ipse naturæ obsecutus necessitati, quã susceperat; mori debuit.*

Sic & Christus vno tempore oblatus est. *Nõ simpliciter est mortuus, sed per modum sacrificij.*

Et in seipso sacrificauit peccatum multorum. *Alludit ad ritum veteris sacerdotis, qui sistens Deo victimam, vel hircum emissarium, manus imponebat capiti; plebis enumerans omnia peccata, & hostiæ quodam modo imponens. Ita Christus nostrũ omnium iniquitates in se suscepit; vt penitùs expiaret. Dicitur ergo sacrificasse peccatum: quia per sacrificium, veluti numerato pretio, impetrauit remissionem peccatorum. Et sic apparet, quæ sit intelligentia verbi græci ἀνενεγκεῖν, quod accipiendũ est de tali sacrificatione (vt ita loquar) qua vniuersa peccata remouentur, ac tolluntur.*

Secundò autem absque peccatis, &c. *Redibit, non iudicandus; sed iudex: non ampliùs peccata mundi*

*mundi in se recepturus; sed grauiter in omnes ingratos, & immorigeros animaduersurus. Quapropter vos, Hebræi, ad hunc confugite, eiusq; sacrificij participes effici satagite; quod alijs in perniciem, alijs qui fide, spe, & charitate ad ipsum confugiunt, cedit in salutem.*

## CAPVT DECIMVM.

*CAPVT istud in primis germanã aliquot locorum interpretationem afferet; deinde nõ leuiter hæreticorum strophas elidet; ac postremò mirũ in modum ad perdurandum in virtutum curriculo, vitiaq; detestanda inflammabit. Quòd si quid his pro argumẽto sit adijciendum: pergit Apostolus ostendere vniuersa legis antiquæ infirma fuisse, legem autem gratiæ cuncta præstare, quæ apud Mosen præfigurata, non exhibita fuêre. Hinc digreditur ad Christianorum exhortationem, vt memores bonorum suorum, in fide perseuerent: simul & timorem incutit, quòd sit periculosissimum, & multò sceleratius, post acceptam gratiã iterum peccare. His addit Hebræorum quoddam encomium, quòd eãtenus fortiter fecissent. Nè tamen ea laus ad arrogantiam deuergeret, solicitos esse præcipit, ob instantem iudicij diem: qui dum expectatur, interea patienter omnia sunt aduersa toleranda.*

Domi-

## Dominica tertia post resurrectionem.

*Syr.*

In lege enim fuit vmbra futurorũ bonorum, non ipsæ res. Quapropter cum eadem sacrificia quotannis offerrẽtur; nequiuerũt perficere ea offerentes. Alioquin si perfeciſſent: vtique iã quieuiſſent ab oblationibus ſuis; eò quòd per peccata cõſcientię ipſorum non fuiſſent ampliùs exagitatæ ea emundatę. Vno tempore fuiſſent emũdatæ. Atqui ipſis ſacrificiis peccata ſua quotannis cõmemorant. Nõ enim valet cruor taurorũ, & hircorum emũdare peccata. Quarè in troiens mundum dicit,

Vel ij ſcilicet homines emundati.

Vulg.

*Vmbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipſam imaginẽ rerum; per ſingulos annos eiſdem ipſis hoſtiis, quas offerũt indeſinenter, nunquàm poteſt accedẽtes perfectos reddere: alioquin ceſſaſſent offerri; ideò quòd nullam haberent vltrà conſcientiam peccati cultores ſemèl mundati: ſed in ipſis commemoratio peccatorum per ſingulos annos fit. Impoſsibile enim eſt ſanguine taurorũ, & hircorum auferri peccata. Ideò ingrediens mun-*

cit, Sacrificia, & oblationes noluisti; corpore autē me induisti: & holocautomata, & pro peccatis nō petiuisti, tunc dixi, Ecce venio. In capite scripturarum scriptū est super me, vt faciam voluntatē tuā, Deus.

*mundum dicit, Hostiam, & oblationē noluisti, corpus autē aptasti mihi: holocautomata, & pro peccato non tibi placuerunt; tunc dixi, Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, vt faciam, Deus, voluntatem tuam.*

*OBscurum esse non potest, quid his verbis Apostolus sibi velit; nimirum, legem tantùm habuisse obscurissimam præfigurationem legis euangelicæ. Nam si aliundè Iudæi, quàm ex Christi merito sperare, & expectare salutem poterāt; id futurum videbatur potissimùm ex sacrificijs: sed ea parte nihil effectum fuit. Ac proptérea perperàm agere demonstrat eos, pertinaci legis studio sacrificia post euangelium retentantes, quæ non tunc solùm, sed longè quoque ántea Deo displicuerint.*

In lege enim fuit vmbra, &c. *Res effectas per Christi perpessionē nō habuit lex; sed solùm indicauit. Futura autem bona vocantur: quia tùm fuerint præfigurata, non præstita, cùm nécdum Christus obijsset mortē, cùm adhùc hauiretur sanctimonia per longissimum respectum ad futurum crucis sacrificium. Commentaria Græcorum legi σκιάν, euangelio εἰκόνα,*

εἰκόνα, cœlo ἀλήθειαν tribuũt; aiuntq; duci metaphoram à pictoribus, qui carbone prius deliniant, quàm fucis, pigmentisq; spatia compleãt. Ita lex, quæ gratiæ, patriæq; cœlestis erant, adumbrauit: res autem nostræ nobilissimis veluti coloribus ipsam perfectionem repræsentant. Quia dum corpus aspergitur, inungitur, & pascitur, gratia quoddã simulachrum oculis subijcitur, qua interiùs anima imbuitur. Habent igitur legalia omnia in christianis rebus antitypa; vt & his respondent cœlestia.

Nazanzen. oratione de Pascha & dè fuga sua & ad catechumenos.

Quapropter cùm eadem sacrificia quotannis; &c. Rursus hîc est τελειῶσαι, quod significat per sacramenta, & sacrificia reddere hominem Deo gratum, & expiare. Nam futurorum bonorum tametsi nomine superiùs partim ea, quæ fiunt nunc in Ecclesia; partim quæ sperantur in cœlis, intellexerit: maximè tamen agit de remissione peccatorum, iustitia, & donis Dei; quæ lex, si eam metiamur suo tempore, præstare non potuit. Alludit autem ad solenne sacrificium summi sacerdotis: quod si expiasset summos sacerdotes, vnà cum plebe; quid opus anniuersaria repetitione.

Eò quòd conscientiæ ipsorum non fuissent, &c. Trãslatum id est ab impetu fluminum; vt peccatorum demonstretur ingẽs miseria, quorum intimo cruciatu nihil intolerabilius, & commeantium culparum fluxu, ac refluxu nihil turbidius.

Quibus eæ vno tempore. Semèl enim vno sacrificio, si lex quicquam valuisset, pacatæ, atque in tranquillo constitutæ fuissent, nimirum, conscientiæ. Multa autem hîc subnotanda sunt, vt Apostoli ratiocinatio planiùs explicetur. Quid enim, si quis dicat in

cat in annuo sacrificio annua quoque dunt taxat peccata commemorata? Verùm si, quod diximus, fixum maneat, Paulum hîc spectare oblationem summi sacerdotis, dè qua agitur Leuitici cap. 16. perspicuum fiet non tantùm propè præteriti anni, sed totius vitæ, immò totius synagogæ censum factum esse culparũ. Hûc adde loqui Apostolum dè tali expiatione, qua insecutura peccata delerentur; quæ certè à Pontifice commemorari non poterant: nè & illud adferã, quod mox dicet, tunc non tam remissa, quàm agnita fuisse peccata.

Hoc præterea loco vtriusque linguæ interpretes hunc sibiipsis nodum opponunt, quod pessimè vrit nostros aduersarios. Nónne & nos Christiani post crucis sacrificium, singulis diebus offerimus? Quorsum ergo id in iudaicis damnat Paulus sacrificijs: si ob hoc ipsum nostri sacrificij nihilo sit conditio deterior? Respondent igitur, nequaquam hîc incruenta mysteria Christianorum, & sacrificia repudiari. Nã in veteri lege quotannis alius, & alius agnus offerebatur, nec vllus alteri poterat vllam suppeditare facultatem; sed quisq, seorsum constituebat sacrificiũ, prout species rei postulabat: in noua autem lege oblatus semèl agnus in cruce, dat vim nostris omnibus sacrificijs, in quibus idem ille, licèt mille locis, agnus offertur, vndè hauriunt & quidèm tantùm, quantũ merentur, & eliciunt, qui fide, & deuotione cooperãtur; quia vis nostrorum sacrificiorum etiam aliunde deriuatur. Heramus autem partim quia subinde relabimur: partim quia id à Christo iussi sumus facere & commemoratio tantæ rei semèl gestæ sæpiùs fieri debet; partim ob alia. Sed hîc agitur dè expiatione.

*tione. At istud argumentum nécdum absoluit Apostolus.*

Atquì ipsis sacrificijs peccata sua, &c. *Tantùm abest, vt vetera sacrificia quicquam cõtulerint: vt solùm testentur homines esse peccatores. Atque hìc rursum insurgunt aduersarij, ea, quæ de veteri lege, & illius dicta sunt sacrificijs, ad nostrum sacrificium detorquentes, vt nefas esse doceant in re diuina sic peccatorum reminisci, vt indè expiari credantur. Neque negamus in nostro sacrificio peccata nostra nos, sacerdotem, plebemq;, iuxta Damasi constitutionem, confiteri; multasque preces eò dem spectare. Quid indè confictes, hæretice? Nugaberis nos insimulare crucẽ Seruatoris imbecillitatis alicuius, quasi vniuersis criminibus eluendis par esse non posit. Immò iam sæpè diximus nostrum sacrificium aliud nihil, quàm crucis energiam diluentis omnia, cuius reliqua nostra sacramenta sunt instrumẽta, in nos deriuare. Et cùm tu ipse nobiscum idem lauacro fieri doceas; cùm eundem effectum scelerate fidei tuæ, ac cænulæ mendaciter adscribas: tùne es impudens, qui idem vrgeas ad nostri sacrificij contumeliam, quod post totius antiquitatis suffragia illi non tam deferimus, quàm Christo donatum profitemur? Præsertìm cùm remistam non metiamur ceremonia, & sacerdotis actione, sed Christi merito, non illibenter, quod impingunt, agnituri vitium, si illud excluderemus.*

Non enim valet cruor taurorum, &c. *Est synecdoche. Non enim tãtùm dè cruore loquitur, sed carnibus, & integris victimarum cadaueribus, quæ quantumcunque magna, & crassa, non poterant expiare.*

piare. Nec enim anima corporis expers, talibus affitur: sed fide, & Christi gratia, quæ sanctificet, opus est. Est autem probatio eius, quod dixit mirum non esse, quòd peccata commemorarint.

Quarè introiens mundum, dicit: *Hîc videmus & hæreticis, & Hebræis interpretibus, ad Dauidem psalmum 39. trahentibus, præscriptum ab Apostolo; nec de alio, quàm de Christo intelligendum, qui immunis à proprys, fratrum suorum in sese peccata recepit. Habet enim ille psalmus Dei patris, & ipsius obedientissimi filij dialogismum, vti ad caput primum diximus. Ibi enim pater filium introducebat in orbem: hîc autem ingreditur ipse filius. Vt sit istius apostolicæ citationis hæc sententia. Cùm eo psalmo Dauid Christum iam iam adsumpturum carnem describit, huiusmodi verbis dè ipso loquitur.*

Sacrificia, & oblationes noluisti. *Hoc verbũ non quãlibet voluntatem, sed excellentissimã significat; qua vult se dignissima, & hominibus saluberrima, qualem interdum in Paulo videre est, dum insigni voto sibi omnes similes esse cupiebat; cùm interea alio quodam modo vellet iuniores viduas nubere. Illa igitur præstantissima voluntate noluisti, Deus: sed dumtaxat eâdem, qua & repudium ijsdẽ permisisti, qui non minùs in odio habitas vxores sauijssent, quã erant in idololatriam procliues. Quærunt autem veteres penè omnes interpretes, cur è tam multis locis idem agentibus, hunc potissimùm delegerit. Et quidem recentiores istam adsignant caussam, núllibi tã exertè fieri mentionem peccatorum, de quorum hîc remissione disputabat Apostolus, adserentes Deum in eo psalmo non propter naturam sacrificiorum,* Ps. 39. & 50 Esai. 1. Ierem. 7. Amos. 5. Mich. 6. Malach. 1. & 3.

sed propter peccata sic locutum: veteres autem secùs statuunt. Nam alia quoque scripturæ loca simpliciter aiunt Deum abominari sacrificia: quæ tulerit quidèm, sed amarit nunquam. Interìm Paulus, nè quid aliud commentaremur, eam studio videtur attulisse scripturã, quæ solius diuinæ volũtatis istud esse doceret, vt non habita offerentium ratione, iuberet antiqua sacrificia facessere.

Corpore autem me induisti. *Hìc est quæstio, támetsi propriè non huius loci, quómodo Paulus ita verterit, quod ad verbum est,* Aures autem perforasti mihi. *Septuaginta, quos Lucas est secutus, vt non semper ad verbum reddunt hebræa, sic in isto psálmo nonnihil lucis prophetiæ adferre voluerunt:* σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι. *Paulus autem in alijs eos imitatus, verbum perficiendi mutauit verbo induendi, nec otiosè. Sed quarè corpus pro auribus redditũ? Dauid volebat per aures indicare, Dei filium morigerum patri esse, ac paratum ad perpetiendum pro humano genere. Nam qui obedit, dicitur aures accommodare. Nec immeritò videtur quibusdam respexisse ad legalem consuetudinem perforandi subula aurem serui, in signũ æternæ seruitutis. Quasi dicat Christus: Ego, pater, æternum tibi seruiam. Septuaginta autem intelligẽtes prophetiam ad Christi incarnationem, prædicationem, & crucifixionem pertinere, & aures pro tota œconomia synecdochicôs accipiendas: dixerunt Deũ filio corpus aptauisse. Nè quis verò sic ad perpessionẽ ista referret, vt de humanitatis mysterio quicquam significari negaret: Paulus reddit:* vestiuisti me: *quod propriè ad humanæ naturæ adsumptionem referendum indicat; quamuis eadem ad perpessionem*

toleran-

*tolerandam institueretur.*

Et holocautomata. *Sic propriè vocantur sacrificia, quæ præter mactationem, & impositionem in altare, habent crematione̅m; vt nihil cedat in vsum offerentium. Philo autem libro de sacrificalibus, fines huius generis hostiarum tradẽs, ait tùm offerri Deo holocaustum, quandò quis non singulare aliquod acceptum beneficium, sed maximi Dei verendam maiestatem, numenq; considerans, vult eum summo honore afficere, quem pro dignitate à mortalibus, conscius ipse suæ, & cæterorũ imbecillitatis, coli non posse persuasum habet. Pro peccatis autem vocant sacrificia cataah, Syri chatoho, quæ fiebant pro peccati condonatione.* חטאה חטהא Leuit. 1. 2. 3.

Tunc dixi, Ecce venio. *Videõ tibi, pater, ea displicere; cupio autem genus hominum esse redemptum: volo igitur homo fieri, paratus ad omnes ærũnas, & miserias.*

In capite scripturarum scriptum est super me. *Tametsi iudaizantes, & hæretici transferant:* in volumine: *nos tamen à Septuaginta recedere nõ debuimus. Alij dè libro Geneseos, alij dè psalmis intelligunt: sed cùm hodieq; vnicũ totius legis, & scripturæ volumen habeant Hebræi: istud est, quod dicitur, In argumento, & indice totius libri scripturæ. Nam sicut argumentum libri in indice scribitur: ita dicit Christus totum legis indicem circa se versari. Tota lex me finem spectat, & ad redemptionem per me faciendam dirigit omnia: scriptum est igitur in capite, in hypothesi omnium scripturarum exaratarum dè me.*

Vt faciam voluntatem tuam Deus. *Rursus*

*hic beneplaciti voluntatem intellige. Volebat enim Deus pater nasci filium suum, vt legi violatæ satisfaceret, captiuosq; iustè in libertatem adsereret, ac obthuraret os calumniatori. Sic igitur probauit Apostolus, quod dixerat, cruorẽ, et cuiuscunque generis victimas legis, nequiuisse expiare crimina: nunc citati testimonij germanã audiamus interpretationem.*

*Syr.*

Suprà dicit, Sacrificia, & oblationes, & holocautomata, quæ pro peccato, noluisti. Hæc in lege offeruntur. Póstea dicit, Ecce venio, vt faciã voluntatem tuã, Deus. In hoc abolet primũ, vt stabiliat secundũ. Nam in hac voluntate sanctificati sumus, oblatione corporis Iesu Christi vno tẽpore. Nã omnis princeps sacerdotũ stat, & ministrat omni die offerens ea sacrificia, quę nunquàm valent expiare peccata: hic autem

Vulg.

*Superiùs dicens, Quia) hostias, & oblationes, & holocautomata, & pro peccato noluisti; nec placita sunt tibi, quæ secundum legem offeruntur: tunc dixi, Ecce venio, vt faciam Deus volũtatem tuam: aufert primum, vt sequens statuat. In qua voluntate sanctificati sumus, per oblationem corporis Iesu Christi semèl. Et omnis quidẽ sacerdos præsto est, quotidie ministrans, & eas-*

autem vnicum sacrificiũ offert pro peccatis; & expectat dein, dum inimici sui ponantur scabellum sub pedes eius. Vnica enim oblatione perfecit eos, qui sanctificantur per eum inæternùm.

*eas dem sæpe offerẽs hostias, quæ nũquã possunt auferre peccata: hic autem vnã pro peccatis offerẽs hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei, de cætero expectãs, donec ponantur inimici eius scabellũ pedũ eius. Vna enim oblatione cõsummauit in sempiternum sanctificatos.*

SVprà dicit, *nimirum Dauid in psal. 39. priori versiculo.*

Sacrificia, & oblationes, &c. *Quantùm hæc ad peccatorum expiationem pertinent, dicit ibi Dei filius patrem antiquare omnia legis sacrificia. Iam videamus, quid habeat sequens versiculus.*

Postea dicit, Ecce venio. *Horum iam tenemus sententiam. Sed quænam est ista patris voluntas, quã se facturum dicit filius?*

In hoc abolet primum. *Scitissimè dictum est abolere; quemadmodùm & mortem alicubi refertur aboleuisse: quia vetus testamentum, cum suis omnibus operosis sacris, emeritum, ac nulli iam est vsui. In hoc ergo, dũ videlicet Dauid ista scribit, & in sily*

*Dei persona eloquitur; totam legem abrogat.*

Vt stabiliat secundum. *Vt hominibus tradat, & persuadeat, quòd hîc instituitur nouum testamentum.*

Nam in hac voluntate sanctificati sumus. *Quómodo? Eò solùm, quòd nobis fauit? Minimè. Sed (inquiunt maiores nostri) dum baptismum suscepimus, & Christi sanguine sumus delibuti. Voluntas enim metonymicòs, pro re volita, ponitur.*

Oblatio corporis Iesu Christi. *Rursus hîc metonymia est. Promeruit quidem oblatio ista remediũ, potionem præparauit: sed qua, vt hauriatur, riuis, libris, ac fistulis sacramentorum opus habeat. Est obseruandum Christi perpessionem interdum sacrificium, nonnunquàm oblationem vocari: vt quod nuper diximus, in cruce non fuisse propriè dictum sacrificium, sed figuratiuum, minùs mirum appareat.*

Vnicũ exemplar græcũ Syro respõdet contex tui habens ἀρχιερέυς reliqua ἱερέα vocãt; quæ latinus est secutus.

Nam omnis princeps sacerdotum stat. *Nè solum illud annuum sacerdotium vrgere videretur Apostolus; ea autẽ, quæ in media templi parte quotidiè peragebantur, & próinde maioris efficacitatis, ob frequentem iterationem, dissimulare: nunc nè illis quidem quicquam tribui permittet. Ex varia lectione principem sacerdotum cum minoribus sacerdotibus oportet intelligi: tametsi is vbique primas teneret. Stare autem Hebræis, & Græcis pro ministerio accipitur; vt Abraham dicitur stetisse apud vescẽtes angelos hospitio exceptos: nec abest à significatione religionis; quómodo publicanus stetisse dicitur. Stabat igitur pontifex paratus, & succinctus ad sacrificandum; nec deerant aly semper in procinctu.*

Et ministrat, &c. *Sacrificalis vox est* λειτουργῶν.

Offerens

Offerens ea sacrificia, quæ nunquàm, &c. *Ergo diluta est obiectio.*

Hic autem vnicum sacrificium offert. *Præsenti tempore offerre dicitur: quia diebus singulis repetitur, cuius durabit æternùm energia.*

Et sedet ad dexteram Dei in æternùm. *Notanda est antithesis. Legalis pontifex stat: Christus sedet, nimirum, suscipiens cum Deo patre sacrificia.*

Et expectat déin, dum, &c. *Quod reliquum est; post sacrificium in cruce peractum, præstolatur dum pater (hunc enim scripturæ tribuunt) illius vestigijs conculcãdos, atque exterendos hostes subijciat; ita pro scabello illis vtatur. Talis est emphasis sensus autem iste est, Donèc omnes, qui refragantur ipsius religioni, ita vincantur; vt nè hiscere quidèm possint. Nunc enim dæmones, infideles, apostatæ, hæretici, mali christiani detrahunt, blasphemant, obloquuntur; támetsi frustrà: póstmodum autem redacti in nihilum, silebunt æternùm.*

Vnica enim oblatione, &c. *Nimirum, quãdo per sacramenta vis eius nobis adaptatur.*

Nocte benedictionis aquarum. *Ad hunc titulum ea quoque referenda sunt, quæ dè aspersione cineris iuuencæ, & aqua benedicta diximus. Habet enim contra suos omnes inimicos potestatem Ecclesia: & ideò his vtitur consecrationibus; vt suis non desint amuleta. Nec fuit ignotum Syris, qui semèl in totum annum aquam consecrant. Hæreticos id infœliciter tentasse tradunt: nam mox putuit.* Id est nocte Epiphanię. Cochleus philippica quinta.

| Syr. | Vulg. |
|---|---|
| Testatur autem | *Contestatur au-* |

nobis Spiritus sanctus, dicens: Hoc est testamentum, quod dabo ijs post hos dies, dixit Dominus, Et dabo legem meā in mentibus eorum, & in cordibus eorum scribam eam; & iniquitatum eorum, & peccatorum non recordabor contra ipsos. Vbi autem est remissio peccatorum, non requiritur oblatio pro peccatis.

*tem nos & Spiritus sanctus. Postquam enim dixit, Hoc autē testamentum, quod testabor ad illos post dies illos, dicit dominus: Dabo leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum superscribam eas; & peccatorum, & iniquitatum eorū, iam non recordabor amplius. Vbi autem horum remissio, iā non est oblatio pro peccato.*

*Supererat istud: Saltèm illa non incōmodè sacrificia, vt ijs honoraretur Deus, retineri poterant. Ideò nunc Paulus id etiam amolitur, dicens non necessarium, immò sine quadam Dei non futurum iniuria, si supereſſent.*

Testatur autem nobis Spir. &c. *Retundit istud veterum hæreticorum, veteres scripturas damnantium, insaniam. Nec inutilis erit formæ citationis obseruatio; vt sacris litteris vtamur religiosiùs, quæ nobis testem exhibent Deum.*

Hoc est testamentum, quod dabo ijs, &c.

*Iste*

*Ista capite octauo sunt exposita. Post præstitutum tempus, faciam mentes eorum flexiles ad credendū, & obsequendum mihi. Nec enim debemus ista aliȳ, quàm Deo acceptare ferre: cùm neque volentis, neque currentis, sed Dei sit dare; qui leges suas cordi, seu voluntati, vt ijs homo adsentiatur, inscribit. Hoc autem loco hiatim, quem se videre putant, complanaturi quidam, interserunt ὁ ἔρηκε, vel προσέθηκε; vt sequentia meliùs cohæreant: sed profectum, id est ab ijs, qui citationum Pauli morem non satis obseruarunt.* Nouū exemplar Roberti Stephani ita legebat.

Et iniquitatum eorum. *Dè perpetratis in idololatria loquitur. Si antè coluerint idola; si nomen meum blasphemarint: ego totum tradam obliuioni.* ἀμαρτιῶν.

Et peccatorum eorum. *Si etiam peccarint, vbi filiȳ mei participes euaserint; condonabo, si tātùm accedant ritè comparati. Manendum tamen semper est in testamēto, quod Christi morte, & sanguine fuit; obsignatum.* ἀνομιῶν.

Vbi autem est remissio peccatorum, &c. *Cùm in hoc nouo testamento dicat Ieremias oblatū iri cunctis remissionem omnium: superuacaneum esset oblationem desiderare. Nam si offeras: videberis dè testamenti veritate ambigere; sigillumq; filiȳ Dei, quasi ignari testatoris, refringere. Quod quidam obijciunt, etiam antiquis propositā fuisse peccatorū obliterationem; et eos nihilóminus obtulisse; verum est: sed nóndum tamen habebant præsentem, quæ tantùm secutura illis certò condicebatur, Christi mortē, vnde fluit remissio.*

*Nunc absoluta prolixa commissione sacerdotiȳ, oblationis, siue sacrificiȳ Christi, cum veteris legis sa-*

cerdotibus, oblationibus, & sacrificijs: aduersarij cũcta congerunt; vt nostrum ijsdem argumentis explodant sacerdotium, & sacrificium. Quòd si quis adrẽ id facere iudicet, licebit omnia ad quatuor capita retrahere. Primùm igitur nolunt quemquam sibi sacerdotium arrogare, quantúmuis initiatus sit: quia Aaronicum Christus sacerdotium exploserit, seseq; ritu, & ordine Melchisedeciano sacerdotem esse probauerit. His cùm alia, tùm istud respondeat, qui pro re diuina congrediendum sibi putauerit; Apostolum agere de sacerdotum principe, quem graci ἀρχιερέα, Syri rab cumore. Atqui princeps sacerdotum esse non potest, qui infra se alios non habeat. Deinde agit de eo pontifice, qui sua oblatione redempturus erat genus humanum: quod proculdubio sibi vindicabit nemo. Nam eo modo peracta est ea oblatio, quo nullus deinceps offerre cupiat. Immò nè ista quidèm, quam catholici nunc alio ritu peragunt sacerdotes, à quoquã fieret; nisi Christus adesset, qui in ipso momento consecrationis, & verborum in sua persona à suis ministris prolatorum, nunc etiam offert seipsum.

רב. כמורא

Rursus in orthodoxie vulnus insurgũt hostes. Eu (inquiunt) docentem Paulum, nullum fieri sine sanguine sine sacrificium: vndè ergo incruentam nacti estis victimam? Hi cobijciatur vmbo veritatis, & ficulneum telũ disiliet. Si non vrgeas voces, hæretice, dico nostrum non esse planè sine sanguine, in quo verissimum est corpus, & ipsissimus sanguis Christi: dum tamen vita loquuntur nostri maiores, non cruorem intelligunt, vt fluxit in cruce. Sed ne Pauli sub magni nominis vmbra lateas; loquitur ille de omnipotenti, & vniuersali sacrificio, vndè vim habent nostra.

Illud

*Illud habuit sanguinis effusionem, quam repeti nihil sit opus; fuitq; potiùs veluti materia, & pretiũ aliorum sacrificiorum.*

*Addunt & istud. Sacrificium Christi non tantùm fuit vnicum, sed etiam semèl oblatum. Esto, inquit catholicus: sed omnia illa, quæ in hunc modum loquitur Apostolus, intelliguntur dè fonte, & perenni scaturigine, cuius nostra sunt riuuli, qui tantum ad nos deriuant, quantum sitimus, esurimus, haurimus.*

*Postremò. Paulus (aiunt) colligit sacrificiorum Mosaicorum imbecillitatẽ ex quotidie repetitis victimis, & sæpiùs iterata peccatorũ commemoratione: quid autem vos aliud facitis? Nec istud obierit catholico. Commemoramus enim, subinde peccata: nõ quia sacrificio illa non possint esse deleta, quod profitemur, sed quia tantùm speramus, non credimus remissa. Neq; id præter scripturas, & Apostoli Pauli sit exemplum, qui post baptismum peccata sua denarrat; quod & Augustinus operosissimè fecit in libellis confessionum. Res enim incerta est; & si hodiè expiatus sim, cras labor: ideò pro latentibus admissis, mirum non est, si veniam postulo. Sed nimis multa.*

*Nunc Apostolus more suo desinit in exhortationem, ostendens integræ fidei mores bonos coniungi oportere.*

| Syr. | Vulg. |
| --- | --- |
| Est nobis igitur, fratres mei, reuelatio faciei in introitu domus sanctæ, per sangui- | *Habentes itaque fratres, fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi,* |

quam

guinẽ Iesu, & via vitarũ, quam innouauit nobis nunc velo, quod est caro eius; & est nobis sacerdos magnus super domũ Dei. Accedamus ergo corde vero, & spe fidei; cùm sint aspersa corda nostra, & pura à conscientia mala, et ablutum corpus nostrum aquis puris, & teneamus confessionem spei nostrę, & nè declinemus (nam fidelis is, qui nobis promisit) & aspiciamus alter alterum cũ suscitatione charitatis, & bonorum operũ; & neque deseramus cõgregationem nostrã; vt est moris plerisq;. Verùm rogate alter alterum hoc magis, quò propinquiorem cer-

*quam initiauit nobis viam nouam, & viuentem per velamen, id est, carnem suam, & sacerdotem magnum super domũ Dei: accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda à conscientia mala, & abluti corpus aqua mũda; teneamus spei nostræ confessionẽ indeclinabilem (fidelis enim est, qui repromisit) & cõsideremus inuicem in prouocationem charitatis, & bonorum operum, non deserẽtes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam: sed consolantes; & tantòmagis, quãtò videritis ap-*

pro-

teruitis diem esse. *propinquantem diē.*

*SI quem iuuet cōpendiosa diuisio: primùm Christianorū bona recenset Apostolus, quibus fortunatos se, ac beatos ducere possunt: deinde sex præcepta subiungit, quæ partim continent fiduciam, & robur Christiani; partim ostendunt, quò eniti, & studia porrigere debeamus. Et cuiq; præcepto appendix additur ratio.*

Est nobis igitur. *Hactenus remissionem nobis esse præsentem, filij Dei morte, ac testamento consignatam, demonstraui. Quod cùm sit; est nobis*

Reuelatio faciei, παῤῥησία, *frontis libertas fœliciter impudens, vt loquitur Tertullianus. Tale quid est, quòd intimis principum licet adire coràm, audireq;, & reddere voces apud regem. Deus tantarum voluit præditos esse libertate: vt singulis momentis eum adire queamus, futuri tantò gratiores, quātò magis importuni interpellatores.*

In introitu domus sanctæ. *Putas quiddam eximium, si hominis regis conspectum subire queas: sed hîc, ô Christiane, facta est tibi potestas liberrimè ad ipsum vsque & cœlum, & regis regum Dei penetralia peruadere. Ista faciunt ad consolationem, & erectionem pusillorum.*

Per sanguinem Iesu. *Nobis iræ, dānationisq; filijs, tanto pretio, tanta libertas comparata est.*

Et via vitarum. *Ita Syri, quod nos salutem, vocāt. Igitur est compendiosissima nobis ad salutē via. Nè quis dicat, Nulla iam patet ad cœlū nobis via: eam strauit omnibus Christus; vt nihil supersit, nisi vt ad expeditum iter accingatur Christianus.*

Quam

Quam innouauit nobis nunc velo, quod est caro eius. ἐνεκαίνισε *non in angulo sed in publico, & solenniter istud indicat factum; nimirum, in celeberrima in cœlos Christi conscensione. Neque prætereunda est particula* Nunc. *Nam olim quamuis purissimi, & sanctissimi, Abrahamus, Isaacus, &c. ad inferas migrabant regiones. Velum autem carnem appellat; quia summus sacerdos apud Mosen ingressus tabernaculum, illud renouare debebat. Maiores nostri hãc reddunt caussam: quia sub carne latebat Dei filius.*

Et est nobis sacerdos Dei, &c. *Nè quispiam timidior diceret: Fateor stratũ iter, patere aditum: sed quómodo tremendũ irati patris conspectũ subibo? Esto, inquit Paulus, bono animo. Tuus est, & penè tibi obnoxius, quem formidas: habes summum põtificem Christũ, qui te inducet. Hæc igitur sunt Christianorum bona: in quibus primas tenet libertas, & accedendi ad Deum fiducia; reliqua duo sunt, strata via, & pontifex patronus. Iã ad vsum rerum istarum nos comparemus.*

Accedamus igitur corde vero. *Quò, & ad quẽ sit accedẽdum, notum est. Capessamus igitur cœlum, eò studia conferamus: vt queamus pontifici nostro coniungi. Accedamus (inquam) non fluctuanti animo, ac de Dei misericordia diffidenti. Vocabulum Syrum non tam veritatem, quàm firmitatem, & stabilitatem significat. Summa est, Apostolum velle hominem sibi benè conscium vti sua libertate. Rem istam mirum in modum illustrabit inspectus Ambrosius libello ad virginem lapsam capite vltimo. Quid porro istud ad explodendam Sanctorum in-*

*uocationem, quam hinc aduersarij, pro sua impudentia, labascere putant: cùm ea de re nè per somniũ quidem hoc loco Paulus?*

Et spe fidei, *id est, fideli. Simus præditi tali spe de hon sto, & amico complexu, quam nobis fides, & scriptura facit. Sicut edocti estis in fidei iuramento, Christianis benè sibi conscijs esse spem certissimam: sic accedite, nec repulsam metuite. Hoc est primum monitum. Nunc videamus, quam requirat conditionem.*

Cùm sint aspersa corda nostra. *Alludit proculdubiò ad 19. Numerorum; & metonymicòs ponitur aspersio, pro effecta purgatione: de baptismo sermo est. Aspersa, id est, purificata. Viderit Beza, qui locus iste ad hunc modum intellectus (nam ipse retinet istum commẽtarium) conueniat cum imputatitia iustitia.*

Et pura à conscientia mala. *Cùm simus nullius sceleris nobis conscij, immò non paucorum bonorum, vti postremò capite enumerabit.*

Et ablutum corpus nostrum aquis puris, *id est, purgantibus, quibus emundatus quispiam potest intrepidus accedere. Interpretes autem, nominatim Theophylactus, dicunt ad aquæ infusionem Spiritum sanctum illabi in animam, & corpus mundari aquæ efficacia, præsertim si ritè fuerit priùs initiata. Hæc autem omnia, tametsi proprie ad aquas baptismi pertineant, respiciunt tamen & lustralem vndã. Mirum est, si sanctorum fastidientes intercessionem, habeant cor aspersum, purum & ablutum: vt ausint patrem accedere, amicorum eius gratia non commendati.*

Ex oratione debaptismo Naziã. Damasc. li. 4. capi. 10. orth. fidei. Tertull. dè baptismo. Cyrillus catech. mystag. 3.

Et te-

Et teneamus confessionem spei nostræ. *Quẽadmodùm in procinctu baptismi recitastis resurrectionis mortuorum, & vitæ æternæ articulos, nõ alijs, sed vobis, si pacta seruetis, obuenturæ: ita porrò in ea cõfessione permanete; eamq; in medijs licèt persecutionibus, promptis animis testatam facite. Si fidem eieretis, declarabitis vos neutiquam rectè speraſſe: vt & in peccato quólibet mortifero.*

Et nè declinemus. *Nè deficiamus, & excidamus; nè operibus nostris, & desertione videamur fidẽ, ac spem penitùs abiecisse. Est metaphora à rebus decliuibus, & facilè pronis in ruinam. Has conditiones qui non præstant, non debent sibi quicquã arrogare.*

Nam fidelis is, qui nobis promisit. *Cauſſa est, cur Christianus se debeat constantia orthodoxa firmare: quia nunquàm fallet, neque sua decreta mutabit Deus, si conditionibus faciamus satis.*

Et aspiciamus alter alterum. καταvοῶμεν *noster, vt quidam recẽtiores,* consideremus *vertit: commentarij tamen Græcorum de aspectu interpretantur; nec aliud sibi vult syrum nechur. Sensus est. Plerique sunt ea peruersitate, vt si quid malioccurrat exempli, imitentur: vos autem potiùs, si quid boni, & præclari, hoc exprimite, & sectamini, & certamen pietatis, virtutisq; contentionem vicissim instituite. Quod si nõ facitis; sed in diuersum potiùs scopulum impingitis, inuidentes, ac mordentes, rodentes melioribus intentos: iam vos itis perditum.* נחור

Cùm suscitatione charitatis. *Sic enim futurum est, vt occipiamus alium candidiùs amare; ille nos vicissim, vt condiscipulos. Quid ni enim, vt in alijs, etiã in virtutis studio simili na scatur amicitia.*

Et bo-

Et bonorum operum. *Quis dubitat in illo nascentis Ecclesiæ feruore christiano, virtutum fuisse feruentissimam contentionem?*

Et neque deseramus congregationem nostram. *Istud est quintum monitum. Græca vox ἐπισυναγώγη patitur diuersos commentarios. Hæreticorum est, Nō deseramus collectionē, et quasi compactionem in idem Christi corpus. Vos, Judæi, tam ægrè fertis, si quis gentilium velit se adiungere fidei; vt secessionem illicò meditemini. Verùm quibus ex historijs ista confirment, illi viderint. Non defuisse, qui primò gentes crederent non admittendas, apparet ex capite vndecimo Actorum: sed tantùm abest, vt à Christo propterea resilierint; vt eius benignitatē admirati, laudarint. Græci diuersum adferunt commentariū, Vos Christiani, nolite ita adamare secessum; vt neque visere fratres, neque synaxes habere, neque ad Dei verbum conuenire velitis. Illi congressus mirum in modum fouēt charitatem, quæ in vmbra diuturniori languescit. Sic illi non inutiliter: sed mihi videtur intelligendus Apostolus ex sententia D. Ignatij in epistolis ad Ephesios, & Smyrnæos, vbi cohortatur, vt frequentent conuentus ecclesiasticos; & causſam reddens, Quia (inquit) confirmabūt vos: & minatur alioqui futurum, si se subtrahant; vt excidant a fide, & charitate. Colendus igitur est Deus, reddendæq; gratiæ publicè, & priuatim.*

Vox syra chenuscho כנושא simplicem significat congregationem.

Vt est moris plerisque. *Rectè. Nec enim illi cōuentus fiebant absque periculo, adeò vt exusto templo, integræ occumberent nonnunquam Ecclesiæ; aut à paganis intercepti, omnes carceri traderētur. Hinc fiebat, vt plurimi sese ob metum subtraherent. Hoc*

*itaque de sacris, & religiosis Christianorum antelucanis ob metum tyrannidis conuentibus dicitur: à quibus si multos non contigisset abesse, non erat Ignatius tam religiose admoniturus.*

Verùm rogate alter alterum. παρακαλούντες *variè à diuersis accipitur. Alij quidem, Vos qui spiritus feruore imbuti estis, estote alijs consultores, vt perseuerent, consolando, & exhortando. Alij derogatione interpretati, eódem penè recidunt, Obsecrate, & precibus apud Deum agite, vt nutabundi confirmentur. Mihi autem filum apostolicum, & syram vocem, quæ simpliciter aliquid petere significat, consideranti, sensus hic esse videtur: Non tantùm non subtrahatis vos à collectis christianis, sed alios vobiscum, vt eant, instigate, & attrahite. Pro temporis ratione, et pace, religionisq; tranquillitate, subinde mutabantur tempora, locis diuersis fiebant synaxes: próinde monere quisque proximum, & horam, ac locum indicti conuentus indicare debebat.*

Hoc magis, quo propinquiorem cernitis diem esse. *Ita solent de aduentu altero seruatoris loqui scripturæ; & hoc spatium diem, horamq; vltimã, ac si res esset planè momentanea, vocare. Tertullianus scribit suæ tempestatis Christianos rogasse pro inducijs: nè repentino Christi opprimerentur aduentu. Cùm igitur semper incertus, atque in vicino positus nuntietur dies: excutite socordiã, sedulamq; docẽdis, & in cœlum pertrahendis vobiscum fratribus operã date. Sic Paulus eos instruit, qui non erant sibi pessimè conscij: nunc porrò de officio hominum, quos ægrè rodit conscientia, sermonem instituet, quid illis agẽdũ, & cogitandũ sit. Præfertur autẽ hæc inscriptio.*

Pro mora finis.

Baptis-

Baptismo.

*Intelligendũ istud est de anniuersario die, quo Syri persuasum habent Christum à Ioanne baptizatum; nempè, prima dominica post Epiphaniorum diem. Epiphanius tradit gestum sexagesimo die ante festum natalitiorum, hoc est, sexto idus Nouembris: Latini autem ipso festo Regum celebrant.* Hæres. 51.

*Syr.*

Si namque voluntate sua peccat quisquam, póstquam accepit scientiam veritatis: nõ est dè cætero sacrificium, quod offeratur pro peccatis; sed futurum iudicium potens, & zelus ignis deuorantis hostes. Si is enim, qui Mosis legem transgressus esset, in ore duorum, vel trium testium absque misericordia fuerit mortuus: quãtò plus supplicii vt is luat putatis necesse est, qui cal-

Vulg.

*Volũtariè enim peccantibus nobis, post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia; terribilis autem quædam expectatio iudicij, et ignis æmulatio, quæ cõsumptura est aduersarios. Irritam quis faciens legem Mosi, sine vlla misératione duobus, vel tribus testibus, moritur. Quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei con-* Formidabile.

calcauerit filiũ Dei; & æstimet sanguinẽ testamenti, quo sanctificatus sit, instar cuiúslibet alius; & cõtumelia affecerit spiritum gratiæ? Scimus eum, qui dixit, Mihi vindicta; & ego rependam. Rursum, Iudicabit Dominus populum suum. Metus est magnus incidere in manus Dei viui.

Scilicet hominis.

*culcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Scimus enim, qui dixit: Mihi vindictam, & ego retribuam. Et iterũ: Quia) iudicabit dominus populum suum. Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.*

*IN his potissimùm peccati, quod à Christiano committitur, grauitas cùm per comparationem suppliciorum legalium, tùm scripturæ sacræ testimonijs demonstratur.*

Si namque volũtate sua peccat quisquam. *Græcorum plerique de illis intelligunt, qui à suo peccato quantúmuis correpti, & admoniti, reuelli non possunt: & partim ex ipso loco trahunt argumentũ; quia dicitur* ἐκουσίως γὰρ ἁμαρτανόντων, *quòd nimirũ pergant, nec peccandi finem faciant; partim ex alijs scripturis, vt Eccles. 20.* Quàm bonum est correptum manifestare pœnitentiam: sic enim effugies voluntarium peccatum. *Hæreticis nemo voluntariè peccat, qui non fiat desertor, & apostatà; nimirum*

*uimirum, vt persuadeant semèl acceptam gratiam prodigi non posse; quasi de sola fide laboret Paulus. Sed non tam Apostoli, quàm suum illi curant negotium. Est tertia sententia vetustissimorum theologorum, qua decernitur eos volũtariè peccare, qui nec ignorantia Dei voluntatis, nec infirmitate, vel pondere tẽtationis flagitiosum aliquid patrant. Sic Tertullianus lib. 2. ad vxorem, sic Eusèbius demonstra. Euange. lib. c. 1. Sic in liturgijs græcanicis non semèl rogat sacerdos, vt Deus ἑκουσια peccata remittat. Clemens Alexandr. Stromate 2. diligenter hunc locum pertractans, ad postremum ait peccatum esse voluntarium, quod non ignorantia quis admittit. Nec aliter Philo in libello de Dei immobilitate, albicantem, flauamq; lepram voluntario, & inuoluntario peccato comparans. Totamq; pene antiquitatem in huiusmodi cernere licet distinctione occupatam. Itaque videtur Veteribus inuoluntarium non aliud, quàm veniale peccatum fuisse: adeò semper maximi fecerunt scientiam in peccatis. Summa horum est, eum voluntariè peccare, qui non ignarus lethale esse, quod molitur, nec nisi Dei singulari gratia, & ingenti pœnitentiæ labore posse remitti; retrahenti Spiritui vim inferre maulit, quàm sibi, quamq; à scelere suscepto discedere.* Leuitic. 13. & 14.

Póstquam accepit notitiam veritatis. *Istud quidem in omnibus olim Christianis locum habebat, qui instruebantur diligentissimè: neque tamen prorsus nunc est alienum ab ijs, qui sacramẽtum baptismi, quod illuminationis vocatur, acceperunt. Interea cùm Paulus à cognitione ducat argumentum grauitatis peccati: tãto cõstat indignius theologi, pastoris,*

*&c. peccatum: quantò sunt, quàm reliquum vulgus, rerum necessariarum scientia instructiores.*

Clemens stro: 2. Nazian. de sacris luminibus in fine, &c.

Non est de cætero sacrificium. *Plerique veteres Græci, & Latini de baptismo sacrificium istud accipiunt. Non est relicta tam clemens hostia, quàm fuit baptismus, in quo, vt neque olim in hostijs, non multùm erat satagendum, si tantùm adesset pristinæ vitæ aliquod odium. Et huic interpretationi suffragatur caput sextum, vbi dictum non posse renouari ad pœnitentiam. Non desunt, qui propriè de hostia locutum velint Apostolum, agentem cum Hebræis; quibus iam non erat integrum, vt quondàm violata lege, ad iudaicas victimas confugere, sola Christi oblatione locum obtinente. Quid ergo fiet; si non relinquatur hostia pro peccatis?*

Sed futurum iudiciũ potens, & zelus ignis, &c. *Chrysostomus metaphoram ductam arbitratur ab iritatis feris, quæ per medias flammas ruunt, dum se vlcisci parant. Qui igitur peccatum animo voluit, expẽdat primum iudicis potentiam, quem nemo valebit effugere; déinde mente contueatur gehennæ incendia, in quibus æternùm ardebunt Dei hostes. Sic enim vocat voluntariè peccãtes: quia qui legem Dei violat, eius vtique se aduersarium constituit. Sed nónne his verbis tollitur pœnitentia? Nequaquàm. Et quisquis scripturæ consuetudinem intellexerit, nõ mouebitur hæreticorum ad huiúsmodi loca virulẽtis obiectionibus. Audiuimus Christum suos in æternùm sanctificasse, nimirum, ob gratiam ipsis collatã; quæ, nisi sesè dedant sponte diabolo, liceat perseuerare: si autem gratiam ab sese proijciant, quid mirum, si póstea reuersi magna sibi credant opus esse pœnitentia?*

Expende

*Expende scripturas; consule veteris Ecclesiæ in volũtariè peccantes iudicia: videbis, quàm non possit homini constare, etsi se multùm afflixerit, num se gratiæ restituendæ capacem fecerit. Vult ergò Paulus (nè pro Nouatianis facere credatur) homines sperare veniã sibiq; bono animo Dei clementiam polliceri: nihilóminus acriter intueri alia ex parte, quid egerint, quid mereantur; quid meritò requiratur, vt cũ Deo, quem tam nequiter offenderunt, redeãt in gratiam. Denique post peractam licèt pœnitentiam, nequit tamen ea esse de remissione tam luculenta persuasio, quàm priùs in baptismo fuerat: quia de iusta, & necessaria contritione nemo certus esse potest.*

Si is enim, qui Mosis legem transgressus esset. *Hæretici suum agentes negotium, volunt istud petitum ex capite 17. Deuteron. vt hanc, nimirum, disputationem ad solos detorqueant apostatas: sed cùm hîc generatim loquatur Paulus; veriùs est eiusdem libri caput 19. disputanti ob oculos fuisse, quo in vniuersum præcipitur, vt nemo damnetur, nisi pluribus testibus conuictus. Legem autem Mosis appellat: quia versatur in loco comparatorum. Si quispiã Mosaicæ legis grauiora præcepta violasset: is gemino teste conuictus, sine misericordia neci tradebatur. Et Pauli vocabulum,* Transgressus, *docet abundè nõ de solis agi desertoribus.* דעכר daabar.

Quantò plus supplicij vt is luat putatis necesse est, &c. *Translatum est ab ijs, quibus rem quampiam contemnunt, & abominantur. Qui Dei filium fuerit execratus, contemptui habuerit. Ita Græci: nec alienum id est à peccato mortali. Nam nisi Dei filium, qui redemit, iustificauit, sibiq; fecit nos cohæ-*

redes vilem haberemus: non tã facilè, quicquid gratiæ contulit, dilapidaremus. Hæc includũt illi in sua metaphora. Nec abludit Syri verbi proprietas, quod bobus Palæstinorũ consuetudine triturantibus, & conculcando frumenta terentibus tribuitur. Vt enim illi assidue calcatas spicas penitùs excutiebant, atque exterebant: sic qui sæpiùs in grauiora labuntur, tandèm, quòd in ipsis est, Christi pretium, & meritum in nihilum redigere videtur. Hæc si altiùs in Christianorum insiderent mentibus, aliam longè de peccatis opinionem ingenerarent.

דדשׁרח dedoscheh thema est dasch.

Audiuimus enim testamentum nouum filij Dei sanguine obsignatum: qui autem eius mandatis non paret, dum se exhæredat; quid aliud, quàm sigillum à testamento reuellit, nec sanguinẽ pluris facit, quàm cuiũ suis alterius? Nam κοινὸν non est accipiendum, vt pollutum quid, sed vulgare, & cõmune significet.

צער

Et contumelia affecerit spiritum gratiæ. tsaar est ita afficere contumelia, vt veluti omnium ludibrijs aliquid exponatur; et eo verbo passim Matthæus vtitur in flagellatione filij Dei, quæ summam habuit irrisionem. Qui igitur scelus admittit, perinde agit, ac si Spiritum sanctum palàm irridendũ propinaret. Hoc ipsum de filio dictum est c. 6. Græci autem solum intelligunt abusum donorum spiritalium; vt quando quis nihil moratus acceptum beneficium, mox abijcit: sed proculdubiò ea notatur etiã iniuria, de qua alibi Paulus: Nolite contristare spiritũ, &c. Spiritum autem gratiæ Syri vocant bonitatis, tibutho: quia ipse bonorum à Christo promeritorũ distributor est.

פיאות

Vide Tridentin. sess. 14. ca. 8. de cathol. vnctione.

Scimus enim, qui dixit. Tu contumelioſe tractas si-

*ctas filium Dei: sed memineris ipsum dicere.*

Mihi vindicta, & ego reddam. *Disputent alij, vtrùm locus sit propriè citatus, an non: mihi nefas est dubitare. Si Mosen inspicias; videberis ad apostatas, & ad idololatriam dilapsuros loquentis sermonem audire: sed si rursus Paulũ consulas ad Rom. non ad illos solos pertinere fateberis.* Deuter. 32. Rom. 2.

Et rursùs, Iudicabit Dominus populum suum. *Hoc vel inuitos reuocat ab hæreticorum commentario, ad suos desertores omnia trahentium. Iudicabit enim Dominus suos fideles, si suo non responderint nomini; si Dei punitionem lugubri pœnitentia nõ anteuerterint. Nam hîc iudicium prorrogatione supplicij ponitur; vt ex consequentibus patet:* Et seruorum suorum miserebitur.

Metus est magnus incidere in manus Dei viuentis. *Loquitur Paulus de æterno supplicio: Dauid autem cùm potiùs Dei vult manum experiri, quàm furorem hostium suorum, de huius temporis loquitur afflictionibus. Præstat enim humiliter perpeti, quod Deo visum erit, qui nostram cernens humilitatem, pœnæ quoque modum statuet.* 2. Reg. 24.

| *Syr.* | Vulg. |
|---|---|
| Mementote ergo dierum primorum, quibus suscepistis baptismum; & certamẽ magnum sustinuistis passionum in egestate, & angustia, & fuistis | *Rememoramini autẽ pristinos dies, in quibus illuminati magnum certamẽ sustinuistis passionum; & in altero quidem opprobrijs,* |

stis spectacula, & socij facti eorum, qui hæc sustinuerunt; & dolori fuerunt vobis vincti; & rapinam facultatum vestrarum cum gaudio sustinuistis; quod sciatis vobis possessionem in cœlo meliorem esse, minimeque transituram.

*& tribulationibus spectaculum facti; in altero autem socij taliter cõuersantium effecti. Nam & vinctis compassi estis; & rapinã bonorum vestrorũ cũ gaudio suscepistis, cognoscẽtes vos habere meliorem, & manentem substantiam.*

ET certamen magnum. *Talia hîc intelligũtur, qualia Christo irrogata sunt. Nam Syri habent idem vocabulum. Et hoc habet laudis nonnihil. Quia enim in præcedentibus vehementer horrore peccati concusserat: nunc aliqua commendatione lenit formidinem. Laudum verò sumit materiam ab initio illorum vocationis ad fidem, quandò baptizati, seu illuminati fuerunt.* Magnum *autem dicitur, quando quis non solùm ingentia; sed ingenti animo tolerat.*

Sic Simonem Clopã legimus Romanis admirationi fuisse, qui tam se nex tam cõstanter crucem perferret.

In egestate, & angustia. *Aliâs vertit noster interpres, pressuram: græci* θλῖψεσι *pluraliter efferunt; vt non de vno tempore accipiamus.*

Et fuistis spectacula. *Expositi theatro, propter Christum: ampliùs tamẽ Apostolus intelligit, nẽpè, fuisse hos tam fortes athletas, vt suo exemplo alios*

ad ea-

*ad eadem subeunda pertraxerint.*

Et socij facti eorum, &c. *Nusquàm ab ijs discessistis. Reprehenditur à vetere scriptore Nouatus, qui semper diffugiebat, cùm alios consolari captiuos pro sacerdotij dignitate debuisset.*

Et dolori fuerunt vobis vincti. *Quoniã exẽplaria nonnulla græca legebãt*, vinculis meis: *Valla tantì id fecit, vt vel indè adserendam Paulo epistolam putauerit. Laudandum studium: sed leue est hac in re momentum. Oportuit hos insigni fuisse preditos charitate.*

Et rapinam facultatum vestrarum. *Constat ex epistola ad Coloss. ab infidelibus Scribis, & Phariseis Christianos Iudæos spoliatos.*

| *Syr.* | Vulg. |
|---|---|
| Nè amittatis igitur reuelationem faciei, quæ est vobis, cuique multa futura est merces. Nam sustinentia requisita est vobis; vt faciatis voluntatem Dei, & reportetis promissum: eò quòd tempus breue sit, & valdè paruum, vt veniatis, qui venit, & non moretur. Iustus au- | *Nolite itaque amittere confidentiã vestram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis necessaria est; vt voluntatem Dei facientes, reportetis promissionẽ. Adhûc enim modicum, aliquantulumq;, qui venturus est, veniet, & non* |

autẽ ex fide, quæ mihi, viuet: & si succisus sibi fuerit; nõ probabit eum anima mea.

*nõ tardabit: iustus autem meus ex fide viuet; quòd si subtraxerit se, non placebit animæ meæ.*

Improba est lectio quæ vocem addit (filij)

Matutinis feriæ secundæ passionis, & dè Patribus, *id est, in festo patriarcharum.*

Nos autem non sumus succisionis oneris in perditionẽ; sed fidei acquisitionis animarũ nostrarum.

*Nos autem non sumus subtractionis in perditionem, sed fidei in acquisitionem.*

*Quadruplex hîc documẽtum, & vtilitas. Primùm enim ostenditur, quãta sit Christianorum fœlicitas integra conscientia, & mens ad Deum libera; adhæc quæ sit sustinentiæ necessitas, cùm vni perseuerantiæ sit parata corona; tertiò quis fidei vsus inter pericula, & postremò, quæ desperantium, & diuinis promissis non fidentium miseria.*

Nè amittatis igitur reuelationem, &c. *Alibi docuimus ita* παῤῥησίαν *circunscribi. Est autem duplex metonymia. Nec enim agitur de ea libertate, quam merita conciliant: sed ipsamet opera intelligit, quibus fit, vt animus cõcipiat fiduciã, ex qua póstmodũ oritur libertas, vt audeat homo petere à patre quicquid ad benè, beatéq; viuẽdũ facit. Cum igitur tam fortiter dimicaueritis; nè committatis, vt partam libertatem crimen aliquod vobis eripiat: sed*

*in bonis*

*in bonis operibus perseuerate.*

Cuique multa futura est merces. *Hæc μισθαποδοσία non istius est propria libertatis; nec per innocentiam, & bonam conscientiam, sed per opera bona comparatur: ideoq; dixi geminã esse metonymiã. Cæterùm vix credas, quãtùm sudent hæretici: vt hãc vocem mercedis sua interpretatione deprauatam, nihil orthodoxis fauere demonstrent. Verùm hac de re ad Matthæum copiosiùs. Et beatus Theodoretus (quod satis est ad hunc locum) ait talem futurã esse mercedem, quale fuerit opus: nè penitùs gratuitam donationem esse nobis aduersarij persuadeant.* Cap. 10. 20 & 24.

Nam sustinentia requisita est vobis. *Sic Syra sonant. Deus eã à vobis flagitat: nè mendaci prouentu colonum fallatis. Intelligas autem non solam in aduersis tolerantiam; sed & animi fortitudinem, cum diuinæ opis, & retributionis expectatione. Græci vrgent suæ vocis proprietatem ὑπομένη. Quantumcunque crux te premat, debes æquanimiter sub eius sarcina iacêre, ac perdurare; dum visum erit Deo te liberare.*

Et reportetis promissum. *Metonymicôs iterũ dicitur. Nè igitur sunt infœlices, deq; seipsis merentur pessimè; qui in medio cursu, vel in ipso limine palmæ murmurant? En (aiunt) in Ægypto cuncta suppeditabãtur affatim; dum hæreses consectaremur fœliciter omnia succedebant: nunc secutos meliora nihil non infortuniorum premit. Sic miseri desponderent animum, & brabæum amittunt.*

Eò quòd tempus breue sit, & valde paruum. *Chrysostomus dicit translatum à gladiatoribus. Si quis enim fortissimus pugil, superatis omnibus, vidēs*

agona-

agonotheten non statim aduolare cum corona, mora impatiens discedat: abeunti non dicerent spectatores amici, quod istis Paulus? Itáne tot victoriarum iacturam facies? Nunc aderit, qui brabeum largietur: tantùm dè nõnulla expectatione, & morula agitur.

Vt veniat is, qui venit Id est, qui vĕturus est, à Deo olim promissus iudex viuorum, & mortuorum. Quia autem dolor, & molestia non facilè persuadetur: Apostolus more suo scripturæ condimentum adhibet.

Iustus autem ex fide, quæ mihi, viuet. Hanc sententiam magnifecit Apostolus, quam tribus in locis repetiuit: cuius tractatio tamen propria est epistolæ ad Galatas: eò quòd ibi non solum sit testimonium; sed etiam antitypum. Quòd autem ad nostrum institutum pertinet; satis erit, si propriè allegatam scripturam intelligamus. Igitur eo loco propheta ex persona hominum impatientiũ, & tantùm nõ blasphemorum, disputat cũ Deo: Quarè Nabuchodonosor, eiusq; populus floret, totusq; est amœnus; & innocentem (vt videtur) Dei populum conculcat, dirissimeq; flagellat? Quæ Dei iustitiæ ratio? Huic percunctatori respondet Deus futurum, vt rex impius, quem modò cœli quoque volucres metuere vidĕtur, in nihilum propédiem redigatur; sibiq; per prophetam, vt eius rei fidem habeant, postulat: mox capite secundo dicit propheta se conscensa specula diligenter euentum rei consideraturum; & iussus librum scribere, nè quem fidelium lateat Dei promissio; addit hæc verba, Iustus autem, &c. Quisquis hoc futurum crediderit, beatus erit: sin autem subtraxerit se quispiam, & falsum, ac mendacem esse me fuerit

suspi-

*suſpicatus, interibit. Agitur itaque hiſtoricôs de Babylonia captiuitate: ſed haud ignorare debemus in typo Nabuchodonoſori diabolum, eiuſq; tyrannidem in illa captiuitate, Chriſtumq; ſeruatorem in Cyro denotari. Hoc enim perſuaſum eſſe oportet, prophetas in Chriſti regno, & multiplici negotio prorſus occupari; & hanc ſcripturam, reliquarũ prophetiarum inſtar, habere corticem; altiùs tamen latere, quod ad nos pertinet. Nec negligendum Pauli ſcoliũ:* Ex fide, quæ eſt mihi. *Nã Hebræus, & Chaldæus tantùm habet:* Ex fide: *nempè, quam in fundo, & ijs largior, quos reſpexi. Fidei autem nomine primùm intelligo firmã adſenſionem mentis verbo Dei reuelato per prophetam (qui prophetæ crediderit nõ falletur) déinde ſignificatur fiducia, & affectus cõſtantia, qua expectantur Dei promiſsiones. Viuere autem iſtud, eſt acceptam iuſtitiam, quantumcunque grauiter percellatur ærumnis, ſartam tectam cuſtodire, propter animi conſtantem adſenſionem, & fiduciam bonis operibus corroboratam, qua nos è periculis eripiendos habemus perſuaſiſſimũ. Interea negari non poteſt fidem in homine deſiderari, vt ad iuſtitiam peruenire queat, & animæ vitam; quæ déinceps charitate, & laudabili virtutum, ac piarum actionum ſtudio perficiatur: ſed Habacuc propriè vitam, quæ poſt expiationem in eãdem ducitur pietate, quam ſecundam vocant iuſtitiam, reſpicit. Re vera autẽ Hebræis in grauiſsimis perſecutionibus, rerumq; deſperatione maxima laborantibus, valdè tempeſtiuè Paulus ſpem faciebat præſentis cælitùs auxilij.*

Et ſi ſucciſus ſibi fuerit, *Hæreſiarchæ vehementer*

menter laborant, vt sententiam deprauent: quocirca nobis non ignauè laborandũ; vt comperta huius verbi proprietate, fumos ipsorum glorioſe dispescamus. Est igitur in hebræo propheta vppela, quo Moses olim vsus fuerat ad rebellem, & obstinatã pugnandi demonstrandam voluntatem. Vbi noster interpres dicit contenebratos; Septuaginta διαγχομένους, trãsgredientes, violenter agentes, nihil moratos Mosis diuersa consilia; Ionathas autem Chaldæus, impiè agentes: ex quibus videtur id verbi esse idẽ, quod moliri quippiã contra Dei interdictum. Quod autem ad syrum Pauli vocabulũ methkato, quod nos succidendi verbo reddimus; Ionathas Chaldæus ad librum Ruth vsus eodem, ait filios Noëmi ante tempus ablatos; quòd contra legis edictum duxissent vxores alienigenas. Ex his omnibus licet istam colligere sententiam: Si non perstiterit fortiter; si patientiã abruperit, spemq; proiecerit, si pressus malis, fractusq; mora desponderit animum, collum, & humeros oneri subtraxerit: tunc fiet, quod sequitur. Subdolum est, quod aduersarij dè tutis receptaculis, & refugio præpropero garriunt. A qua igitur re succisus? Græci respondent, à christiano certamine. Quæ res succidit? Dubium non est, quin de hominis inconstãtia, diffidentia, & mollitie agatur. Ineptè autem hebraismum istum quidam accipiunt, interpretantes, Excidatur, scilicet, fides ei: cum propheta dè ipso homine loquatur, vt sequentia conuincunt. Neque enim fides vnquàm Dei animæ valet displicere; & Paulus græcus, 70. Ionathan. Hiero. & cæteri interpretes de homine sese succidente, aut subtrahente dictum propheticum transferunt; dum humana prudentia

עסלוהי

כ תקטעא

dentia sibi cauere, meliusq; volet consulere, deficiẽdo ad mundum.

Non probabit eum anima mea. *Illud est ó-biter expediendum. Hodiè apud prophetam nos legimus,* Non erit recta anima eius in eo; *vt dè timidi, & effaminati decertatoris anima sit sermo: Paulus autem, post Septuaginta, refert ad Deum; quos nemo credet deceptos iod loco vaf legisse. Tamẽ quomodocunque legas, sententia est eadem. Loquitur autem Deus humano more: Non complectar apostatam, nec deosculabor beneplacito meo; vti complecti soleo eos, qui intima necessitudine mihi coniunguntur. Proculdubiò enim Deus, quasi iniectis brachijs, dè collo propendet hominum fortiter pro Christo facientium: vbi autem grati esse desinunt, & remissa contentione, laborem aspernantur; remittit ipsè quoque complexũ; sicq; desertor in caliginem, & cœcitatem prolabitur. Hunc in modum partìm exterritis, partìm animatis Hebræis, Apostolus admiscet consolationem.*

Nos autem non sumus succisionis, &c. *Nõ sumus ex classe desertorum. Absit à nobis, vt gloriã, & merita pristinæ virtutis vno momento decoquamus. Dum succisionis, & apostasiæ memini, non dè vobis loquor, quos mihi persuadeo vsque & vsq; in Dei fide permansuros. Sic ipse; támetsi non ignoraret plerosque nutare: sed huiusmodi stimulo erant perurgendi. Vis autem agnoscere, quid sit hæc succisio? Est onus importabile, & hominem deprimens in barathrum, dum gestit amicum onus Dei proijcere, seq;, vt putat, in libertatem adserere, miser, & ignarus oppressuræ mox eum ruinæ: denique succisio est*

*mortale peccatum. Vis igitur, Christiane, animæ tuæ optimè consultum? Perde illam; permitte illam cruciatibus, & ærumnis; nè velis à tormẽtis, quæ propter Deum, eiusq; fidem inferuntur, eripere; strenuè præliare bella Domini tui: & eam in tuto collocaueris. Sin cessaueris, timidus restiteris; & cupidus vitæ, Christiana indole quicquam indignum admiseris: præceps deuoluêris cum reliquo onere in barathrum. Alij illud* oneris, *damoubelo participij significatione accipiũt; vt sit impellẽtis, deturbãtis, adducentis, scilicet succisionis; vt & alterum demaqneio, quasi sit acquirentis, non acquisitionis, saluo eodem sensu vtriusque interpretationis. Et licèt forma participiorum magis appareat; tamen familiarior est vsus abstractorum, quàm concretorum, aut participiorum Syris, atque Hebr. Et licèt etiam in posteriori alterũ nun deficiẽs, & in capite mem pro participio faciant: attamẽ prius prorsus nomẽ est Matt. 11. & 23. Sed hæc leuicula videbuntur; cùm de eâdem sententia vtriusque versionis iam conueniat. Nunc ad caput vndecimum, ad quod iam Paulus iter nobis præstruxit, iniecta fidei mentione.*

דמקבלא

דמקביא

## CAPVT VNDECIMVM.

ESt autẽ fides persuasio super iis, quæ sunt in spe, périnde ac si essent ipsis in actu; & reuelatio eo-

*EST autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.*

His

eorum, quæ non cernuntur.

His paucissimis probè intellectis, totum fidei negotium longè meliùs peruidebimus. Sudant hîc plurimùm Veteres, mirumq; in modum laborāt scholastici: nec tamen penitùs adsequuntur; quoniam seorsum trutinata verba hæc non périnde tractantis manum fœliciter experiuntur, atque dum in suo filo perpendūtur. Agit autem Paulus cum Hebræis exemplis, & functionibus fidei; vt in ea perstent; neque se subtrahāt. Nec aliud expectare hinc nos oportet, quàm eiusdem actuosæ, seu formatæ officiorum descriptionem: intérea tamen, quid Patres hac in re statuerint, libet indicare. Latinorū igitur primus Hieronymus ad Galat. cap. 5. differens de fructibus Spiritus sancti, ait Apostolum definire fidem: post eum scholæ omnes, & catecheterium definitionis habuit loco. Inter Græcos non secùs locutus est (si non fallat interpres) Theodoretus: quin & Theophylactus, & scholiastes, qui Oecumenij titulo circumfertur, aiunt Paulum ἐκφράζειν τὴν πίστιν; quod non tam declarare, quàm rei naturam proponere est. Immò quod amplius est, Damascenus libro quarto ca. 11. fidem distinguens, hanc alterius definitionem proponit. Sic équidem illi. Verùm si rem penitiùs inspiciamus; nequaquam, pro dialecticorum regulis, in his verbis rotundæ definitionis numeros omnes deprehendemus. Neque rarò Patres elogium aliquod rei cuiuspiam definitionis appellatione dignantur. Quia tamen recentioribus quoque nonnullis aliter visum est: libet eorum quoque videre consilia; & óbiter vulgarem

translationem discutere. Fidem igitur esse substãtiam alijs ita placet explicandum; vt hominis opes, & facultates dicuntur substãtia. Sed quia ferè sunt hi in castris aduersariorum; suspectum est, quod adferunt; quamuis græca dictio non abludat longiùs. Alij, quod in quaque re primum est, intelligunt, vt sunt, quæ in disciplinis gignunt scientiam. Quod autem additur, Sperandarum rerum, σεσ ἐλπιζομένων, quod olim legebatur Sperantium, ancipitis est intelligentia. Nam & Areopagita, apostolicæ vir authoritatis, ait diuinam fidem esse stabile, fixumq; fundamentum eorum, qui crediderunt; eos in veritate defigens, ac veritatem in ipsis. Hoc igitur magni est momenti: Græci tamen interpretes de rebus ipsis, quæ sperantur, accipiunt; & ob vocem πραγμάτων, meo iudicio, meliùs. Hactenus ergo latina sententia, quòd fides sit basis, & exordium omnis salutis. Progrediamur. Argumentum. Assensum (inquit Aquinas) intellige, quo adhærescimus veritati; secùs iudicaturus, si græcam dictionem inspexisset. Sed dè ea mox. Latinorum commentarius iste est: Per fidem adsentitur quis primæ veritati; vt neque dubitet, neque sciat; sed medio se habeat modo. Quid Græci? Ex Chrysostomo scholiastes ille mirificè, pauciscq; rem ita proponit; nimirum, fidem dici hypostasim, & substantiam; quòd rebus expertibus substantiæ fiat substantia. Exẽpli gratia dicitur Christiano, Patere fortiter, eme spem pretio, da omnia tua pauperibus: & habebis thesaurum in cœlo; particeps eris æternæ fœlicitatis; & huiúsmodi. Hæc promissa nusquàm adhuc cernuntur, aut subsistunt: fides autem mirabili virtute sua efficit in credentis animo iã videri, proculq;

Thom. 2.2 quę. 4. & 7. Ita legit Augusti. tract. 14. in Ioan. & lib. 2. ca. 32. de peccat. mer. & remiss. Ca. 7. de diuino.

adhuc

*adhuc posita non secùs lactare, fouere, roborare in aduersis animum; ac si coràm cernerentur, & manibus tenerẽtur. Ad* ἔλεγχος *autem vocabulum, Papè, inquit Chrysostomus, quale istud est, quod talem facit rerum euidentiã, qualis est, dum res ipse palàm proponuntur? Talis est demonstratio fides, qualem rhetores schema nũcupant. Quid enim alioqui martyres, dum tot sibi apparari supplicia conspicerẽt, aliud quàm fidem opponebant, ob oculos immortalis vitæ semèl bona omnia illis referentem? Voluit igitur suscepto negotio inseruire Paulus; & nutabundos Hebræos ad firmum præsidium fidei prouocare: ideoq́, in eum vsum, quod in fidei rebus erat commodissimum, in medium protulit. Nè autem Latinos frustrà docuisse crèdamus, hanc descriptionem aut esse definitionem, aut certè omnia complexam, quæ ad rei naturam declarandam requiruntur: nemo nescit habitus per suos actus, & officia rectissimè cognosci. Hæc autem, si vsquàm alibi, peruidentur optimè in ipsis, ad quas collimant, aut circa quas versantur, rebus. Atquì fides cùm ab intellectu, & voluntate à Deo mota proficiscatur; partìm veritatẽ, partìm fœlicitatem spectat, & duabus velutì manibus vtrumque corripit; nisi quòd secundum Deum voluntati priores debeantur, quæ auara boni, dum sese in illud effundit, impetu secum trahit intellectum, & ne ad veritatis lumen claudat oculos, imperat. Quoniam autem in ipsa voluntate, velut in radice, sunt charitas, & spes: hinc (aiunt nostri) in fidei definitione haud absre spes apposita est; cùm ipsa quoque fides potissimùm à voluntate promanet. Sed reuertamur ad Syrum Paulum.*

Est autem fides persuasio. *Per fidem homo plenissimè persuadetur, vt nulla supersit animi dubitantis anxietas.*

Super ijs, quæ sunt in spe. *Quæ per spem expectamus. Fides dicit, Crede, pollicere tibi; Deus non te fallet: tùm spes pertinaciter expectat.*

Perinde ac si essent ipsis in actu. *Vt seges, hortorumq; prouentus in semente, floribusq; consistunt, mox euoluto tempore in horrea comportanda: ita fides facit, vt homo certissimè sibi cuncta persuadeat, non secùs, quàm si re vera nunc existerent.*

Et reuelatio eorum, quæ non cernuntur. *Sic reuelare dicitur fides: quia facit intellectum cernere, & rebus acquiescere firmiùs, quàm si coràm positas contueretur. In eucharistia panis, vinique cernimus elementa: roga, quid sentiat catholicus; dicet se videre dominum Deum suum, corpus, & sanguinem Christi; & hanc fidem nullis machinis dè eius animo reuelles. Priusquam autem ab hac pericope discedamus; obseruare iuuat, illas duas expositæ nunc sententiæ partes capiti reliquo seruire. Nã cùm dictum est fidem esse hypostasim rerum sperandarum, ostendit eam non præterita solùm, sed etiam futura nobis exhibere: deinde vocans elenchum non apparentium, innuit non res tãtùm futuras præsentire; sed & multis antè seculis elapsas, oculis animi repræsentare.*

| *Syr.* | Vulg. |
|---|---|
| Et per hãc fuit testimonium dè presbyteris. Fide nãque intelligimus fixa esse secu- | *In hac enim testimonium consecuti sunt senes. Fide intelligimus aptata esse* |

super עַל

secula verbo Dei, & adspectabilia existere, quæ fuerant inadspectabilia. Fide offert Habel sacrificiũ melius, quàm Cain, Deo, & propter eam testimoniũ fuit perhibitum dè eo, quòd esset iustus, & testatur Deus super oblatione eius, & propter eandem, quandò etiam cæsus esset, loquitur.

*esse secula verbo Dei, vt ex inuisibilibus visibilia fierent. Fide plurimã hostiã Abel, quàm Cain, obtulit* Deo; *per quam testimoniũ consecutus est esse iustus, testimoniũ perhibente muneribus eius Deo; & per illam defunctus adhuc loquitur.*

Hobel. חביל
קין koin.

ET per hanc, &c. *Retinendam credidi græcã dictionem Latinis non ignotam. Nam tametsi presbyteri nomen, vt patriarchis hodiè tribuitur, non aliud ferè intelligatur, quàm senex: tamẽ christiana antiquitas, & iudaica aliquid agnoscit amplius. Et vt de beato Anacleto nihil dicam, epistola secunda causſam reddente, cur Abraham isto nomine, & senij elogio fuerit honoratus: Philo Alabarches in libro dè experrecto Noë dicit hanc appellationem diuinitùs fuisse sortitum, non ob annorum copiam; sed ob ipsius canam mentem; & quia maximè fuit idoneus, qui Deum coleret. Nam zaken senem haud quémquis, sed Deo placentem, & eius cultui ritè ministrãtem significat. Huiúsmodi igitur patriarchæ & ante,*

זקן

*& post legem testimonium consecuti sunt, per fidem promeruerunt, vt in scripturis multa de ijs præclara, & diuini erga eos fauoris argumenta passim traderentur. Sic vt plurimùm interpretes: & Apostolus id ipsum satis indicat, vbi Abel ait consecutum iustitiæ testimonium. Est igitur intelligendum istud testimonium de virtute, gratia, iustitia, & fide ipsorum, quarum laudes in sacris litteris frequenter occurrunt. Hæretici autem euerso Apostoli scopo, hinc se probare credunt hominem sola fide placere Deo; cætera nihil efficere: nos autem non ita pridem geminum fidei scopum vidimus, longè aliò deducentem; et Apostolus dè numinis fide sola comparando fauore non disputat; sed probat tantùm Iudæorum presbyteros ea præstitisse.*

*Quia autem cætera huius capitis ferè ad posteriorem partem tractatæ descriptionis, id est, ad futura pertinent: ideò proponit exemplum ex initio petitum Geneseos, quo ex fide rerum præteritarum demonstrationem haberi probet.*

Fide namque intelligimus. *Non habemus alia re persuasum Deum è nihilo condidisse omnia, nisi sola fide. Neque ratio vlla, aut facultas, aut philosophia id nos ita docuit; vt neutiquam fluctuemus.* Intelligimus fide, *seu per fidem, id est, credimus.*

Fixa esse secula. *Mundum ostendit, & quicquid eo continetur. Dicuntur autem fixa esse,* καταρτίσθαι, *eoq; prorsus modo perfecta: vt non sit metuẽdum, nè in nihilum relabantur. Possunt innouari: sed planè corrumpi, & absumi nequeũt. Vocabulum tamen* פאתקנו *syriacum dethhakanu ad rerum stabilimentũ pertinet: nè quis inani formidine cœlum ruiturũ, aut*

terram

terram inferiùs collapsuram vereatur.

Verbo Dei. *Certum est verbum siue sermonem significare filium rerum omnium opificem: sed mihi hoc loco arridet magis, vt de imperio, quo dixit*, fiat lux, &c. *accipiatur. Dei quidem proprium verbum est filius: sed vti more nostro scripturæ loquuntur; ita eius intelligere conuenit eloquium.*

Et aspectabilia existere, quæ fuerant inaspectabilia. *Græcis est* εἰς τὸ μὴ ἐκφαινομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι. *Exijs, quæ non videntur, facta sunt ea, quæ videntur, aiunt quidam. Quid hoc est? An quia rebus sub aspectum venire nequeuntibus Deus lumen infudit, vt videri possent? Minimè. sed iste sensus est. Ista, quæ nunc vbique cernimus, neque adspectabilia erāt initio, neque omninò vsquam extabant: Deus in rerum naturam sua virtute produxit. Vndè hoc Hebræis, qui non adfuerant, persuasum? Per fidem. Sit hoc igitur exemplum efficacitatis fidei in rebus præteritis. Déinceps quoniam isti maximè suorum patriarcharum afficiebantur exemplis, hos in medium ablaturus est Paulus.*

Fide offert Habel sacrificium melius. *Chrysostomus mirabilis sensuum Paulinorum indagator, hoc modo istud probat, quod ab Apostolo videbat assumptum. Si fides Habel istud non docuit, certè aliū est magistrum secutus: fratrem non potuit, vtpotè impium; neque parentes, qui iam impegerant: itaque fidem habuerit huius rei magistrā necesse est. Si cui hoc probandi genus non placet; Pauli debet cuiuis esse grauis authoritas: mox tamen aliquòusque id cōfirmabit, dicēs neminem sine fide placere Deo. Quia autem offerebat de primitijs, id est, lectissimis gregū;*

De hoc nomine diximus ad 23. ca. Matth.

meritò placuisse Deo sacrificium eius dicitur. Cain verò parcus, & auarus, de terræ frugibus, forsan & malignè de Deo cogitans, quasi præstantioribus haud esset dignus, offerens, itaque non benè diuidens, reprobatus est. Fide igitur obtulit Habel, quæ erudiebat à Deo salutem postulandam illiq; acceptam ferri oportere, eumq; summo cultu esse dignissimum, futurũq; vt cum fœnore restitueret olim, quod religionis ergo impendebatur.

Cain 1. possessio. Possedi hominem per Deum, aiebat Heua Genes. 4.

Matth. 23. Et propter eam, &c. Nimirum fidem, religionem, & pietatem, in scripturis prædicatur.

Et testatur Deus super oblatione eius. Respexit enim ad eius munera. Hebræi docent, & D. Chrysostomus, ex antiqua lectione, intelligendum de flamma diuinitùs erumpente, & vt in Heliæ factum est sacrificio, omnia consumente. Non desunt tamẽ, qui hanc testificationem ad Dei verba, quæ ad Cainum prolata sunt, referant.

Et propter eandem, quandò etiam cæsus esset loquitur. Etiam nunc cæsus, mortuusq; loquitur. Plerique de ipsius celebritate intelligunt. Ipse ante tot secula interfectus, trahit multos in sui admirationem; & martyrio clarus, ad fidei cultum efficaciùs, & sui imitationem, quàm si multa scripta reliquisset, exhortatur. Huius sententiæ sunt Chrysostomus, Theophylactus, Clemens Alexan. lib. 1. ca. 6. pædag. & alij. Non minùs tamen arbitror verè intelligi de illo, quem se Deus exaudisse testatur, clamore sanguinis: quia facinus tam erat indignum; vt Dei iustitia inultum ferre non posset. Is clamor ostendit & hunc Deo cordi fuisse; & próinde sceleratissimum, & impium Cain, qui inaudito antè parricidio

*cidio virum tam iustum occidisset. Sed ad alia migremus exempla.*

*Syr.*

Fide translatus est Chanuch, & mortẽ non gustauit: & non est inuentus, eò quòd Deus eum transtulisset. Nam etiam priusquam transferret eũ, testatum erat de eo, placuisse ipsum Deo. Nam absque fide nemo potest placere Deo. Debet enim, qui Deo appropinquat, credere Deum esse, & iis, qui ipsum quærũt, futurum remuneratorem. Fide Nuach, cùm locutus est (Deus) cũ eo super iis, quæ nécdum adspectabilia essent, timuit, & fecit sibi arcam ad seruãdum filios domus suæ, in quo

Vulg.

*Fide Henoch translatus est, nè videret mortem: et non inueniebatur; quia transtulit illũ Deus. Ante trãslationem enim testimonium habuit placuisse Deo. Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit. Fide Noë responso accepto de ijs, quæ adhuc non videbãtur, metuens, aptauit arcã in salutem domus suæ, per quam damnauit mundum, & iustitiæ, quæ per fidem*

Dei vocabulum nõ habet syrus.

quo debitorem fecit mundū, & factus est hæres iustitię, quę est per fidem.

*dē est, hæres est instituus.*

חנוך Chanuc, id est, consecratus, dedicatus.

FIde translatus est Chanuch, &c. *De hoc nomine satis inter omnes conuenit. Quómodo trāslatus? An sola id præstitit fides? Diximus iam frequenter fidē nec solam, nec maximè fociſſe: sed dùntaxat eum fortem, constantemq; inter pessimorū cōmercia reddidisse, persuasum pro iustitia vitā æternam Deum redditurum. Fide igitur inter diuexationes mundi, & præstigias, atque exempla pessima, reluctatus constitit: alioquin virtus, pietas, charitas, sacrificia, & similia non minùs merebantur. Fides enim non vt meritum ponitur; sed vt corroboratrix, vt eóusque persisteret, donec ob religionem, & charitatem, & rectè facta transferretur. Qualis fuit hæc translatio? Lucas, & Septuaginta habent* μετέθηκεν, *quasi transpositum dicas; Moses lakach, assumpsit; Syrus Paulus eschthani, quod partim mutatum, partim translatum sonat. Hebræorum doctissimi putant de morte dictum; quemadmodùm in Helia, & Iona legimus,* Tolle animam meam; *quod hæretici huius ætatis Iudaismo fauētes impensiùs amplectūtur: sed nos, quid hac de re Patres in scriptis reliquerint, ad Matthæum docuimus. Et vt omnis tollatur scrupulus; habemus apertum in scripturis testimonium,* Trāslatus est in paradisum, vt det gētibus pœnitentiam. *Quia autem is liber non habuit forsan Chrysostomi temporibus tantam authoritatem: eápropter monuit ille, vt hac in re non simus*

לקח אשתני Super Gen. ca. 5. quod nugamentum hic aperte refutatur.

Eccle. 44. Vide Prosperum in libro de promissionibus.

*nimiùm*

*nimiùm curiosi, & in decernendo præcipites. Causſæ huius transportationis ſunt variæ. Sapientiæ quarto redditur nonnulla,* Nè malitia mutaret intellectum illius, &c. *adhæc vt diſceremus Dei certas eſſe promiſſiones; vt q̃, nimis nè exterreret eius comminatio,* Quacunque hora comederis, &c. *voluit oſtendere mortis imperium per ſemen mulieris eſſe comprimẽdum: déinde vt videret Adamus, quid perdiderat peccãdo, quidq̃ futurum eſſet ad poſtremum fidelibus, ſi Deo morigeri fuerint.*

Eò quòd Deus eum tranſtuliſſet. *Jonathas Chaldæus, Et non fecit eum Deus mori.*

Nam etiam príuſquam transferret eum, &c. *Vbi? Si quis mtueatur capite quinto Geneſeos, vbi iſta referuntur, his dici,* Ambulauit Henoch cum Deo; *facilè inducet in animum Paulum referre, & interpretari, quod ibi à Moſe repetitum eſt: cùm nihil aliud ſit ambulare cum Deo, quàm ei placere; vel (vt hebræa ſonant) ambulare ad, vel poſt Deum, id eſt, vehemẽter illi placere. Sic ſanctus Noë dicitur ambulaſſe coram Deo; & ad Abraham aiebat ipſe Deus,* Ambula coram me, & eſto perfectus, *ac Deutero. 13.* Ambula poſt Dominum tuum: *vt aliud nihil ſibi velit ea phraſis, quàm Dei mandatis obtemperare, & ſingulari familiaritate, & amicitia illi coniungi. Sed & illud ad huius viri laudem facturum eſt, quòd poſt genitum Mathuſalam ántequã alios ſuſtuliſſet liberos, dicatur ambulaſſe cum Deo, & iterùm in ipſo raptu, vt à puero ſanctimoniæ, & religioni conſecratum appareat. Jonathas Chaldæus ait eum timore ſancto ſe Deo approbaſſe.*

Nam

Nam absque fide nemo potest placere Deo. *Henoch igitur insigni fide illustrem fuisse necesse est. Deus enim neminem consueuit antè beare, quam per fidem sit exercitatus; vt aliquatenus ex merito præmium veniens gratius sit. Adhæc cùm iubeat, quæ in manibus sunt, abijcere; & quæ nusquàm apparent, sperare; tollere crucem, animam prodigere; opes, delitias, & quicquid in mundo pulchrum, ac suaue, cõtemnere: quis hæc audiat fide destitutus? Prætérea cùm sit benignissimus iuxta, atque maximus Deus; vult eos, de quibus est benè meritus, & in postremum optimè meriturus, optimam de eo cõcipere persuasionem; ægerrimè ferens, si quis vsquam desperet.*

Debet enim, qui Deo appropinquat, credere Deum. *Altera est probatio. Qui cum Deo vnum quid euadere cupit, in primis Deum credere necesse est, eumq; optimum, & maximum, & æternã apud eum fœlicitatem esse repositam. Nam si ista nõ credat; neque amabit, neque colet: cùm ignoti nulla queat esse cupido.*

Et ijs, qui eum quærunt, futurum remuneratorem. *In hac voce est argumentum probationis meritorum catholicorum; in quo refellendo, & obscurando laborarunt hæretici interpretes omnes. Iis igitur, qui Deum exquirunt, qui Deum religiosè colere, ac illius mandatis obedire, hicque fraudare genium voluerint, dabitur olim copiosissima merces.*

Fide Nuach, cùm locutus est (Deus), &c. χρηματισθεὶς. *Cùm ipsi Deus oraculo indicasset, sibi decretum orbem demergere; ac próinde monuisset arcam exædificare: fide magistra timuit Deum; non vt mancipium, sed εὐλαβηθεὶς, vt cultum, amoremq; timor*

mor illius habuerit, futurũ procul dubiò credẽs, quod Deus prædixerat. Neque mediocris fuit ista laus viri: cùm eóusque apud omnes numinis reuerentia, metus, fideſq; laborarent, vt Euangeliſta teſte, immò Dei filio, eo ipſo die, quo intrauit in arcam, baccharentur adhuc, & conſuetis ebrij voluptatibus operam darent, donec inopinato malo pariter opprimerentur. Addidimus autem Dei nomen, quòd intelligi debeat, & in græ. voce lateat: & (nécdum) potius verti lo, quàm (non) ob græcum Pauli μηδέπω, cùm Syra dictio id ferat, & certiſſimè ita intelligenda ſit. Luc. 17. לא

Et fecit ſibi arcam. Græci κιβωτὸν, Syri non diſſimili vocabulo kibutho, Moſes thebath, Beroſus Chaldæus citatus à Joſepho πλοῖον. Quantum autẽ licet ex his appellationibus, & Moſis deſcriptione colligere, habebat noſtrorum loculorum effigiem. Cap. 15. li. 1. Antiqui. קבותא אחברת

Ad ſeruandum filios domus ſuæ. nempè, familiam cum tribus vxoribus filiorum. Eſt enim hebraiſmus.

In quo debitorem fecit mũdum. Syra phraſi debitorem eſſe nihil eſt aliud, quàm reum eſſe, & condemnandum: quod intelliget, qui ſermonem Bethſabeæ apud Dauidem de Adonia conquerentis obſeruarit, Erimus ego, & Solomon peccatores, id eſt, rei, & condẽnati. ſicutì regina Auſtri condemnabit. id eſt, faciet reos. Fecit igitur ſeculum inexcuſabile. Nec enim defuit tempus ad pœnitendum; nec quod imitarentur, ſi voluiſſent, exemplum. Lib. 3. Reg. cap. 1.

Et factus eſt hæres iuſtitiæ, ſiue poſſeſſor. Duo prædicat Apoſtolus fidei Noachi præmia; primum, quòd per fidẽ iuſtificatus eſt, id eſt, magnum accepit

eius

*eius iustitia incrementum (Nam priùs iustum fuisse liquet, qui ambulasse cum Deo dictus est) deinde factus est eiusdem possessor iustitiæ. Sic Habel commemoratur iustus, sic Henoch, sic tertius Noë non sibi tantùm, sed familiæ suæ hanc iustitiæ laudem promeruit; vtq; in suis nepotibus maneret fides, iustitia, & germanus cultus, & ex ijs tandèm Christus progigneretur.*

Crepusculo feriæ tertiæ passionis, & Patrũ, *scilicet festis. Nam ij celebrantur festis non solùm apud Syros, & Armenios; verùm etiam apud Græcos.*

*Syr.*

Fide Abraham, cùm vocaretur, obediuit, vt egrederetur in terram eam, quam accepturus esset in hęreditatem. Et egressus est, cùm nesciret quonã iret. Fide fuit aduena in ea terra, quæ ipsi promissa erat, quasi in aliena: & in tabernaculis degit cum Isaac, & Iacob filiis hæreditatis sibi factæ promissionis. Respiciebat namque ci-

Vulg.

*Fide qui vocatur Abraham, obediuit in locum exire, quẽ accepturus erat in hæreditatẽ: et exijt, nesciens quò iret. Fide demoratus est in terra repromissionis, tanquam in aliena, in casulis habitando, cum Isaac, & Iacob cohæredibus repromissionis eiusdem. Expectabat enim fundamẽta habentem ciuita-*

tem,

ciuitatem, cui foret fundamentum, cuius artifex, & opifex esset Deus. Fide Sara, cùm sterilis esset, accepit vim concipiendi semen; & haud quaquàm in tempore annorũ suorũ peperit: quòd eũ fidelẽ sibi persuaderet, qui promisisset. Quápropter ex vno, & quidẽ senio prohibito, geniti sunt multi instar stellarum, quę sunt in cœlo; & instar arenæ, quæ est in littore maris innumerabilis.

*tem, cuius artifex & conditor Deus. Fide & ipsa Sara, sterilis, virtutem in conceptione seminis accepit, etiã præter tempus ætatis: quoniam fidelem credidit esse eum, qui repromiserat. Propter quod & ab vno orti sunt, & hoc emortuo, tanquam sydera cœli in multitudine, & sicut arena, quæ est ad oram maris innumerabilis.*

FIde Abraham, cùm vocaretur. καλούμενος. *Debemus & appellationem, et diuinitùs factam vocationem, quando egressus dè Charan cum beato Loth intelligere; tametsi constet ex Syro propriè hanc Paulum respexisse. Estné hoc totũ, inquiet aliquis? Itáne fidem ille suam heroicam declarauit? Nemo facilè adsequitur, quid sit patriam, cognatos, affines, parentes, familiam, domum, opesq; deserere; certa pro dubijs, vt carni saltem videtur, abijcere, spem tanto* Genes. 12. Actor.

*emere pretio. Adhæc est aliquid nosse sedes vbi fatæ quietas designent: sed prorsum in incertum vagari, peregrinum ex indigena fieri, neque scire, quo tandem in loco consistas; arduum est.*

Fide fuit aduena in terra. *Id adeò verum, vt dicat beatus Stephanus nec vestigiũ pedis in ea possedisse, præter sepulchrum. In sua igitur terra, velut in aliena, versabatur.*

Et in tabernaculis degit, παρῴκησεν. *Non exstruxit domum: sed sub pellibus habitauit. Num ista videntur infirmæ fidei argumenta? Et quidem cum filijs hæreditatis, hoc est, hæredibus, &c.*

Respiciebat namque ciuitatem. *De Abraham loquitur: sed de filijs quoque est intelligendum.* בסכא *Verbum mesacce est respicere post tergum, oculos in cœlum conijciendo. Illa spes futuræ cœlestis ciuitatis, quæ gemmeum, & crystallinum haberet fundamentum, sustẽtabat illius animum; vt libẽret Deum sequi. Sic cùm nobis est molestum ieiunare, & pijs operibus reliquis operam dare; respicienda sunt cœlestia.*

Cuius artifex, & opifex foret Deus. *Nemo præter Deum eius structuræ manum admouit. Sic Abraham spe vitæ æternæ obediuit; cuncta quæ habebat reliquit, persuasus Deum abunde compensaturum.*

*Hactenus virilia exempla: nunc, vt magis iritet animos; muliebre subiungit, sed matris omnium credentium, Saræ.*

Sara, cùm sterilis esset. *In his pauciſſimis dici vix potest, quanta seges argumentorum; si quis pia curiositate velit immorari. Initiò quæritur, cur eam Paulus à fidei præstantia duxerit prædicãdam: cùm*

*scriptu-*

*scriptura docere videatur agrè tandem acquieuisse promissioni? Risit enim, cùm audiuisset filiũ sibi promitti; & qualis fuerit risus, angelus exponit. Respõderunt tamen interpretes, & meritò, ipsam quidem cum marito risisse (Nam & ipse Abraham dicebat,* Genes. 18. Num cẽtenario nascetur filius, &, Vnde scire hoc possum, &c.) *& principiò hæsisse vtrumque: mox tamen præbuisse consensum; ita vt Sara se risisse póstea inficiaretur. Nomen mutatum est, vt Deus* Genes. 17. *testatum Abrahamo faceret, non solùm ex ea sortiturum semen; sed copiosissimam adepturum posteritatem: ideoq; Dominam omnium vocari iussit. Cùm* Ibid. 17. *esset igitur sterilis, id est, cùm nequiret cõcipere (sunt enim alioqui multæ caussæ sterilitatis) & communi* Genes. 16. *sanctis mulieribus vitio laboraret:* Ecce dominus conclusit me, &c.

Accepit vim concipiendi semen. *En, exponitur vitium sterilitatis.*

Et haudquaquam in tempore, &c. *Accedebat sterilitati senectus: sed Deus eóusque distulerat, vt partus esset miraculum. Hinc ipsa,* Omnis, qui audierit corridebit mihi: *vndè & puero nomen.* Ibid. 21.

יצחק ij tschak. Syri pingũt אישחק quod abundare, & redundare significat, sed est syriaca proprietate tso de mutatũ in samech, iischok.

Quapropter ex vno, & quidem senio impedito. *Cùm esset tam abhorrens natura à generatione; factum diuino munere, vt ex vno, &c. Noster habet emortuo; quod quidem ad generandi facultatem attinet.*

Geniti sunt multi, instar stellarum. *Hac etiã hyperbole Deus illi sic futurum condixerat. Cur ergo certo numero ingressi, & egressi Ægyptum? Respondent reliquam ibi turbam non numerari: & si quandoque fuerint numerati; quotidiè tamen in tantam*

*euadunt multitudinẽ veri Abrahamæi, vt inirinequeat numerus.*

Syr.

Fide mortui sunt hi omnes; neque acceperunt promissionem suã: sed éminus eam viderunt, & eam apprehenderunt, & confessi fuerũt se hospites, & aduenas esse in terra. His autẽ, qui hæc dicũt, ostendũtque ciuitatem suã se requirere; non defuit tempus reuertẽdi, ac proficiscẽdi illuc, vndè egressi fuerant; siquidem istam ciuitatem requisiuissent. At nũc constat meliorẽ illa desiderauisse eã, quæ in cœlo est. Hãc ob rem Deus non erubescit vocari ipsorum Deus. Nã Deus ipsis parauit ciuitatem.

Vulg.

*Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis, repromissionibus: sed álonge eas aspiciẽtes, & salutantes, & confitentes, quia peregrini, & hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere. Et si quidem ipsius meminissent, de qua exierunt: habebant vtique tempus reuertendi; nũc autẽ meliorẽ appetunt, id est, cœlestẽ. Ideò non confunditur Deus vocari Deus eorum. Parauit enim eis ciuitatem.*

Nequ

NEque acceperunt promiſſ. *Quómodo eſt id de ſingulis verum? An non Sara accepit filium? Nunquid non effugit Noë diſcrimen diluuij? Henoch nunquid tranſlatus non eſt? Hinc diſcimus regulam, quæ nos mirum in modum in omnibus prophetijs confirmabit, & tãtò magis, quantò minùs hoc hæretici viderũt; nempè, aliud in littera, aliud in ſententia frequenter intelligendum. Illæ enim promiſſiones, quæ ad tempus fiebant, aliud promittebãt, & ab ipſis ſanctis de alio intelligebantur. Nec enim Abraham, & Sara beati acquieſcebant in Iſaaco: ſed porrò longiùs extendebantur, & Chriſtum naſciturum, atq; orbẽ per eũ redimendũ ſpectabant. Noë nõ tã de arca ſua perlata in mõtes Armeniæ, quàm de Chriſti baptiſmo cogitabat. Sic reliqui myſteria noſtra in ſuis illis qualibuſcũq; cõſpicabãtur, & adorabãt, quæ in Chriſtianorũ erãt quandoq; exoritura ſalutẽ. Hoc igitur vult Paulus, ipſos in typis defunctos, nec ad ipſum Chriſtum, niſi merito peruenìſſe. Et ad eundẽ modum in reliquis prophetijs, & pſalmis debemus in Chriſtum collimare; ſicut ipſemet Seruator nos edocuit, inquiens:* Abrahã vidit diem meum, &c. *cùm immolaturus filiũ, vidit éminus, quid olim Deus pater pro totius mundi ſalute eſſet facturus.*

Apprehenderunt. *Fide, & expectatione, pro ſui temporis ratione hauſerunt, facti futuræ gratiæ participes. Lucas clariùs, Procul eas cùm vidiſſent, & ſalutaſſent: ducta metaphora, teſte Chryſoſtomo, à nauigantibus, terras éminus lætis conſpicientibus. Illi tenuem vmbellam rerum, quæ nobis opulẽter ſuppeditantur, cernebant; ſua nos pietate condemnaturi, niſi vehementer iſta nos ad animi gratitudinem in-*

flammarint.

Et confessi fuerunt se hospites. *Ita Deus interdum Abrahamum alloquebatur*, Dabo tibi, & semini tuo terram peregrinationis tuæ. *Sed & ipsemet, solicitus de sepultura uxoris suæ, dicit se inter Hethæos aduenam, & peregrinum: qui non tantùm aduentitius esset in regionem, in qua deinde sit perpetuò sedes habiturus, verùm qui nusquàm hæreret, sed subinde castra moueret, lociſq; loca demutãs, hospitis instar vitam ageret vagam. Ex his cernere est istos homines prorsùs alienos à nostris fuisse sordibus: neque solam habuisse insignem in Deum pietatem; sed rerum istarum, quas mortales miserè cupiunt, & admirantur, sublimem contemptum. Notanda epitasis in verbo* Inquirendi, *quod vehemẽs, & operosum studium significat.*

Non defuit tempus reuertendi, &c. *Erat plus satis temporis ad reuertendum: sed cùm alteri ciuitati, & patriæ iam nomina dedissent; ad relictam non amplius aspirabãt. Vid'en rursus aliud dici, et aliud intelligi?*

Hanc ob rem Deus non erubescit, &c. *Ob hunc mundi contemptum, & heroicos animos, qui sese rebus transeuntibus circunscribi minimè permittebant, totum cœlum, ipsumq; Deum complexos Abrahami, & cæterorum similium, Deum se frequenter appellat. Ciuitatem autem cœlestem Ierusalem tanquàm ipsorum quieti, & fœlicitati præparauit; & ea spe generosas eorum mentes fortiter hic intérea exercebat. Quod si primitiæ fidelium rerum peritura-rum abiectione, & fastidio tantùm promeruêre: quid ijs fiet, qui post Christum, eiusmodi pauper-*

tatis

*tatis vnicum exemplar, quicquid habebant in manibus, opes, et mundum vniuersum religionis amore libenter abiecerunt?*

*Syr.*

Fide obtulit Abrahã Isaac in tentatione sua, & vnicum suũ stitit altari is, qui eũ acceperat per promissionem. Siquidem ei dictum fuerat, In Isaac vocabitur tibi semen: & cogitabat in anima sua in manu esse Deo vel è mortuis excitare. Quarè & in parabolam datus ei fuit. Fide de futuro benedixit Isaac Iacob, & Esau. Fide Iacob moriẽs benedixit vtrique filio Ioseph; & adorauit caput virgæ eius. Fide Ioseph, cùm moreretur, dè exitu filiorum Israël meminit, & de ossibus suis præcepit.

Vulg.

*Fide obtulit Abraham Isaac, cùm tentaretur, & vnigenitum offerebat, qui susceperat promissiones; ad quem dictum est: Quia) In Isaac vocabitur tibi semen: arbitrãs quia & à mortuis suscitare potens est Deus. Vndè eum et in parabolã accepit. Fide & de futuris benedixit Isaac Iacob, & Esau. Fide Iacob moriẽs singulos filiorum Ioseph benedixit: & adorauit fastigium virgæ eius. Fide Ioseph, moriẽs, de profectione filiorum Israël memoratus est, & de ossi-*

*de ossibus suis mã-dauit.*

NOn ignorabat Apostolus *Abrahami* nomen apud *Iudæos* gratissimum, & celeberrimum: ideoq; alterum eius proponit exemplum, in quo stupenda fidei constantia, & inuictum robur elucet.

Fide obtulit Abraham Isaac in tentatione sua. *Cùm à Deo tentaretur, non ignorãte; sed (vt optimè Theophylactus) cunctis illius vt fidem declararet, neque immeritò ipsum à se tanti fieri. Quia autem heroina Iudith dicit in multis exercitum tentationibus: oportet hanc multiplicem intelligere. Facta illi fuerat promissio, diu de fidei filo pependerat, seni demùm obtigit proles, adultum filium vnicum iubetur mactare, charissima viscera iugulare, offerre, incendere, in quo tota posteritatis spes concidere, immò totius mundi salus periclitari videbatur; neque locus nominatur sacrificij; & per triduũ paterni affectus suspenduntur. Inter hæc nisi fides adfuisset; quid putas vel patri futurum, vel filio? Iniecta autem mẽtione resurrectionis, tempestiuè Sadducæorũ, qui tempore Pauli apud Iudæos magistratus ferè gerebat, error eliditur, à quibus mirum in modum Hebræi diuexabantur.*

Iudith. 8.

Quare. ὅθεν. *vndè. Beza solum hîc suum Caluinum videntem facit*, vndè, *seu ex quo, nimirum à mortuis, interpretantem. Abraham filium suum è morte recepit. Sic enim vulgò dicimus, reuixit, dum è mortis ereptum aliquem cernimus discrimine. Sed aliud vult Paulus. Quápropter.*

Et in parabolam datus ei fuit. *Et cùm natus est, &*

*est, & propriè cùm nunc illum tantùm non mortuũ recepit. Qui* ὅθεν *aduerbialiter accipiunt, parabolam interpretantur de resurrectione omnium nostrum; vt de vita periclitatus, redditusq; parenti, fideles olim vitæ reddendos portenderit: sed vetustissimi theologi de Christo volunt exponi. Abrahamus enim patris, Isaacus filij typum gerebat, pro nobis in crucem ex æterno parentis sui decreto suffigendi. Quamuis enim sæuitum fuerit in illius humanitatem; mansit intacta diuinitas; & póstea redditus est immortalitati.*

Fide de futuro benedixit Isaac Iacob, &c. *Græci legunt* περὶ μελλόντων. *Est hæc periphrasis eius, quod habuimus,* Sperandarum rerum. *Pro Esau Syri legũt Isau, quod factorem, seu facturum sonat: nisi quod placeat nonnullis vaf esse seruilẽ, & tineã eius, quia talis fratri ante reditum fuit, significare. Videbat igitur Isaac posteros Iacobi probos, & Dei fore cultores; Esau autem impios. Mirum est autem hominem peregrinum filio tam imperiose benedicere,* Possideas portas inimicorum tuorum; *cùm is exsul, & propter fratris odium profugus, ac deinde nusquàm penè tutus vixerit: sed omnia in futurum longiùs prospectabant. Illi enim illustrati fide homines, longè alia voluebant in animo, quam nunc hæretici credant.* Genes. 27.

עמר

Et adorauit caput virgæ eius. *Iam olim ab ætate Augustini dubitatum fuit de isto pronomine,* an eius, *an verò* suæ *legendum esset. Syrum vocabulum vtrumque ferre videtur. Sed quod dè virga dicitur habet maiorem quæstionem. Nam cùm hodie legant Hebræi chammitto; Septuag. autem* ῥαβδὸν: *contendit Hieronymus deceptos mattheh, hoc est,*

Aug. super Gen. ad literã legit. suæ. Genes. 47. Eo loco Hiero. addit vocem (Dominũ) quæ nõ est in fonte.

מטה

מטה

*scipionem, loco mittah, quo nomine lectum Hebræi vocant, legisse. Mihi sanè prodigium haberetur, si tot homines doctissimi, ac sanctissimi in tantilla sua dictione deerrassent; præsertim cùm D. Paulus, et Lucas eos ad verbum sint imitati. Paulus enim, scribens*

דושרא
chutre.

*Syriacè, ea voce vsus est, quæ aliò trahi non possit, quã ad scipionem, aut fastem, eandem Lucæ Syrus interpres adhibet ad ca. 22. vbi milites ad Christũ comprehendendũ egressi cum fustibus narrantur; vt Samuelem omittam referentem Goliath exprobrantem*

Reg. 17.

*Dauidi, quia cum baculo ad conflictum descẽderet. Adhæc vsque ad caput 48. Genes. nulla infirmitatis mentio; vt lecto fuerit opus: tantùm præsensisse diem mortis suæ instare in fine 47. cap. dictum erat. Patriarcham autem valentem, & sanum imponi lectulo non est auditum. Quod autem Gennadius, & Steuchus episcopus, quem secutus est Lipomanus, dicunt in libris regum quiddam haberi simile, similiterq; ab ipsis Septuaginta translatum, nusquàm inuenitur;*

Vers. 47.

*nédum libro tertio, quem Steuchus tamen nominat, capite non indicato. Quòd si Gennadius de loco cap. primi tertij Reg. sensit, vbi hebr. hæc habentur vaiythachu hamelec al hammischicab, Septuag. verterunt* καὶ προσεκύνησεν ὁ Βασιλεὺς ἐπὶ τῆς κόιτης αὐτοῦ;

ויאתז
המלך
אל ראש שכב

וישתחו
מלכא ע
שרירא

*Jonath. vsq; id malco al schiuio, id est, Adorauit rex super stratum. In his verbis neque est mentio capitis* ראש
*roa sch; neque eadẽ ambigua dictio mittah; & de languido, ac moribundo Dauide est sermo. Quare mirũ non est, si trãstulerint omnes cùm cætera, tùm al præpositionem consentaneè Hieronymo dicenti,* Et adorauit rex in lectulo suo. *Certè al nominibus rerũ*

מטה

עד

עד

*adorandarum præpositum, tantũ obliquum indicare*

non

*non rarò, minimeq; verti debere per super, suprà, in, &c. discas Leuit. 26. & Esaiæ 60. testibus Septuaginta, & Hieronymo; id quod in præpositione el vsu venit psal. 5. & 137. vbi legimus,* Adorabo ad tẽplum sanctum tuum; *quorum loco lamed creberrimè ponitur. Nos igitur phrasi hebræa à 70. & Hierony. alibi probata, & catholica versione, ac traditione freti hebræa, græca, & syra, ambigua in re tanti momenti, et antiquissimæ controuersiæ, voluimus orthodoxiæ patrocinari, rationibus hîc iam indicatis, quæ nos mouerunt. Siquidem Paulinum, & 70. græcum illud ἐπὶ τὸ ἄκρον ádmodum est dubium, propter creberrimam vtrarumque præpositionum abusionẽ. Denique vt Syri hîc, & Ionath. Genes. 47. lubricum al retinuerunt: ita Syris, & Chaldæis æquè ambiguũ esse, eiusdemq; vsus, cuius sit Hebræis, pono extra cõtrouersiam. Quid igitur sibi vult:* Et adorauit caput virgæ eius? *Iterum est subnotandum Hebræos, & Græcos paullò amplius habere, nimirũ, al roasch, ἐπὶ τὸ ἄκρον: vndè quibusdam videtur hæc sententia, Iacobum senio grauem innixum scipioni salutasse filium, & Ægyptiacam reuerentiam eius caput osculando exhibuisse. Gennadius, & Theodorus fastigiũ virgæ, seu scipionis osculatum volunt, loco capitis Iosephi; vt nunc aulici manum deosculari solent. Sed si filium perpendas, videbis euẽtum illius somnij, quod viderat Ioseph puer, enarrari. Adorauit enim Iacob virgã Iosephi, & in eo quoque mater, & fratres: quẽ admodùm Chrysostomus cum suis intellexit. Et nè diuersis facilè commẽtarijs adsentiamur, est in actis Nicæni alterius concilij Hadriani pontificis epistola ad Constantinum, & Irenen, in qua cùm docere vellet non*

Vers. 1. Vers. 14. Vers. 8.

אל

ל

על

ראש-על

let non hærere in picturarum, & imaginum coloribus, sed animum in prototypa dirigere, adfert hunc locum, & exemplum Iacobi, qui virgam adorans, nõ scipionem, sed, cuius erat, filium Ioſephum ſpectabat. In eodem concilio profertur ex Leontij libro 5. apolo. aduersus Iudæos fragmentum, quo tuetur Christianos imaginum veneratores ab idololatriæ scelere, adferens alioqui simili piaculo Iacobum teneri, qui Ioſephi virgam adorauit, non baculo, sed filio tantùm, non Ægyptiregi venerationem tribuẽs. Adde Germani in eodem concilio citatam epistolam, in qua per istud Pauli dictum imaginibus suus honor adscritur. Quocirca videtur non satis eruditum, captatis voculis hebraicis, & pro punctorum additamẽto recusis, iná, aliam significationem transpositis, cúm septuaginta inuidiam creare, túm veterum expositiones euertere. Magis autem Theodori, & Procopij Gazæi sentẽtiam approbo, qui partim ob singularem in filium amorem, partim ob summam post Pharaonem dignitatem, Iacobum hoc honoris habuisse filio dicunt; ac simul fide magistra oculos in Christũ cõiecisse, sicá, ad caput, aut versus caput virgæ eius adorasse.

Fide Ioſeph, cùm moreretur. *Res obseruatu dignissima, veteres afflatos singulari numine, cùm hinc essent emigraturi, qui tamen in vita vates extitissent: sed maximè, cùm mors esset in ianuis. Dudũ de Iacob audiuimus: hîc de Ioſeph, qui cygneam velutì prophetiam canit in morte, confirmans Israëlitas, vt de liberatione à seruitute factas patribus promissiones cum fide expectarent.*

Genes. 15.

Et de ossibus suis præcepit. *Hîc primùm quæri-*

*quæritur, quámobrem Ioseph, tanto antè tempore, de suis ossibus fuit solicitus? Nam vt Plinium, qui ea de re solum hominem solicitum ridet; poëtas, & philosophos plerosq; Cyrenaicos omittamus: prisci martyres súsque deq; tulisse videntur, humine, an in sublimi, an verò in aquis corpora iacerent; & Ignatius leonum ventres pro sepulchro prolixè desiderabat. Verùm enimuero non propterea Christiani hominis corpus contemni volebant, quod ipsi, dum liceret, magno sumptu, & studio sepulturæ mandabant: sed cùm esset ijs cum tyrannis negotium, ea ratione terrorem incutere molientibus; fortiter ipsi contemnebãt. Certum est enim sanctorum corpora vera fuisse templa Spiritus sancti, et lectissima organa; ideoq; apostolicis quoque temporibus balsamo inuncta fuisse. Volebant igitur Patres in maiorum quiescere monumentis, respicientes ad populum, & ciuitatem Dei. Nam cùm Ægyptus typum gerat ciuitatis Diaboli; non abs re curauit Ioseph us, vt inde asportaretur.*

## Interfectione Infantum.

| *Syr.* | Vulg. |
| --- | --- |
| Fide patres Mosis occultauerunt eũ natum tres mẽses; quòd viderent scitum esse infantem; nec timuerunt præceptum regis. Fide Moses, iam vir factus, renuit vocari filius filiæ Pharao- | *Fide Moses, natus, occultatus est mẽsibus tribus à parẽtibus suis, eò quòd vidissent elegantem infantem: & non timuerũt regis edictum. Fide Moyses, grandis factus, nega-* |

raonis; maluitque in pressura esse cum populo Dei, quàm breui tempore deliciari in peccato; & arbitrabatur maiores diuitias opprobrij Christi, quàm thesauros Aegypti. Respiciebat namque in redditionem mercedis. Fide dereliquit Aegyptũ, neque metuit ab ira regis. Perinde nãque affectus erat, atque is, qui Deum vidit, qui minimè videtur.

*negauit se esse filiũ filiæ Pharaonis: magis eligens affligi cũ populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatẽ; maiores diuitias æstimãs thesauro Aegyptiorum improperium Christi. Aspiciebat enim in remunerationem. Fide reliquit Aegyptũ, non veritus animositatem regis. Inuisibilem enim tanquàm videns, sustinuit.*

*HActenus Apostolus disseruit de præstantissimis, & Israëlitis omnibus meritò suspiciendis viris: nunc si credamus interpretibus, miscet inferioris notæ virtutem, parentes Mosis. Iosephus tamẽ haud ferre videtur eam distributionem, qui in antiquitatibus suis Israëlitarum nobilissimum Ammiramum fuisse testatur; vtpotè natum patre Caath, quo viuo nihil ausi sunt in fraudem Israëliticæ gentis Ægyptij tentare. Vxorem autem ex tribu Leui, patris sororem duxerat. Quoniam igitur non alienũ*

Lib. 3. c. 9. Caath mortuus ante natum Mosen circ. 35. an.

erat

erat argumentum ab ijs rebus, quas Hebræi Ieroſolimitani patiebãtur: Paulus eos adſciſcit, vt ad Moſen facilè decurreret oratio.

Patres. De parentibus interpretor, vti commẽtatores omnes. Nihilóminus hoc ita poſitũ in fontibus παλέφων, & auohauhi, videtur innuere, quod non ſoli Ammiramus, & vxor, de Moſe fuerint ſolicíti; ſed vniuerſus populus, & potiſſimùm contribules: præſertim cùm referat ille ſcriptor patrem de puero naſcituro anxium, ac ſubinde precibus Deum fatigantem, oraculo admonitum fuiſſe, vt bono eſſet animo, futurumq; ſperaret, vt non tãtùm eriperetur periculis infans, verùmetiã populi olim liberator exiſteret. Eodem facere poſſet occultandi verbum pluralis numeri; ni Actorum capite 7. diceretur in domo paterna nutritus: itaque proprium fuerit iſtud officium parentum. אבהוהי

De nomine Moſis, quod ſatis eſt, aliàs diximus. Extabat quõdam inter Æthiopum monumenta libellus inſcriptus de cultura terræ, vbi dicitur Moſen apud Ægyptios dictum munios, quod tantundẽ ſignificat. Cæterum à Ioſepho manaſſe videtur, vt Moïſen pronuntient plurimi. Sed viderint Aegyptiæ linguæ periti, quid hoc nomen valeat: certè apud Moſen ipſum aliud habemus, à radice maſchah, vnde moſcheh extrahẽs, educẽs, & propriè ex aquis. Sed quómodo occultarunt? Num viſa eſt mater geſtare vterum? Reſpondent tacitam peperiſſe, adiuuante Deo, partumq; facilè corycæos ea ratione fefelliſſe aliquandiu. המוניום משה משה

Quòd viderent ſcitum eſſe infantem. Moſes narrat Iocabeth, ſeu (vt Ioſephus vocat) Ioachebelen יוכבד

belen occultasse puerũ, et vidisse elegãtem: Paulus de vtrisque id refert coniugibus; vt in Exodo debeamus enallagen accipere. Hebræus autem de se scribẽs Moses tob bonum, Ionathas tab, Septuaginta ἀστεῖον vocant, quam vocem Lucas seruauit; & Stephanus velut explicãs ἀστεῖον τῷ θεῷ, Syrus eius interpres rachim, dilectum reddidit. Hic autem in Paulo est schaphir, quod superiùs erat, vbi dictum est neminem sine fide placere Deo. Videbant igitur puellum elegantem, Deoq; placentem. Qui hoc scire poterant? Theophylactus ait persuasos elegantia blande arridentis pueri: & succinens Iosephus, dicit tam formosum fuisse, vt aspicientium leuiter mox oculos in se defixos retineret. His accedentibus ad patri factum priùs oraculum, mirum non est, si quid singulare sibi polliceri, & simul laudere de isto puero sint adducti. Quin videtur ipse Moses cum lacte imbutus ea spe, & expectatione, vt populum liberare deberet; si concionem D. Stephani penitiùs intueamur.

טֹוב טוב

רחים שפיר

Nec timuerunt præceptum regis. Ipsa quidem occultatione metum prodebant; non eum tamẽ, qui penitùs absterreret à pietate. Sed vbi fides? Nã tandem exposuerunt infantem. Caluinianus commentarius adserit veram eos fidem amisisse, vineta nempè cædens ipse sua, qui doceat alibi semèl habitã deperire non posse. Num fidem hos energiæ plenam, atque viuentem habuisse negabunt; & Apostolum falsitatis aspergent infamia? Non arbitror. Absit igitur, vt præstantissimos homines istos fidem abiecisse credamus: libuit tamen aduersariorum inconstantem insaniam perstringere. Nec enim refert siue opinionis suæ vanitate, siue ipsa veritate confutes hæreticum.

*ticum. Non fuissent igitur ab Apostolo laudati, si diffisi promissis Dei, in sua viscera sæuijssent. Audiamus ergo Iosephum, qui dicit Ammiramum priùs magno vsum consilio, ac postremo ad hoc tentandum deueniſſe. Latêre diutius infans non poterat, proditus, non solus in discrimen venisset: itaque fretus diuinitùs data sponsione, quem seruare non potuit, Dei prouidentiæ maluit committere; non sine robustissimæ fidei exemplo, quæ in exposito etiam puero accepti oraculi veritatem præstolabatur.*

Fide Moses, iam vir factus. *nimirum, quadraginta annorum, vt D. Stephanus asseruit.*

Renuit vocari filius filiæ Pharaonis. *Chrysostomus annotat ἀρνήσασθαι non quomodocunque negare. Cum abominatione esse putauit nefas. Pharao autem cùm alia, tùm rebellem significat, vt cap. 9. Exodi demonstratur. Adhuc retines populũ meũ? Magnum est profectò contempsisse, quod non tantùm infideles, sed etiam Christiani ambiunt, nimirum, claram sanguinis opinionem. Moses autem istud execratus est: cùm tamẽ ipsa Thermutis apud regem tùm ageret, vt regni successor, & hæres designaretur. Neque id puer, sed iam matura ætate egit: vt consilio, nõ leuitate puerili factum diceretur. Cùm autem D. Stephanus ait arbitratum, quòd populus intelligeret eum fore liberatorem; satis ostendit talia priùs animo concepisse, qualia mox perpetrauit. Sic pijs omnibus reges impij fuêre contemptui: vt in Michea, Elia, Eliseo, Mardocheo, Hester, alijsque videmus.*

Maluitque in pressura esse cũ populo Dei. *Nihil ei fuit antiquius, quàm vt esset ærumnarum*

gentis suæ particeps. Non ignarus calamitatũ, quibus opprimebantur Iudæi, prudens valefecit aulicis Ægypti delitijs; seq; ad partes adiunxit veri Dei cultorum, cunctorum ludibrijs, & iniurijs expositorum, vel eos liberaturus, vel eadem cum ipsis perpessurus.

Quàm breui tempore deliciari in peccato. Post habuit regnum Ægypti Iudæorum incommodis. Apostolus contemptim refert. Omnes enim illæ epulæ, pompa, ornatus, nugæ, quid nisi peccatũ? Hinc maiores nostri colligũt delicias habere socium peccatum; vixq; reperiri, qui ex earum cõtactu non inquinetur. Meritò ergo laudatur hoc nomine Moses, qui fractis Ægyptiacis omnibus pedicis, sese fortiter in apertum capitis vltrò coniecit periculum. Similem virtutem in Hester intuemur, eandem multi martyres expresserunt, quibus cùm tutò viuere licuisset, pro Christo discrimen adiêre volentes.

Et arbitrabatur maiores diuitias opprobrij Christi. Putabat talium ærumnarum in futurum amplissimas gazas. Est inter interpretes quæstio, quod sit hoc opprobrium. De voce aliàs diximus, quæ flagellationis publicæ iniuriam significat. Quod nõnulli Christum inter, ac Mosen comparationem afflictionum instituunt, alienum est: itaque opprobrium Christi vocatur ea conditio ciuitatis ipsius, qua nunquàm non Ismaël Isaacum, Esau Iacobum, Cain Abel, bonos mali persequuntur. Sic enim decretum est, vt in hoc seculo mali triumphum agant; pij crucem gestent post Christum. Hoc igitur Moses intelligẽs, Deum velle suos in præsenti vita exercere, vt semper cum aduersitatibus luctẽtur; ipse quoque potiora duxit Dei

*xit Dei cultorum infortunia, quàm si ad aures ambas vsque se mundi libidinibus, & delicijs adobruisset. Audiant voluptatibus ebrij.*

Respiciebat namque in redditionem mercedis. *Probat, quî id factum fuerit, Paulus. Nè putes paradoxum, quòd Ægypti gazas posthabuerit Moses gentis suæ miserijs: sic enim secum ratiocinabatur: Etsi frui liceat aliquātulùm Ægyptiacis corruptelis; mox tamen sequetur ab irato Deo grauis interitus: quòd si ego mihi sponte præsens accersam infortunium, vti iudicabūt Ægyptij; si premar luto, & latere cùm Hebræis; tùm Deus, qui est eiúsmodi heroicæ virtutis remunerator, toto cumulo tribuet fœlicitatem. Rursum hîc videmus sanctos meliùs in fide, rebusq; cœlestibus informatos, quàm aut vulgus, aut hæretici putant. Quid igitur censes, orthodoxiæ desertor, & hostis? Num Mosen accerses criminis, qui generoso pectore post posuit præsentia bona futuris; & promissæ pijs omnibus spem fœlicitatis vbique ob oculos sibi posuit? Quasi verò illa merces æterna, cuius gratia laborarunt sancti, aliud sit, quàm Deus ipse, eiusq; conspectus. Quòd si agas de illa participatione, deq; modo illo, qui ex toto sole in singulos deriuatur: declaratum est, ac renuntiatum in Trident. synodo rectè facere Christianos, qui in susceptis propter amorem Dei certaminibus sese fulciunt, ac sustentant præmiorum cœlestium contemplatione. Laudandus ergo Moses, qui nobis præiuit; nè nesciremus isti cruci, & perpessionibus pro religione susceptis, primùm deberi sanctum illud baptisma sanguinis, quod certò liberat omni reatu; & prætérea cōsignatum fructum centesimum.* Sess. 6. ca. 11.

Fide dereliquit Aegyptum. *Vt varias omittã diuersorum opiniones; arbitror intelligi eam, quæ Exodi cap. 2. scribitur, fugam. Verùm non deest, quod hîc obijciant osores epistolæ huius. Moses se timuisse scribit: Paulus negat. Timuit, inquam; tamen posita formidine, póstea iussus reuerti, paruit. Ita quidam. His adde, si libet, in ipsa quoque fuga nõ defuisse audaciam. Nam cùm est negotium cum regibus, longissimas manus habentibus, fugæ nihil vsquàm tutum. Nec procul abijt; in vicina Madianitarum regione substitit. Sed videant germanitatis studiosi, nũ istud non multò magis videatur præcedentibus consentaneum. Contemptis opibus Ægypti, tamet si non ignoraret è qua fortuna decidisset, quodq; ex patre sibi ea ratione facturus esset hostem: tamen nihil moratus, quî id arrideret regis animo, quantúmue displiceret; cuncta deseruit. Sperans Deum optimũ parentem multo præstantiora redditurum. Hûc enim tendere videbatur, quod dictum est eum in virum euasisse, & in futuram mercedem oculos coniecisse. Sic igitur non solùm regis de se opinionem contempsit: verùm etiam miseram appetijt Hebræorum fortunam; ac postremò regis offensam in Ægyptij cæde fecit. Tanta enim fide, spe, & charitate ferebatur; ac si Deũ coràm iubentem cerneret: quómodo sancti superasse timorẽ, & pericula omnia dicuntur; quia per fidem Deum sibi præsentem cogitabant.*

*Hactenus inclitos Heroas allegauit Apostolus, quibus Deus impensissimè fauit: nunc è vulgo est prolaturus exempla, vt & nos eódem conemur.*

Syr.

| Syr. | Vulg. |
| --- | --- |
| Fide fecerũt paſcha, & adſperſionẽ cruoris; nè appropinquaret ipſis deuaſtator primogenitorũ. Fide trãſierũt mare Suph, tanquàm per terram ſiccam; & eo abſorpti ſunt Aegyptij, cùm id auſi eſſent tentare. Fide muri Iericho corruerũt: quòd circundati eſſent ſeptẽ diebus. Fide Rachab meretrix non periit cum iis, qui non obedierunt, excipiẽs exploratores pacificè. | *Fide celebrauit paſcha, & ſanguinis effuſionem: nè qui vaſtabat primogenita, tangeret eos. Fide tranſierũt mare rubrum, tãquàm per aridam terram; quod experti Aegyptii deuorati ſunt. Fide muri Iericho corruerunt, circuitu dierum ſeptem. Fide de Rachab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores in pace.* |

FIde fecerunt paſcha. *Græcis eſt πεποίηκε, duce pro ſubditis poſito. Nec enim fecit abſque populo. Paſcha autem non à maris traiectione, ſed à præteritione dictum eſt: quia vaſtator ædes Hebræorum non attingebat poſt agni mactationem, & illitionem poſtium; quod totũ petſcha vocabatur. Credebant igitur futurum Hebræi, vt infortunium euaderent: ſed Apoſtolus collimat cœleſtia; nempè, futurum per immolationẽ hoſtiæ ſanctiſſimæ, & Chriſti* petſcha.

Alii petzſcha.

*sanguinem, filiorum Dei liberationem; quemadmodùm et Aaroni, alijsq; perfectioribus persuasum fuisse valdè probabile est. Quid enim alioqui cruor agninus? vndè à clade liberandi vim haberet, si non fide cuncta gesta fuissent?*

Nè appropinquaret ipsis deuastator. *Tantùm abest, vt ladat è vobis quempiam; nè accessurus quidèm est ad vestras ædes. Scriptura hunc exterminatorem vocat angelum; Iosephus pestem: & certè in peste non deest angelus, vt tempore Dauidis apparuit.*

Fide transierunt mare Suph. *Ita etiam nuncupat Moses, quod Septuaginta* ἐρυθρὰν θάλασσαν *verterunt: noster interpres constantissimè reddit* Mare rubrum. *Quæ translatione neque prophanis est ignota, ob græcam appellationem: licèt rubrum non esse fateantur omnes. Suph dicitur ab Hebræis, propter iuncorum in ripis enascentium copiam, Mare iunci. Transierunt autem transmisso sinu in eiusdem ripæ alteram partem.*

Fide muri Iericho corruerunt. *Istud nomen Lunam, & mensem significat: quia Hebræi suos mẽses ad cursum lunarem exigunt. Est idem vocabulũ, vbi Moses tribus dicitur mẽsibus occultatus. De horum mysterijs nihil adferam: sanè autẽ eximia fuit opus fide. Poterãt enim de re in speciem absurda dubitare, & potiùs dè muris suffodiendis, deq; oppugnatione cogitare; nisi Deo promittenti credidissent, eo circuitu muros altissimos, & solidissimos funditùs euertendos.*

Rochob. Est geminum cametz.

Fide Rachab meretrix non perijt cum ijs, &c. *A latitudine deductum est nomen huius mulieris,*

lieris, quæ mirũ in modũ dilatata est; cùm in eius posteritate numerentur omnes filij Dei. Quod autem ad meretricis nomen pertinet; veteres, ac recentiores interpretes omnes putant eo vrgeri Hebræos, q. d. Si popularibus exemplis non mouemini; saltem præstate in vera educati religione, quod olim propudium, & peccatrix. Fateor ex latina, & græca lectione cùm huius loci, tùm Iosue, & secundo Iacobi, aliud nihil videri: sed studiosorum est expendere, num hoc sit tã solidũ, quàm à multis receptum. Quis enim metuat, nè si Dauidis, Christiq; progeniem ab eo probro liberare conetur, irreligiose facere iudicetur? Videamus, qua voce Iosue vtatur; & quæ item sit in fontibus reliquis. Ille vocat zonah, vndè Syrum zonitho, quod proculdubiò nonnunquam pro secreto vsurpatur; vt Ioëlis tertio, vbi prostibulum vertit Hieronymus; Geneſis 34. de Dina filia Iacobi; & iterum 38. de Thamar. Eo tamen loco rogati homines loci illius à seruo Iudæ, dũ negant ibi fuisse scortũ, non zonah, sed kedescha vocant per antiphrasin. Etsi igitur inficiari non licèt ita interdum accipi: non tamen id est perpetuum. Quod vt paucis demonstremus; capite vndecimo Iudicũ Iephthe dicitur primùm filius: mox autem, vbi fratres eum exhæredatum volunt, dicũt esse filium isscha achereth, id est, mulieris alius; vbi Septuaginta ἑταίρας, id est, amicæ reposuerunt. Nemo enim poterat vxorẽ non suæ tribus honestè ducere: si quis tamẽ illectus forma id tẽtasset, mulier zonah vocabatur. Defuncto autẽ hæc marito sine dote, & hæreditate ad propriam tribum recedebat: filius tamen, si quis natus fuisset, in patris tribu sortiebatur hæreditatem; quod ius Iephthe fratres negabant, vt ipse

זונה זניתא

זונה קדשה

Hoc est Lyranus obseruauit.

Septuagin. πόρνης. אשה אחרת

זונה

ijs exprobrat, nõ ausurus hiscere, si scorto natus esset. Adhæc cùm Hebræi exploratores essent admodum religiosi: quis ad meretricẽ in lupanar diuertisse crederet? Nè dicam videri habitam in pretio, ad quam vox Jerichuntinus per internuntios honorificè loquitur; neque in prostitutæ pudicitiæ fœminam cadere suæ cognationis tam piam habere rationem. Quid multis? Josephus cauponariam dicit, quod non solùm apud Hebræos, verùm & apud gentiles illiberale genus habitum est: vndè & meretricium nomen inditum; vt testantur Ionathas Chaldæus, Solomon Iairus, Esdras, Rabi Leui, & alij. Beatus quoque Nazianzenus negat animo fuisse meretricem: non quasi corpore fuerit, sed quia ob vitæ genus parum honestũ nomen illud retinuit. Dicuntur autem Jericuntini non obediuisse ijs, qui missi fuerant, rati se extra periculum; non credentes missos Israëlitas iniquitatum, & scelerum vindices, quos Rachab suo certissimo periculo recepit in suas ædes, mendacioq; seruatos emisit.

Oratione de fouendis pauperibus in initio.

Prophetarum, Apostolorum, & Patrum, scilicet, festis. Patres autem Macharios, Antonios, Hilariones, & alios intellige.

*Syr.*

Quid iterum dicam? Exiguum namque est mihi tempus, vt narrem de Gedeone, & dè Barac, & dè Samsone, & dè Iephthach,

Vulg.

*Et quid adhuc dicã? Deficiet enim me tempus enarrãtem de Gedeon, Barac, Samson, Iephte, Dauid, Samuel, &*

*pro-*

thach, & dè Dauid, & dè Samuele, & dè reliquis prophetis. Hi deuicerũt per fidẽ regna, & coluerũt iustitiam, & acceperunt promissa, & obthurauerunt ora leonũ, & extinxerũt vim ignis, & liberati sunt ab ore gladii, & valentes facti sunt ab infirmitatibus, & fuerũt validi in bello, & euerterunt munitiones hostiũ, & dederunt mulieribus filios suos è resurrectione mortuorum.

*prophetis: qui per fidem deuicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obthurauerũt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum, acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos.*

QVid rursum. *Est formula sese colligentis, & metuentis nè lector fatigetur. Nec deest occupatio. Nè cui enim videretur fidem non multis esse communem, ostendit se velut rem infinitam persequi. Non est oratio finem habitura, si vel sola præcipua percenseam.*

Exiguum namque est mihi tempus. *Nonnullis placet hyperbolicè dictum. Tempus mihi prius deficiet, quàm argumentum, & persona hac laude*

conspicuæ. Tamen ob syrum contextum, arbitror istud potiùs intelligendum: Is, qui mihi hæc dictat, Spiritus sanctus, non sinit me latiùs exspatiari. Aliò me vocat spiritus, ad epilogum deuergens.

Vt narrem dè Gedeone. Si tãtùm nomina retexam. Hinc quid sit enarrantem in interprete latino, discimus. Gedeon habet nomen ab excisione; sicuti re vera fuit hostium Dei Madianitarum excisor. Quòmodo is à fide commendatur, qui angelum Dei tot quæstionibus detinuit? Num hîc Paulus callidè agit, vti solèt rhetores in suis præteritionibus? Minimè. Nam tametsi cunctatus primùm ille fuerit: magna tamen fide rem incredibilem póstea fortiter est aggressus; & priorem cunctationem insecuta fide diluit.

Lib. 5. ca. 6 antiq. Et de Barac. Istud nomen, vel Iosepho teste, fulmen significat: quia is fulminis instar protriuit hostium copias: licèt auspicys Deboræ, quæ apẽ, seu melificam significat, fecisse videatur. Primùm enim nõnihil concussus; mox posita diffidentia, & animatus congressu prophetidos, spectatissimã fidem præstitit.

שיר שור scheschun Et dè Samsone. Si hebræũ vertas, radius: si syrum, seruire; quòd Naziræi Deo seruiant. Hîc rursum est quæstio, quòmodo hîc pene sui parricida, numeretur inter sanctos. Sed quia dudum ab alijs est responsum, non sine mysterio rem gestam; & arcano Spiritus afflatu: hoc impræsentiarum est satis; scripturas viros nonnullos prædicare certis de caussis, etiamsi præterea sit quiddam in reliqua vita minùs laudabile. Dum autem hic Naziræus vel portas in montem sustulit, vel rupit vincula, vel strages edidit hostium; fidei non vulgaris laudẽ promeruit. Quòd

autem

*autem nonnullis videntur ij simul intelligendi, qui operas contulerunt; vt in Gedeone trecenti, in Barac Debora, in Samsone Manue; non est ita magni momenti.*

Et dè Iephthach. *Ab aperiendo dictus est. Hìc iterum quærunt, qui tam honorificum album mereatur, primùm spurius, deinde parricida. Et prius quidem iam superiùs diluimus: superest parricidij caussa. Illud autẽ grauiter insectatur Iosephus; alij stultum, plerique temerarium vocant. Igitur satis constat non licuisse homini profano offerre sacrificium: deinde non quiduis admittebatur ad sacrificandũ. Fuissentne igitur sacerdotes tam impij; vel populus æquo id animo laturus, qui Saulo in filium simile facinus non concessit? Denique textus hebræus comparatus cum Ionathæ Chaldæi paraphrasi, solùm dicit filiam Iephthe non potuisse elocari; ac proptérea deplorasse virginitatem suam; quòd tota vita sua manere deberet illiberis. Fuit enim clausa, nec patebat exitus, nisi semèl in anno, quod & patri lugubre, & virgini molestum fuit, cùm nulla esset laus continẽtiæ. Cæterùm non est aliter in illã sæuitũ, maximè cũ ea tẽpestate superstes forte adhuc Phinees bimestri luctus spatio rẽ cognoscere, & scelus auertere potuerit. Quòd autem leprosum fuisse, ob non persolutum votum; aut ob mactatam filiam, paralysi solutũ quidam dicunt; repugnat Iudicum cap. 12. Illud itaque superest, hunc temeritate peccasse. cæterùm laudabili fide præditum periculosissimo bello finem imposuisse.*

Nomẽ hoc variè à græcis scribitur.

Et dè Dauide, & dè Samuele. *Hic nominis sui rationem reddit ca. 1. libri primi Regum; tametsi, vt nunc*

vt nunc Hebræi legunt, non hoc significat, sed potiùs, Nomen eius à Deo: verùm quia hoc longiùs recedit ab eo, quod illius mater dicit, schaalthi atha meel, Petiui eum à Domino; docēt plerique hebræa nomina significantiora nō esse ad integras dictiones exigenda; cùm sæpè vnica littera integram vocem referat. Nec inficiari possumus ia plurimis in locis magno factum esse mysterio; & relictas esse litteras, tanquam indices omissorum, vel abiectorum verborum. Vtcunque sit: satis est matrem hunc impetrasse.

שאלתי אחת מאל

Et dè reliquis prophetis. Ieremia, Isaia, & alijs. Quid isti designarunt? Nunc sequentur istorum officia, quæ ob interpretum varietatem non carent obscuritate.

Hi deuicerunt regna. Fide nimirum instructi. Domuerunt, suoq; imperio integra regna adiecerunt, Ammonitas, Moabitas, Idumæos, & Syriæ regna, quæ Dauidi, eiusq; filio Solomoni seruierunt.

Et coluerunt iustitiam. Quidā istud dè munificentia, & eleemosynarum largitione interpretantur, ac misericordia; & hoc Dauidi, ac Samueli tribuunt, quorum vterque in Saulum mirè pius exstitit. Alij accipiunt pro eo, quod est ex æquo, & bono ferre sententiā. Nonnulli ad iustitiā operū referunt, quod magis adlubescit, qua receptā in sacramēto iustitiā nūc pia vita studet quis auctiorē facere: vt posteaquā Paulus tā multa de fide dixit, his verbis nūc ostendat istos Heroas per fidē sanctificatos, déinceps per opera iustiores euasisse; vti de Rachab scribit Iacobus. Est reliqua vna sententia ferè præcedenti similis; vt non ad solam iustificationem, verùm etiam ad piarum actionū studium respiciat. Et ista vehemēter placet,

*placet, propter verbum ſyrum poloch. Sancti enim ſcientes virtuti repoſita præmia, totam vitam impẽderunt eius ſtudio, & exercitio; quod alioqui, ſi fides deſit, moleſtum, & abſurdum videtur.* מצחא

Et acceperunt promiſſa. *Quia enim in cultura virtutis perſtiterunt: quæ ſperabant, adepti ſunt. Verùm cùm ſuperiùs dixerit defunctos, non acceptis repromiſſionibus: iſtud erit de præſentis vitæ promiſſis intelligendum. Dauid acceptæ promiſsionis,*

Dè fructu ventris tui, &c. *typicum euentum viuus accepit, & Solomonem habuit hæredem regni: ſed quod fuit pollicitationis eximium, nondum acceperat; tantùm in ſpiritu verum Solomonem Chriſtũ viderat.*

Et obthurauerunt ora leonũ. *Dauidis plerique iſtud eſſe putant: non tamen inepte ad Danielis acta referetur, in quem leones fame rabidi nil potuêre, frænati diuina fortitudine.*

Et extinxerunt vim ignis. *Et iſtud de ſocys Danielis intelligo, quibus ardentiſſimus ignis nihil nocuit.*

Et liberati ſunt ab ore gladij. *Hoc ſanctis omnibus commune fuit; quibus nunquàm ſuus defuit perſecutor: interpretes tamen potiſſimùm de Dauide dictum volunt. Os Hebræi pro acie metaphoricè nuncupant.*

Et valentes facti ſunt ab infirmitatibus. *Chryſoſtomus cũ ſuis de Babylonica captiuitate hoc explicat, ad quã Iudæi tabidi, moribundiq; cùm trãſlati fuiſſent, ab eâdem, cùm ita Deo viſum eſt, hilares, & alacres redîere. Ut ut ſit, promiſcuæ multitudini captiuorum non puto magnam fuiſſe fidem: itaq;*

*propriè*

*propriè de pientissimo* Ezechia *dictum videtur probabilius, qui fide, & confessione effecit, vt denuntiatus à propheta interitus retractaretur. Conualuit igitur is à morbo, quo credebatur periturus. Quod quidam de Dauide, ob psalmos sextum, & 36. longiùs abludit à scopo: cùm illi psalmi de animorũ morbis, id est, peccatis, intelligendi sint.*

Et fuerunt validi in bello. *Dauid puer delicatus, quàm ingens bellator fuit? Quid populo, qui Gedeonem, Saulum, Maccabæosq; sequebatur, minus aut instructum, aut exercitatum ad bella? Et si ipsos duces intelligas: quàm insigni virtute póstmodum enituerunt, qui totam prius ætatem pascendis gregibus, & asinis, & rebus sacris impẽderant? quod genus hominum ferè imbelle creditur.*

Et euerterunt munitiones hostium. *Præter meritum vapulauit à nonnullis Stapulensi 6. quia verterat, Euerterũt. Syrus enim apertè ostendit agi de muris, & propugnaculis ciuitatum, quæ sancti per fidem expugnarunt. Quod cùm in alijs, tùm in Iosue, & principibus tribuum videre est, atque in ipso Dauide, qui Sionem expugnauit, quã adeò firmam Iebusæi credebant, vt à claudis, & cœcis facilè defendi posse iactarent. Quid Ioab, & Assamonæos principes referam, qui in ipsas videntur volasse hostium munitiones?*

Et dederunt mulieribus, &c. *Prophetæ quosdam à morte suscitatos reddidêre matribus; vt Elias Sareptanæ, Helisæus Sunamitidi.*

| *Syr.* | Vulg. |
|---|---|
| Et alii plagis extin- | *Alij autem di-* |
| | *sten-* |

tincti sunt, & non sustinuerunt redimi, vt ipsis melior resurrectio contingeret; alii illusiones, & flagella tiones pertulerunt; alii vinculis, & carceribus cõsumpti sunt; alii lapidati sunt; alii secti sunt; alii in ore gladii mortui sunt, alii circuierunt vestiti pellibus ouinis, & caprinis, inopes, & oppressi, & cõcisi, quorum nemine dignus erat mundus, & fuerunt quasi errantes in deserto, & in montibus, & in spelũcis, & in cauernis terræ. Et hi omnes, de quibus extitit testimonium per fidem ipsorum, non acceperunt promissũ: eò quòd Deus perinde consuleret no-

*stenti sunt, non suscipientes redemptionem, vt meliorẽ inuenirent resurrectionẽ; alij verò ludibria, & verbera experti, insuper & vincula, & carceres; lapidati sunt; tentati sunt; in occisione gladij mortui sunt; circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egẽtes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus; in solitudinibus errantes, & mõtibus, & speluncis, & in cauernis terræ. Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem; De eo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non sine nobis*

nobis, nè absque nobis perficerentur.

*nobis consummarẽtur.*

*IN hac pericope producit Apostolus triplicem phalangem; & vbique virtutem eximiam, ac ingens præmium, magna tamen ex parte dilatum. Prodibunt enim primo ordine fortissimi, quibus cùm liceret effugere, noluerunt; hos consequentur, qui, cùm effugiendi locus non esset, fortiter occubuerunt; ac postremi, qui voluntario seipsos consecêre martyrio. Hæc autem ad nos instruendos, & vt Hebræi talia molirentur, dicta sunt.*

Et alij plagis extincti sunt. *Liceret Suetonij voce fustuatos dicere. Græcum ἐτυμπανίσθησαν alijs detractionem cutis; alijs pro Latina versionis dictione extensionem, alijs contusionem significare videtur: & postremæ sententiæ fauet Syrus Paulus, qui dicit fustibus extinctos. Est igitur hæc laus sancti Eleazari, quem sacer historicus dicit accessisse vltrò ἐπὶ τὸμπανον, & septem Maccabæorum, cum matre fortissima.*

Et nõ sustinuerunt redimi. *Hoc in illis Maccabæis maximè declaratum est. Eleazarus simulatione mercatæ vitæ gloriosam mortem prætulit. Nec secùs alij blandutias, & munera contempserunt; & fortiter mori, quàm tyrannum audire maluerunt.*

Vt ipsis melior resurrectio contingeret. *Hac spe, & fide præmij, quod generosas animas exciperet, alacriter omnia perferebant. Non obscurũ istud est pro Maccabæorum libris testimonium.*

Alij illusiones, & flagellationes pertulerũt. עלו *alij, Subiuerunt: sic tamen, vt in eis obirent mortem.*

*Illusio-*

*Illusiones autẽ diras verberationes, cũ acerbis contumelijs intellige. Sic Iosephus aut quisquis fuit author eius libelli, vocat varia Maccabæorum supplicia.*

Alij vinculis, & carceribus consumpti sunt. *Videtur hæc emphasis propriè spectare pædorẽ, et arũnam, quæ torquet diu cõiectos in vincula, vt Ieremiã lutosi lacus incommoda, Micheam panis angustiæ.*

Alij lapidati sunt. *Hũc vocãt Stephanum: sed Pauli fuit propositum de veteris testamenti heroibus. Epiphanius in synopsi de Ieremia interpretatur. Addi possunt Nãbuthes, ob vineam impio regi denegatam lapidibus obrutus, & Zacharias.* 3. Reg. 22. & 36. ac sequentibus

Alij secti. *Et istud omnes de Esaia. Nã vt Epiph. in vita, & Hebræa traditiones habẽt, cùm ea dixisset, quæ cap. 6. legũtur,* Vidi Dominũ, &c. *Manasses vt blasphemum voluit occidere; & cũ arbore, quæ eũ complexa in fidem dictorum fuerat, secari fecit.*

*In Latinis omnibus, & plerisque Græcis additur,* Tentati sunt: *quod ego Paulinũ non arbitror; cùm neq; Syrus habeat, & simile quid in Abrahamo præcesserit; nec ab interpretum plurimis exponatur.*

Alij in ore gladij mortui sunt. *Sacerdotes à Saulo cæsos, quia Dauidem adiutarant, vel fratres Iudæ Maccabæi, veldeniq; prophetas ab impia Zezabele interemptos accipiunt.*

Alij circuierunt, vestiti pellibus ouinis. *ethcerebu idem est verbum, quo vsus est Christus, dicẽs Pharisæos circumire mare, & aridam: vt lustrationem, & quendam intelligamus apostolatum, quem obibant sanctissimi prophetæ, quò à spiritu ducebantur, euntes; vt ijs prodessent, quos Deus volebat saluos. Hoc autẽ potissimum in Elia, & Heliseo visum* אתכרבו

est; qui, cæteris quiescentibus, sursum, ac deorsum cursitando, nihil intentatum relinquebant. De melotis, seu ouinis pellibus vide Cassianum. Caprinæ autem, quæ duriores sunt, ad Eliam spectare videtur, de quo lib. 4. Reg. ca. 1. dicitur, Vir Dominus pili, & zona pellicea super lumbos eius: quæ non tam de barba, & coma, quàm de vestibus intelligenda sunt. Possumus tamen hoc de prophetis omnibus accipere, quorum insigne fuerit cilicium. Nunc ad tertij ordinis heroas.

In institutis monasticis lib. 1. cap. 8.

4. Reg. 18.

Inopes. *sanikin significat indigentes pane quotidiano. Istudné adeò præclarùm? Planè. Nam præterquam, quòd Christus dixit esse diuites infœlices, quibus omnia suppetũt; & cõtrà beatos, quibus oblectamẽta, & præsidia seculi desunt: dũ quis vltrò fraudat genium, seq; ob amorem Christi licitis alioquirebus spoliat, multùm meretur. An non insignes isti, qui cùm frui omnibus, & abundare copijs possent, noluerunt?*

כניקין

Oppressi. *Huius rei exemplum præbet Elias, præ angustia mortem exoptans. Ad verbum est,* angustiati.

3. Reg. 19.

Cæsi. *Verberibus etiam pulsati, præter animi, & corporis angustias. Atque id maximè liquet in sancto Amos, cuius innocentissima vita nihil penè aliud fuit, quàm perpetua verberatio: ac tandem fullonis vecte elisus, vel, vt alij malunt, perfossus tempora, mortuus est.*

Quorum nemine dignus erat mundus. *Nõ solùm terra, cœlum, &c. sed & homines malos intelligo: quæ si cuncta conflarentur; nè sic quidem iustum esset pretium cuiúsuis ex isto agmine diuorum. Indè*

videre

videre est, quanto in pretio habendi sunt sancti in vrbibus pro populo deprecatores. Et tamen, vt est mundi cæcitas, cupit ijs priuari: vt vel ista ratione sese declaret indignũ, qui diutiùs talibus fruatur; vti Areopagita ad Ioannẽ euangelistã scribit. Quàm malè autem de mortalibus merentur diuorum osores hæretici, vllum ipsis honorem deferri, quantùm in se est, non permittentes. Et illud hìc obseruandum, aduersarios perperam damnare velut extrarium cultum, & stultitiam, si quis more maiorum certam retineat vestis formam, vt meliùs institutũ persequatur, & corpore simul, atque animo suum referat præceptorem: cùm videamus hos sanctos, tam effuse collaudatos ab Apostolo, longè diuerso à reliquis vestimento vsos; quos tamen non penuria, & rei familiaris angustiæ eò propellebant (quid enim Elia, Heliseoq; apud principes gratiosius, si vti libuisset?) sed pietatis, Deoq; placendi rerum temporalium contẽptu studium.

Et fuerunt quasi errantes in deserto. Hoc debemus intelligere de fuga Eliæ, de occultatis ab Abdia prophetis, & huiusmodi alys. Ista enim particula (Quasi) ostendit non temerè vagatos, sed tempore persecutionis. Adamarũt autem cum primis Carmelum. Versabantur vt animo in cœlestibus; ita corpore in sublimibus, infima fastidientes: quod & in Christo licet obseruare. Spelunca autem proprietatẽ exhibet in Elia liber 3. Reg. 19. vbi is ad ostium speleæ stetisse dicitur, quod erat in petrino monte cauatum. Cauernæ autem industria fiunt artificum, egesta humo; vti in Theodoreto, & alijs viographis ostenditur. Vid'en, æmule, quos imitentur, qui mundũ

*fugitantes, abdunt sese in cœnobia? Quid tantæ fortitudini repostum?*

Et hi omnes, de quibus, &c. *Tametsi essent tã præstantes, vt nihil cum eis in comparationem venire posset; vt crebra de illis in scripturis testimonia probant; non receperunt promissorum colophonem: quia Christus, in quo benedicendæ erant omnes gentes, eorum temporibus natus non est. Est hoc contra Caluinianos obseruandum; qui, vt limbum explodant, adserunt patriarchas, & prophetas rectà cœlos petiuisse. Apostolus enim dum negat id, quod in promissione præcipuum erat, accepisse; abunde testatur, propter naturæ peccatum, coactos expectare seruatorẽ.*

Eò quòd Deus perinde consuleret nobis. *Vt nos intelligeremus singularem erga nos Dei amorẽ, quibus euestigiò in cœlum iter patere voluit: cùm illos sanctissimos tándiu suspenderit.*

Nè absque nobis perficerentur. *Potest istud de vtriusq; partis, corporis inquam, & animæ, fœlicitate intelligi; quia tunc demùm ea plena, & perfecta donabitur, quando non animæ tãtùm, sed & corpori benè fuerit: mihi tamen satiùs videtur ad solam animam referre. Nam simul atque Christus resurrexit, patuit cœli ianua; & quod veteris testamenti sanctis tunc concessum est, idem quoque Christianis eodem momento contigit; quemadmodùm à Christo dictum latroni fuit,* Hodiè mecum eris in paradiso.

C A-

# CAPVT DVODECIMVM.

Syr.

QVápropter etiã nos, quibus hi omnes teſtes ſunt veluti nubes nos circũdantes; excutiamus nobis omnia pondera, peccatũ quoque, quod omni tempore nos demergit; & patiẽter decurramus agonem nobis propoſitum, intuẽtes in Ieſum, qui eſt principium, & conſummatio fidei noſtræ; qui pro gaudio, quod ſibi erat, ſuſtinuit crucem, & in probrũ ſeſe dedidit; & ad dexterã throni Dei conſedit.

Vulg.

*IDeoque & nos tantam habentes impoſitam nubem teſtium, deponentes omne põdus, & circunſtans nos peccatum, per patientiam curramus propoſitũ nobis certamem, aſpicientes in autorẽ fidei, & conſummatorem Ieſum: qui propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit crucem, confuſione contempta; atque in dextera ſedis Dei ſedet.*

*HIc videtur vndecimi capitis epilogus, hoc eſt, argumentationis dialecticæ antecedentis concluſio. Viſus eſt enim diſſimulata minore (vt vocãt)*

*hunc in modum pronuntiare: Nacti sumus fortissimum præsidium fidei, quo fretus, & adiutus quispiã ea, quæ longissimè distant, nec apparẽt vsquàm, perinde apprehẽdit, ac si coràm oculis intueretur, manibusq; teneret. Deinde subiunxit fortia facta sanctorum, quibus istud heroicum donum præsto fuit: quod cùm idem Hebræis sit ad manum, & quidem multò locupletius; non tantùm æqualia, sed multò præstantiora ab illis non immeritò expectari cõcludit hoc capite; docens quid Christianos excitare debeat, nẽ tepescant, aut dilabantur à cœpti stadij celerrimo, & constantissimo decursu.*

Quapropter. *Cùm illi minori dono præditi, tanta fecerint, tam inaudita sint perpessi, vitam denique profuderint; neque tamen promissum acceperint:*

Etiam nos. *Per exaggerationem, quibus tantã Deus gratiam elargitus est, quibus non desunt tam luculenta præsidia.*

Quibus hi omnes testes sunt. *Quarè omissis antagonistis, & concertatoribus, qui brabæum nobis præripere gestiunt, testes nominauerit; diligenter obseruant interpretes. Perinde enim est, ac si dixisset: Sedent iam in cœlis, veluti Christi assessores, testesq; fortiter agentium; vt pro eorum suffragijs palma iudicemur digni. Syrus addit emphasim,* Hi omnes. *Ego quidem non omnes, nec satis multos nominaui (nec enim esset vllus modus) qui tamen omnes sunt testes. Hinc apparet maiores nostros meritò non ausos de Iephthe, Samsone, & alijs iudicare, quos inter sanctos viderent numeratos. Et quid agũt isti testes?*

Veluti nubes nos circundantes. *Sunt inter Veteres, maximè Græco, qui nubem vmbraculum,*

*quo*

*quo æstuantes recreantur, intelligunt, in hunc sensum. Isti sancti certantibus, & in labore æstuantibus exemplo suo magnum leuamẽ adferunt. Alij eôdem penè recidunt, allusum putantes ad proprietatem dictionis νέφος, quã Aristoteles ait nubem, ex vaporos, pluuia, & quicquid est eiúsmodi gignitur, significare: Isti (inquiunt) sancti nos exemplorum imbre recreant. Quid multis? Non desunt, qui latêre hic arbitrantur intercessionis argumentum: vt nequaquã in cœlis otiosi sint sancti, sed nostrum agant negotiũ. Qui sensus etsi non ita proprius videatur: tamẽ cùm veteres theologi hoc loco Græcanicæ ecclesiæ de hac fidei nostræ parte iudicium deposuerint, non est contemnendus. Interim neque syra verba longè discrepant: cùm religiosa apud Deum pro nobis deprecatione sancti, nubium instar, nos circundent, ac tueãtur. Communis autem sententia, à qua hactenus non recedo, multitudinem nubis appellatione indicatam docet, vt agminatim testes nos circumuallent; & si vis, defendant, exemplisq; pijs doceant; & inuent intercessione. Quidigitur nos facere æquum est, tam benignè institutos, prouocatos promissionum præsentia, impulsos præterea istis nubibus?*

Sic œcomenius.

Excutiamus nobis omnia pondera. *Hac metaphora Paulus intelligit diuitias, opes, honores, voluptates, & quicquid est distinctum à pietate, vel ab ea nos remoratur. Nam quantùm diuitiæ huius seculi tyronem christianum impediant, docet euangelica parabola: nec rarò videmus homines indolis optimæ, & magna daturos alioqui exempla, rebus istis implicatos emori, & generosum illum spiritum suffocari; atque hinc priùs abire, quàm dispexerint satis,*

quo loco sint apud Deum. Hæc igitur ponderis nomine (Græci enim, & Latini singulariter efferunt) cõplectitur Paulus. Quid enim absurdius, quàm si velocissimus Asahel è carceribus ad cursum sarcinas efferre secum, ac deportare velit? Si quis autem Abrahamus sit; seruet, rectè vsurus opibus.

Et peccatum quoque, quod omni tempore nos demergit. Istud autem nullo modo ferendum. Quod Latinus vertit Circunstans, est Græcis εὐπερίστατον, qui huius verbi dant triplicem intelligentiã: quia facilè abijcitur, immò & superatur peccatum, si quis diligenter gratiæ Dei collaborat; fortiq; athletæ contemptibile est negotium (sed contrarius mihi videtur Apostoli scopus) vel quia facilè hominem circumuenit; quam solam habet Theodoretus interpretationem. Et hoc arbitror voluisse Paulum, ducta metaphora à gladiatoribus, qui plures vnum adorti, nullo negotio deijciunt. Addunt & istum cõmentarium non multùm discrepantem, quod peccatum multis pollet artibus, variaq; tela contorquet. Syrus autem dicit quòd nos, vt grauissimum pondus, demergat; mox in aliud, ac rursus in aliud trahat; ac tandèm in desperationis, & omnium miseriarum barathrum deuoluat. Nihilóminus vox eadem metaiuo interdum pro diffamare, & traducere quempiam vsurpatur; quod peccato conuenire nemo dubitat. Hæretici autem detorquẽt istud ad implacabile malum concupiscentiæ; vt dogma de seruo arbitrio reddant probabilius: sed hoc si spectasset Paulus; εὐπερίστατον, aut quid simile potiùs dicturus fuisse videtur. Nè dicam mox addendum, quòd isti, quos alloquebatur, nõ restitissent ad sanguinem vsque: vndè manife-

Vnicũ exẽplar Complutense habebat ἀπερίστατον.

מטיבא

*nifestum est de ea pugna locutum, quam habebant cum vs, qui ipsos à fide moliebantur abstrahere, in quibus peccata non postremas obtinent.*

Et patienter decurramus agonẽ nobis propositum. *Quæstio est, vtra pars metonymiæ sit accipienda, locus, an quod in eo est. Et quidem inferiùs,* In agone contra peccatum: *videri possit solùm de loco intelligendum. Sed nihil agas, si tantùm spectes continens: itaque propriè agitur de negotio, quod in curriculo geritur. Ferendo, ac superando omnia, quæcunque occurrunt, opus est patientia; nec oportet frãgi desperatione; nec semèl dúntaxat, aut vno die, sed ad mortem vsque depugnandum; neque tibi, aut alteri solùm, sed omnibus, qui ad præmium pertingere cupiunt, agon iste propositus est, adeoq; mãdatus. Placuit agonis vocem retinere, Paulo etiam syro familiarem. Sed quæ meta? inquiet cursor aliquis. Ego iam penè seculum sub cruce iaceo: quis dabitur finis?*

Intuentes in Iesum. *Chrysostomus, cum suis, vult translatum à pictoribus, aliisq; huiusmodi rerũ adumbratoribus, qui ex prototypo paragogum volũt exprimere. Necesse est igitur habere defixos perpetuò oculos in Iesum.*

Qui est principium, & consummatio fidei nostræ. *Græci ducem, et consummatorem interpretantur: sed rem perpendenti accuratissimè, credo non aliud visum iri, quàm dici Christum absolutissimum exemplar. Non mouent tam insignia sanctorũ exempla hactenus relata? En vobis rẽ omnem pulcherrimè cœptam, et laudatissimè perfectã à Christo, qui nobis præiuit ita, vt desiderari iam nihil queat. Agit autem de fide, non vt est donũ, & virtus theo-*

*logica; sed de eius officio, quo homo durat in aduersis. Nam illa quidem in Christo non est: sed eius vita fuit perpetuum certamen; finis vitæ mera angustia. Videte, vt seipsum declaret.*

Qui pro gaudio, quod sibi erat, sustinuit crucem. *Gaudium pro vniuerso bono posuit. Non erat Christus morti subiectus, ac nè corpore quidem, si permisisset dispensatio suscepta; poterat frui bonis omnibus vitæ istius, nihil desiderabatur ad fœlicitatem; denique beatus erat: nihilôminus tamen adijt crucem, quæ in scripturis, & Iudæorum opinione, teterrimum, & execratum habebat supplicium. In cruce tormenta quoque reliqua intelliguntur. Et nè quis Ægeas, aut Henricianus, vel Petrobrussianus vi adactum mentiatur; addit, quod sese in probrum vltrò dederit. Adeo nullam iniuriam deprecatus est; vt se prodiderit, ac tradiderit ipsum. Hoc igitur est nobis ad imitandum exemplar propositum: sed quod est brabæum?*

Et ad dexteram throni Dei consedit. *Hoc est, quod ait Paulus Philip. 2. Quòd si tu hoc stadium ingressus fueris; & constanter decurreris vsq; ad finem: sedebis cum Christo duce, & capite tuo, & iudicis dignitatem accipies, etiam pro sola cõfessione; tametsi defuerit, qui paratum exprimat sanguinem.*

Cùm est ira. *Cùm ingruit aliqua calamitas, ista leguntur à Syris, vt suos erudiant aduersis nequaquàm à fide esse deficiendum, aut obmurmurandum: sed écontra habere pro certo indicio reprobationis, quando ex voto cuncta succedunt.*

Syr.

| Syr. | Vug. |
| --- | --- |
| Contemplamini igitur, quātùm sustinuerit à peccatoribus, qui aduersati sunt sibiipsis: vt non fatigemini, neque ipsi ignaui efficiamini. Nécdū restitistis vsque ad sanguinem in agone, qui est contra peccatum. | *Recogitate enim eum, qui talē sustinuit à peccatoribus aduersum semetipsum contradictionem: vt nè fatigemini animis vestris deficientes. Nondū enim vsque ad sanguinē restitistis aduersus peccatum repugnantes.* |

COntemplamini igitur. *Proposui vobis absolutissimam ideam: illam non obiter tantùm inspicite, sed peruidete, retractate, ἀναλογίσασθε, & subducta ratione, omnia eius lineamēta diligēter explorate.*

Ita & complures: tametsi cōmunis lectio habeat γὰρ.

Quantùm sustinuerit, *& quod magnum est*, à peccatoribus, *hoc est infidelibus, vti apud Matthæum dictum est*, Filius hominis tradetur in manus peccatorum: *quòd eorum infidelitas semper in peccatum propendeat. Próinde insultè admodum infideles à quibusdam bonorum virorum habētur loco. Propriè tamen non videtur de idololatris, sed dè Iudæis agere. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei. Nam addit.*

Qui aduersati sunt sibiipsis. *Qui non passi sunt, vt iste dux fidei ipsis prodesset. Cùm enim esset summum*

*summum bonũ in Christo; immò illud esset ipse; ac proinde omnium bono natus, omnibus esset salutem, dare paratus: illi iã indè ab eius baptismo cuncta depraua re, & aduersariæ potestatis amicum, & collusorem esse plebi persuadere moliebantur; ac tandèm occidebant. Ne igitur illi sibiipsis vehementer incõmodabant, dum seipsos nece filij Dei conscelerantes præstruebant sibi difficilimum aditum ad pœnitentiã. Quid proderit ista diligens exemplaris contẽplatio?*

Vt non fatigemini, &c. *Rursum est metaphora à cursoribus in medio resistentibus. Non possum adsequi (inquit ignauus) valeat, quod tam immenso labore comparandum est præmiũ. Immò verò nè infœlix, præteriti laboris iacturã facito, & propter superatos agones pollicere tibi futurorum victoriam. Sic legimus de Clemente Ancyrano, Athanasio, & alijs, qui frequentium victoriarum sibi conscij, promptiores ad noua semper redibant certamina.*

Nécdum restitistis vsque ad sanguinẽ, &c. *Nondum effecti estis martyres in hac arena, in qua oportet aut fortiter vincere, aut perire. Adest enim ant agonista versutus, & qui varijs stratagematibus pios cursores euertere laboret. Huc etiam aduersum Christianos dæmonis agmen depugnatum venit, voluptates, honores, diuitiæ, tyrannis, et reliqua eius farinæ, à quibus intùs, foris q; graviter insidijs, & aperto Marte impugnamur.*

| *Syr.* | Vulg. |
| --- | --- |
| Et deflexistis ab institutione illa, quæ tãquàm filiis, loquitur | *Et obliti estis cõsolationis, quæ vobis, tanquàm filijs, lo-* |

tur vobis: Fili mi, nè turberis à castigatione Domini; neq; deficias animo, quãdo à Domino formaris. Quem enim Dominus diligit, castigat eum; & flagellat filios eos, qui placent. Sustinete ergo castigationẽ: eò quòd Dominus vos tanquàm filios visitet. Neque enim vllus est filius, quem nõ castiget pater suus: & si vos absque castigatione sitis, qua omnes castigati fuerũt, estis supposititii, & non filii. Et si patres nostri carnis castigabant nos; & erubescebamus eos: quãtò igitur magis subiici debemus patribus nostris spirituum, & viuemus? Nam

*loquitur dicens: Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris, dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit. In disciplina perseverate. Tanquàm filius vobis offert se Deus. Quis enim filius, quem nõ corripit pater? Quòd si extrà disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes: ergo adulteri, & non filij estis. Deinde patres quidem carnis nostræ eruditores habuimus; & reuerebamur eos: nũ multò magis obtemperabimus*

Alij, Patri spirituum nostrorũ. cùm Cæs. exemp. habeat notã pluralitatis fortè quòd gr. ità habeãt; & sẽs sus exigat; ita sẽse accommodãtes notis.

Nam illi ad tempus castigabant nos, prout volebant: Deus autem ad auxilium nostrum, vt participemus sanctitatem eius. Omnis castigatio autem tempore suo non putatur gaudii, sed tristitiæ: in fine verò fructus perfectionis, & iustitiæ adfert iis, qui ea exercentur.

*mus patri spirituũ, & viuemus? Et illi quidem in tempore paucorum dierũ secundum voluntatẽ suã erudiebant nos: Hic autem ad id, quod vtile est, in recipiẽdo sanctificationẽ eius. Omnis autẽ disciplina, in presenti quidem, videtur non esse gaudij, sed mœroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ.*

ושעיהוהוש vataaijthuhoijhi.

יולכנא iulphono.

ET deflexistis ab institutione illa. *Vox syra multa denotat, alienare, seduci, colere idola, furari, & quod præsenti negotio visum est appositissimum, deflectere.* παραχλήσεως *vocabulum Hieronymus quidem pro consolatione ferè semper venire contendit: Pauli autem dictio disciplinam, & formationem significat, quemadmodùm sapiens Prou. 3. quẽ citat hìc Paulus, docet, normamq; viuendi præscribit; vt consolationem, seu adhortationem, vnà cum doctrina coniungat interpretatio. Si igitur animo*

*franga-*

*frangamini; nolitisq; fortiter persistere ob metũ cædis, aut infamiæ; putetisq; à vobis iniquum postulari: iam non tantùm estis ignaui cursores; sed quod vobis cum primis erat honorarium, procul abijcitis, quò vos hortatur Christus.*

Quæ tanquam filijs loquitur. *Illa institutio habet hoc singulare, quod vos concipiet, ac re vera cõstituet filios Dei; si illam capessitis.*

Fili mi. *Blanditur more suo Syrus. Quis credidisset scripturam alloqui non Solomonis, sed Dei filios? Hæc enim Dei vox est, suos filios alloquẽtis. Hominem autem peccatorem vocari filium Dei, quàm sit eximium, aliàs diximus.*

Nè turberis à castigatione Domini. *Est ferè insitum hominibus nõ perditissimis, vt quotiès ingruit periculum, suis peccatis deputent; nec illud irreligiosum, immò (vt Cyprianus alloquitur martyres) valdè consultum, malis meritis tribuere, quod pateris: verùm nè frangamur, ista scriptura docet castigationem adeò non esse semper irati Dei iudicium; vt sit frequenter exploratio, num genuini filij simus. Est enim mardutha filiorum, vt παιδεία puerorum correptio, quæ interdum verbis, vt prouerb. 3. nõnunquàm fit verberibus, quando Roboamus aliquis minatur se acturum cum suis flagellis, ac scorpionibus.* מרדות׳ Prouer. 19.

Neq; deficias animo, quãdo à Deo formaris. *bethochachtho, est apud Solomonem, voce ducta à iachach, quæ partìm verbis, partìm verberibus agere etiã significat. Nè te excarnifices, & nimiùm affligas, cũ redargueris à Domino. Ferè persuasum habemus rebus aduersis nihil aliud nos, quàm torqueri: at scriptura dicit nos ijs fingi; vt non solùm euadamus filij* בתוכחתו יכח Prouer. 3.

*Dei,*

*Dei; sed digni, et honesti, qui tueri queamus tantã dignitatem. Alioqui mẽte cæcis, & pueris nunquàm nõ est opus virgis. Hinc rectè παιδείαν totam hãc disciplinam Græci vocitant.*

Quem enim Dominus diligit, eum castigat. *Nam si odisset; nè attingere quidem dignaretur. Est γνώμη. Sic videmus desperatis discipulis præceptores supersedere: vndè peccatorum pacem legimus in scripturis.*

Et flagellat filios eos, qui placent. *Cùm tantundem apud Solomonem, Syros, Græcos, et Latinos habeatur; non est, quòd minùs paternæ indulgentiæ flagellandi verbum conuenire putemus, quod duplicem, verborum, & verberũ castigationem significat. Nam interdum, pro sua pietate, verbis, interdũ seruilẽ in modũ suos tractat Deus. Hoc in Ioanne Baptista factum est, qui vix editus in lucem, deportatus in desertum, quid egerit, ac docuerit notum est; ad postremũ cõpactus in carcerem, præmium insanæ saltationis efficitur. Sic sanctissima Virgo, sic Apostolus Paulus in perpetua vixêre carnificina; sic optimus quisque semper à Deo flagellatus est, et eò duriùs, quò placebat magis. Est autem hic æterni beneplaciti vox: quia iuxta decretum illius adorãdæ, formidandæq; τῆς εὐδοκίας homines flagellantur. Cùm hæc ita se habeant:*

Sustinete ergo castigationem, eò quòd, &c. *Visitatio hæc pastorum, & episcoporum est. Deus prospicit hac animaduersione, nè filij sui in alterutrum latus impingant; nè corrũpantur à malo: tam insigniter bonus, vt è rebus pessimis optima paret medicamina. Dum ergo Iudæi vobis infensi, sursum, ac*

*deorsum,*

deorsum, exilijs, proscriptionibus vos exagitat: sustinete, ac Dei nutu cuncta fieri putatote, qui merendi suppeditat occasiones, & virtutis, constantiæq; demonstrandæ campum exhibet, vt nobiliore triumpho gloriemini. Impios, & æternis olim cruciatibus, & ignominiæ consecratos, permittit pro animi sententia vitam agere; quia non nominauit hæredes: pios autẽ, & sanctos acriter coërcet, atque in officio retinet.

Neque enim vllus est filius, quem non, &c. *Vniuersum est decretum humanũ, & diuinũ: aliter tamẽ castigat pater generosum, aliter refractariũ filiũ. Si igitur sæpe voluptuamini, et ex libidine traducitis vitã in delitijs, expertes castigationis paternæ.*

Estis suppositicij, & non filij. *Non tantùm νόθους vocat, quod habẽt Græci, spurios, & adulterinos; sed suppositicios, & aliunde intrusos. His ergo rationibus docet esse parendum Deo, nec illius manum repudiandam, quæ promptè, humiliterq; susceptã, vel improbè reiectã, veros, falsosq; probat filios.*

Et si patres nostri carnis, &c. *Alterũ est argumẽtũ, quo reuincet nõ modo nõ esse filios Dei, qui eius aspernãtur castigationes, verùm & inimicos. Vocat aũt patres carnis, qui secũdũ carnẽ genuerũt. Nã etsi Deus Adami carnẽ benedictis manibus suis, vt scriptura loquũtur, cõposuerit: minimè tamẽ inuidus, quò carnis generationi conferunt, patres vocari patitur.*

Et erubescebamus eos. *Intelligẽdum est de eò, qui decet filios, parentum honore, & metu. Huius rei proditum est exemplum, cùm Mariama soror Mosis lepra percussa, & castris excedere iussa fuit. Ibi enim Deus, velutì iudicij suã rationẽ reddẽs Mosi, Si pater (inquit) eius spuisset in faciẽ illius, nõne* Nume. 12.

debuerat saltē septē diebus rubore suffundi? *Conspuere enim in faciem est indignari. Nam & Chaldæus ita reddidit, Si pater increpādo increpuisset. De parentum honore multa sunt sparsim in scripturis; nec huius loci est congerere. Si hæc delata sunt carnalibus parentibus.*

Tobiæ 4. Eccle. 3. Matth. 15. Ephes. 6.

Quantò igitur magis subijci debemus patribus. *Græci habent ὑποταγησόμεθα, quod Latinus vertit* obtemperabimus. *Notāt interpretes Paulum innuere homines rebelles reluctari Deo, frænumq; mordere, & non sequi, quò vocat institutor. Deus nobis suggerit cōsilia: cur nos non illi permittimus regēdos? Quid iuuat recalcitrare? cui si per omnia morem gesserimus, proculdubiò ducet ad salutem. Sic illi: quia singulari numero* patri spirituum *legunt. Paulus autem Syrus eos videtur potiùs demonstrare, qui animas instituere, ac regere debent; vt sunt Episcopi, parochi, &c. tametsi per antonomasiam Deum, qui talium quoque pater est, oporteat simul intelligere. Neque iudicabit absurdè sic accipi hūc locum, qui, quod mox sequitur de præpositis exhibenda obedientia, consuluerit.*

Et viuemus. *Liberis morigeris nō huius tantùm temporis, sed æterna quoque vita promissa est. Sequitur secunda ratio.*

Nam illi ad tempus castigabant nos, &c. *Vbi adoleuerint liberi, emancipantur, elocantur, facessit castigatio, quæ eátenus seu iustè, seu iniustè, pro patrum arbitrio fuerat: habetur tamen magna gratia. Deus autem æternùm, id est, quándiu nobis vtile est; expedit autem ferè semper, donèc habeat planè mansuefactos; & quidem non vt grauet, aut cruciet;*

sed vt

*sed vt adiuuet; maximo, & optimo iudicio castigat nos, & in officio retinet.*

Vt participemus sanctitatem eius. *Istud paullo latiùs exequitur ad Titum scribens, vbi dicit Christum apparuisse, vt in isto seculo sobriè, iustè, & piè viueremus; & addit*: Qui dedit semetipsum. *Ad quid?* Et mundaret sibi populum. *Quem?* Sectatorem bonorum operum. *Hæc enim est causa, cur nos emundarit Christus; vt sectando opera bona, perueniamus ad vitam æternam, in qua hîc cæpta sanctitas omnes numeros acceptura est. Hæc omnia Paulus expressit tam paucis verbis. In quibus discimus ad quid simus facti Christiani: non vt ludamus, & acceptam sanctitatem prodigamus; sed vt donatam misericorditer retineamus, augeamus, donêc tandem Christo perfectè in cœlis coniugamur. Videmus igitur, quàm sit benignus Deus. Nã cùm parentes filiorum suscipiant interdum castigationẽ, vt proprijs inseruiant commodis: Deus aliud nihil, quàm nobis commodare satagit, vt habeat, quos beatos faciat. Huic ergo tã benigno parenti oportet perpetuo amore inhærere; nec illius vnquàm imperium detrectare. Sed perpetuò luctandũ (inquiet aliquis) nusquàm apparet exitus. Audi.*

Tit. 2. Numer. 11.

Vide Tertullia. li. de anima cap. Nullam pœnè animã sine demonio esse.

Omnis castigatio autem tempore suo, &c. *Nemo, quantumcunque meritus, libenter dat pœnas: paucissimi sunt, qui non deprecantur pœnitentiam; qui non ægrè suscipiunt, etiam quod nimis clementer imponitur. Proinde Lucas eleganter addidit* δοκεῖ; *sed immeritò. Quomodo enim (ait Chrysostomus) potest sic videri: cùm sit procreatrix omnis lætitiæ, & gaudij, & adeò vitæ æternæ? Sed potissi-*

*mùm est intelligendum de momento castigationis: nam quando transijt, tunc ferè meliùs iudicant.*

In fine verò. *Postquàm ea transierit, vbi depulsum est omne peccatū; vbi quis Dei beneficio ad senectam est deductus: ad postremum.*

שלמא Fructus perfectionis. *daschlomo, siue pacis perfectos, & pacatos. vt Rom. 5. & Iacobi 1.*, Patientia opus perfectum habeat, *&c. Homo enim patiens in omnem comparatus est fortunam; & nullum à rebus externis, quantumcunque turbatis, ac deploratis, accipit incommodum: sed altissima semper animi pace fruitur. Loquitur autem Paulus de augenda, & cumulanda secunda iustitia, quæ certaminibus de die in diem euadit robustior; quam Deus hîc intérea semper exercet in suis, vt se viros præstent, quando fortiter erit agendū. Vix enim alioqui martyres efficiuntur; nisi qui se antè affecerint martyrio, et priuatìm sint experti, quid Dei gratia possit. Nūc sequitur epilogus huius argumenti.*

Oblationis quadragesimæ. *subauditur Diei. Celebrāt enim Syri plures quadragesimas: quadragesimo autem die ista legunt. Corbā autem vocat missam, seu oblationes sacrificales.*

| *Syr.* | Vulg. |
| --- | --- |
| Quarè manus vestras remissas, & genua vestra dissoluta corroborate; & semitas rectas facite pedib° vestris; vt id, quod clau- | *Propter quod remissas manus, & solutagenua erigite; & gressus rectos facite pedibus vestris; vt non claudi- cans* |

claudum est, non e- *cans quis erret, ma-*
uertatur, sed sanetur. *gis autem sanetur.*

QVarè. *Cùm fides nos ita munierit, & absolutissimo speculo instruxerit, exemplisq; promouerit; cùm præsens intẽtarit exhæredes nos fore periculum; denique cùm sint grauissimæ aliæ causæ, cur nos totos regendos permittamus Deo:*

Manus vestras remissas. *Petita est translatio ab ignauis. Strenuus autem habet semper manus paratas ad opus. Vox græca est Mal. 2. v. 9. vbi Hebræi schephalim, id est, humiles; Ionathas chalaschin id est, infirmos, vt & in veteri 70. vers. ibidẽ legitur.*

Aſulani 70 legunt ἀπερρίμενους.

שפלים חלשין

Et genua vestra dissoluta. *Hieronymus in Isaia rectè vertit debilia caschiloth. Estote parati: quòd si Deus voluerit mortem adire; subite hilares.*

נשלו — Isa. 35.

Et semitas rectas facite, &c. *Ex ista citatione liquet locum scripturæ accipiendum de angusta via, quæ ducit ad vitã; de recta semita mandatorũ Dei, quæ parum exercitatis ádmodum spinosa videtur. Sensus est, Simpliciter Deum sequimini, neque illius decretorum, & operum rationem inquirite: sed quicquid de vobis statuerit, candidè suscipite.*

Prouerb. 4. vt bene adnotat Theodoretus.

Vtid, quod dandum est, &c. *Vos hactenus quodámmodo claudicastis: quia plerique multùm, nonnulli parum, alij nihil passi estis, neque satis alacriter. Qui enim claudicat, ambulare forsitã potest; fortiter currere non potest: sic vos nisi relinquatis omnia, vosipsos paratı dare pro Christo; si timidi, & cunctantes fueritis; euertemini, & in apostasiam corruëtis.*

| Syr. | Vulg. |
| --- | --- |
| Persequimini pacem cum omnibus, & sanctitatē, absque qua nemo videt Dominum nostrum. Et prouidete, ne quis in vobis inueniatur, qui deficiat à gratia Dei; néue radix amaritudinum producat germen, & molestet vos, eoque multi inquinētur; aut nè quis in vobis inueniatur fornicator, & dissolutus vt Esau, qui vnico edulio vendidit primogenituram suā. Scitis enim eum postea reiectū fuisse, cùm studeret acquirere benedictionem. Locum enim pœnitentiæ nō inuenit; cùm eam cū lachrymis inquireret. | *Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum: contemplantes ne quis desit gratiæ Dei, ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, & per illā inquinētur multi. Ne quis fornicator, aut prophanus, vt Esau, qui propter vnam escam vendidit primitiua sua. Scitote enim quoniā & póstea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est. Non enim inuenit pœnitentiæ locum; quanquàm cū lachrymis inquisisset eam.* |

Primùm

*PRimùm egit Paulus, non sine maxima ratione, de fide; póstea de moribus disputat: quia fidei constantia non seruatur, nisi morum integritas inuiolata permaneat. Principiò igitur fidei infirmitatem in Hebræis nititur erigere, et spei tibijs fulcire, insperssis óbiter vtilissimis argumentis de mutua dilectione, & concordia.*

Persequimini pacem. *Satagite, vt cũ omnibus benè vobis conueniat; & fugitantem quoque pacem velis, & remis (quod aiunt) persequimini. Quicquid enim vnus alteri incommodat, accedit diabolo.*

Et sanctitatem. *Paulus dum studet paci, metuit nè sibi vicissim indulgerent, manifesta vitia approbãdo: itaque monet ita coli sanctitatem, vt pax illibata seruetur; & contrà pacis partes ita tueri, vt alteri nihil decedat. Saluberrima sententia prorsus: Chrysostomus tamen, Oecumenius, & alij notant nõ dictum hoc loco ἁγιότητα, quod superius habuimus, sed ἁγιασμὸν, & de continentia interpretãtur. Nec desunt in eodem contextu, quæ ad castimoniam spectant: & quemadmodùm dicebat in concilio Nicæno Paphnutius habere suam nuptias castitatem, vbi cõiuges non excedunt leges Sacramenti: ita docent Patres hunc ἁγιασμὸν in virginitate, viduitate, & maritali continentia seruari posse, quo sine nullus ad vitam sit peruenturus æternam. Frustrà autem impius Hierax, vt alijs, ita hac scriptura abutebatur, ad pernicioſum dogma constituendum, nempe, solam castitatem esse beatam, quam in matrimonio nullam agnoscebat: cùm alibi sæpiùs coniugij quàm honestissimam & ipse Christus, & Apostolus fecerit mentionem. Matrimonium non adfert sanctitatem, sed*

Epiphan. hæres. 66. Ita loquitur Theophylactus.

*conseruat; virginitas acquirit, & sanctam rectam tuetur, augetq; plurimùm : tamen continentiæ palmam non amisit, qui metu lapsus grauioris confugit ad remedium.*

Et prouidete, nè quis in vobis, &c. *Nobis nõ sat esse debet nostra salus : sed recipiendi sunt, acreducendi laborantes, errantesq; fratres, nè quis illorũ ab Ecclesia fugiat ad hostes, atque orthodoxiæ tesseram prodat.* Deuter. 29. *Moses tantundè olim à suis exigebat:* Nè fortè sit inter vos vir, aut mulier, familia, aut tribus, cuius cor auersum est hodiè à Domino Deo nostro, &c. *Moses vtiliter monet, nè incidant in idololatriam; Paulus nè excidant à gratia. Vt enim stultum est à vero Deo ad falsum, ita non minùs impium ab amico Deo deficere.*

Néue radix amaritudinum producat germen. *Ita Moses eodem loco. Mihi videtur hebraismus. Radix amara, quæ omnia à se contacta complet amaritudine, felle, & absynthio, id est, peccato, apostasia, hæresi. Cauete, nè quis in Iudaismum relabatur; quem multi deinde leues, ac libidinosi sequantur. Syris enim germen copiam significat. Videte nè quis ducem se præbeat defectionis.*

עופיי Yphio

Et molestet vos. *iaharcun. Apud Marcum Christus eodem verbo tuetur munificentiam mulieris,* Quid molesti estis, &c. *& apud Lucã impius iudex metuit, nè suggillet eum inops vidua: vnde apparet verbum esse efficax. Vna scintilla graue miscet incendium, vnicum caput hæreseos totius reipublicæ christianæ faciem euertit. Hæc est igitur molestia, denso mox agmine vos eôdem rapere molietur.*

ידרבון

מחריל meharin Marc. 14. Luc. 18.

Aut nè quis in vobis inueniatur fornicator.

*Cùm*

*Cùm versemur in ijs vitijs, quæ fidem euertere solẽt; vitæ impuritas habet plurimùm ea in parte momenti. Sed quid hoc dicturi sumus loco, vbi tanta sententiarum varietas? De hebræa voce præcedenti capite diximus: Lucæ autem dictio πόρνος sexus vtriusque meritoria corpora significat; quod vitium in Esau hactenus nemo notauit. At verò sententiæ suæ rationẽ indicans, mox Paulus dicit Esau vendidisse primogenita; vt omittam vocem syram non inuitam ad nundinationis deflectere significationem. Itaque si istud ad Iacobi germanũ pertineret; non abs re quis ita sibi vertendum statueret, & intelligendum de eo, qui infami nundinatione pro edulio, & mentis insana libidine primogenituræ dignitatem distraxerit: verùm quoniam huic intelligentiæ obstant, quæ de adulteris, & scortatoribus subsequuntur; ego declino in communem sententiam de ijs, qui mercedula vel emunt, vel vendunt fœdam voluptatem; & à proximè sequentibus commate distinguo, nè hoc insuper oneretur scelere miser Esau.*

Et dissolutus vt Esau. *Dictio græca βέβηλος hominẽ partim impurũ, partim prophanũ significat, & indignum, qui sacris in locis diuersetur; ac prôinde nõ consecratum, & initiatum: quin & Sophocles hominem rerum omnium, quæ sui sunt officij ignarum ita nuncupat. Syrus autem habet hoc loco eãdem vocem ropho, quæ cessationem, manuumq; dissolutionem significat; vt ignauum, torpentemq; intelligamus.* רפא *In summa, damnat Apostolus Hebræos, quod instar Esau negligerent, & ignorarent, quæ christiana functio, & catechesis postulat. Qui enim ad exemplum Esau se componit, solùm venationibus, conuiuijsq;, &*

*alijs nihilo præstantioribus ætatem impendens, nullo negotio sit alienus à religione, varijsq; erroribus, & hæresibus impletur.*

Qui vnico edulio vendidit primogenituram suam. *Tam erat prophanus, & meliorum negligens, vt quid sibi natura contulisset, vix nosset: & cùm barbarus ius facilè primariũ vẽdidisset, adeò nõ curauit, vel egit pœnitentiam; vt illi sceleri parricidium addere cogitaret. Quale fuerit ius primogenituræ, Hebræi prolixè tradunt. Illud huc pertinet, penès primogenitos fuisse ius sacerdotij, antequam id Leuiticæ tribui deferretur, atque reliquis fratribus benedicendi, sortiebantur duplicem hæreditatem; &, quod summum erat, ex eorum stirpe Christus erat quandoque nasciturus. Hæc omnia nihili fecit hic impius, ventrisq; mancipium. Illud non est prætereundum, quòd interpretum nonnulli Iacobum à simoniæ labe tuentur: sed licèt eius temporis compendium facere. In illis enim sanctissimis patribus zelus, religio, pietas extenuãt omnia; & ipse typus cuncta diluit: támetsi minùs hìc Iacobus candidè egisse, neque fratris habuisse rationem fortassis videatur.*

Non ignorauit Iacob quid sibi iuris ex promissione competeret antè accepta.

Scitis enim eum póstea reiectum fuisse. *Rectè admonuit Erasmus non esse imperandi modo legendum* Scitote. *Est enim ad verbum*, Scientes vos. *Propter latinam dictionem quidam de æterna reprobatione interpretantur; quam procul dubiò in alijs verbis*, Iacob dilexi, Esau autem odio habui, *intelligimus: hoc tamen in loco de simplici repulsa videtur accipiendum, quæ æternam præfigurabat reprobationem. Cùm enim veniisset ad patrem accepturus benedictionem, reiectus est.*

Cùm

Cùm ſtuderet acquirere benedictionem. *Vrgebat ius primogenituræ; multis lachrymis, & precibus, importunoq; eiulatu patrem vexabat; ſed fruſtrà.*

Locum enim pœnitentiæ non inuenit. *Pronomen* Eam *non ad pœnitentiam, quod olim volebãt Nouatiani; ſed ad benedictionem pertinet, quã nullo labore, aut fletibus potuit recuperare ſemèl diuenditam: quia non erat locus pœnitentiæ. Sic interpretes: Syrus tamen contextus vix illam recipit commentationem. Nec eſt periculum, nè faueat locus impietati Nouati. Nam de ea non agitur pœnitentia, quæ pro admiſſis catholico more ſuſcipitur, ſed de ea, qua humanitùs factum quis retractare cupiat. Dolebat Eſau, non ob peccata, ob iratum numen, & anteactæ vitæ priſtinas ſordes: ſed quia dùntaxat tam ſtultè olim cum fratre trãſegiſſet; quòd pater ſe decipi permiſiſſet; quòd Iacob benedictionem præuertiſſet. Et iſti penè ſententiæ ſubſcribunt theologi veteres, quòd ille non veram egerit pœnitentiam, dolo, & inuidentia plenus: ac pròinde nihil mirum, ſi peſſimè affecto veniæ locus non fuerit.*

| *Syr.* | Vulg. |
|---|---|
| Non enim appropinquaſtis igni accẽſo, & palpabili, neq; caligini, & tenebris, & procellę, neq; voci cornu, & voci verborum; quã qui audie- | *Non enim acceſſiſtis ad tractabilem montem, et acceſsibilem ignẽ, & turbinem, & caliginẽ, & procellam, et tubæ ſonum, & vocẽ ver-* |

dierunt, petierunt, vt nè amplius sibi loqueretur. Non enim poterant ferre id, quod mandabatur: Etiã si animal appropinquaret monti, lapidabitur. Atque ita terribile erat, quod conspiciebatur; vt Moses dixerit, Timeo ego, & tremo. Vos autẽ appropinquastis monti Sion, & ciuitati Dei viui Ierusalẽ, quæ est in cœlo, & congregationibus myriadum angelorum, & cætui primitiuorum, qui scripti sunt in cælo, & Deo iudici vniuersi, & spiritibus iustorũ consummatorum, & Iesu mediatori testamenti noui, & aspersioni cruoris meliùs, quàm

*verborum; quã qui audierunt, excusauerunt se, nè eis fieret verbum. Nõ enim portabãt, quod dicebatur. Et si bestia tetigerit mõtẽ, lapidabitur. Et ita terribile erat, quod videbatur. Moyses dixit, Exterritus sum, & tremebundus. Sed accessistis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis Ierusalẽ cælestem, & multorũ millium angelorum frequentiam, et ecclesiã primitiuorũ, qui conscripti sunt in cælis, et iudicem omnium Deum, & spiritus iustorum perfectorum, & testamenti noui mediatorem Iesum, & san-*

quàm Abelis, loquẽtis.

*sanguinis aspersionem melius loquentem, quàm Abel.*

*IN ista capitis tertij, & noni appendice iucundissimas adhibens antitheses Paulus veteris, ac nouæ legis, ex diuersissima ratione promulgandi latum discrimen ostendit; probatq; tantò deteriores Christianos, quantò lautiorem Dei gratiã contempserint. Iuuerit autem huius pericopes vsum exploratum habere, ad explodendam, qua plerique laboramus, barbariem, & à Christo nobis collatorum insignium munerum ignorantiam. In posteriore autem parte latent piæ cuiusdã, vt ita dicam, superbiæ argumenta, quibus erigatur animus, vt de Deo, & in Deo solo glorietur, sibiq; placeat, & à peccato, quod tantam dedecet nobilitatem, ac degeneres arguit, sibi temperet. Est præterea reliquus vsus, quem à pijs potissimùm retineri velim. Nam Sapientiæ 18. præcipitur, nè quis ad orationem veluti tentator accedat; sed fixa, constanteq; mẽte supplicet: quod fieri nullatenus licet, nisi huiusmodi beneficiorum Dei pijs cogitationibus, & animi sanctis informationibus mentem eleuemus in cœlum. Si enim qui à laudabilibus officijs, lectione, scriptione, studio, eò progrediuntur, vix animum possunt habere præsentem: quid futurum est ijs, qui non dissimiles Esau nugas perpetuò meditantur, & sectantur, cùm in Dei conspectum, & colloquium prodierint? Fuerit igitur magnum operæpretiũ eo momento, quæ hìc à Paulo traduntur, seriò perpendere; & in numerato habere.*

Non enim appropinquastis, &c. *Si quis miretur*

*retur non audiri hîc nomen montis: neque Syrus habet, neque Græci veteres, vtì rectè monet Erasmus; támetsi hodiè legant exemplaria græca Oecumenij, atque Theodoreti. Neque quicquam habet ea vox addita singularis inter vetus, & nouum testamẽtum discrepantiæ. Qualis autem hîc fuerit ignis, docent Exodi cap. 19. & 20. Deuter. 4. & 5. Palpabilis autem dicitur, seu (vt noster habet) tractabilis: quia nõ tantùm sub sensum visus, sed etiam sub tactum cadebat. In alijs scripturæ locis nubes nominantur, quã in caligine Paulus intelligit; quia est ex nube densiore caligo.*

Et tenebris. *Vt intelligamus magnam illic fuisse obscuritatem, neque quamlibet caliginem.*

Et procellæ. *Notũ est, quid hæ Philosophis significẽt: sed si Mosen adhibeas; non tantùm indicatur vehemens ventus, delatus in terras impetu; verúmetiam tonitrua, fulgura, & vndique circùm micantes lampades.*

Neque voci cornu. *Hieronymus in Mose tubam vertit, tanto fragore clangentem, vt humanæ vix ferrent aures; qua Dei vel descensus, vel recessus*
1. Cor. 15. 1. Thes. 4. *indicabatur. Sic scripturæ de extremo loquuntur iudicio.*

Deuter. 5. Et voci verborum, *qua perculsi Iudæi rogarũt, nè Deus ipse loqueretur eis; sed per interpretem, & sequestrum ageret.*

Psal. 105. Non enim poterant ferre id, quod mandabatur, *quod distinguebatur; vt apud Dauidẽ,* Et distinxit in labijs suis, *&c. quod tam expressè, & articulatim proponebatur, credebãt cum certa morte esse coniunctum.*

Etiam

Etiam si animal, &c. *Hoc videbatur prorsus intolerabile. Si enim bestijs, in quibus mandato locus nō est, ita fiat: quid futurum est nobis? Quædā exemplaria legunt, quod est apud Mosen,* Aut iaculo confodietur: *sed emendatiora non habent, nec Syrus Paulus repetyt. Tremellius autem versus huius postremum verbum facit thethregem, Cæs. editio iod adijcit, vt & proximè præcedēs habet haud variata sententia: sed caijoutho animal, vel bestia, Syris est fœmininum, & iod finale est indicium.* ורגע ב ז׳ ת׳ ז׳

Atque ita terribile erat, quod conspiciebatur. φαντάζόμενον *Theodoreto est, quod cadit sub cōspectum. Non enim ita dictum est, quasi fuerit falsum, quod cernebatur, aut præstigijs simile: sed quia Deus re vera præsens aderat; non tamen in ys apparebat. Quicquid tamen ibi erat adspectabile, tantam inferebat formidinem, vt Moses ipse constantissimus, & adsuetus prodigijs diuinis, diceret.*

Timeo ego, & tremo. *Vbinā ista dixit? Habēt quidē nōnihil Clemens Alexā. in protreptico, & Epiphanius in Phrygastis. Ille dicit Mosen audientem Dei verbum, extimuisse; hic autem videntē Dei visiones, mente sana ista dixisse: neuter tamen locum indicat. Nonnulli ad caput 3. Exodi referūt; vbi tamen simile nihil occurrit: & cùm Paulus hìc agat de legis approbatione; non videtur eò spectasse. Quid igitur (cùm nullus hactenus istam glaciem secuerit) si dicamus Paulum pro toto populo Mosen inducere? quod etiam hac in epistola non est infrequens. Nisi malit quis cum plurimis interpretibus credere Paulum istud vel à Spiritu, vel ex traditione habuisse; cuius rei est exemplum 2. ad Timotheum cap. 2. Si quis*

Propter ca. 7. act. vbi dicitur Moses tremefactus.

*quis igitur seriò, quæ tunc gesta sunt, expendat secũ; nequaquam mirabitur Mosen timuisse, qui à rebus humanis non alienum se satis prodit cap. 19. Exodi. Sed quid Christianis repositum est, pro veterum terriculamentis?*

Vos autem appropinquastis monti Sion. *Habet insignem, & mysticam iste mons in scripturis intelligẽtiam, nimirum Ecclesiæ; & quidem eius, quæ nunc cum suo rege triumphum agit in cœlo.*

Et ciuitati Dei viui quæ est in cœlo. *Ad distinctionem mortuorum deorum, & idolorum dicitur viuus Deus. In cœlo autem est, quia ibi se maximè largitur sanctis. Sic multis in locis nostram conuersationem ait esse in cœlo, nostramq; vitam absconditã in Deo, tametsi adhûc in terris degentium; tùm autem multò magis, cùm admonemus scalas precationum, & orationum; dum sanctos inuocamus, &c. Id igitur inter orandum nobis erit vsui.*

Philipp. 3. Colos. 3.

Et congregationibus myriadum angelorum. *Vnus Deus abunde sufficiebat: sed quia multitudine mouemur, et theatro; hoc addidit. Istud græci perpetuam quandã panegyrim, & hominum commune gaudium, atque solennitatem & concursum exponunt: ideoq; nihil erat, cur demiraretur Erasmus Origenem hunc locum ita producere, saltem in interprete: Multitudinem angelorum collaudantiũ. Explanat enim vocabulũ πανηγύρει. Videtur Paulus ad cap. 7. Danielis respexisse. Tu autem, Christiane, quid hîc sordescis in terris? Non vides te subijsse conspectum angelorum; immò societatem inijsse? Miratur illi tuam inter præcandum oscitantiam; teq; præsenti animo sanctã panegyrim colere volũt.*

Hom. 9. in Iesum Naue.

Et cæ-

Et cætui primitiuorum, qui scripti sunt in cœlo. *Quidam de Ecclesia triumphãte istud interpretantur: ego tamen potissimùm de illis arbitror accipiendum, de quibus aiebat Paulus alio in loco*, Et nos primitias spiritus habentes; *quales fuerunt Apostoli, vtique primi, & præstãtissimi; quæ duo primitiarum nomine intelliguntur. Ad horũ igitur venerandam concionem, & officia accesserũt Christiani. Dispiciant & istud studiosi, num de illis centum quadraginta quatuor millibus cõmodè explicari valeat, qui dicuntur primitiæ Dei, & Agni; tametsi priùs simplicius sit.*

Sic in situ D. Iacobiin ea, quæ proximè præcedit hymnũ cherubicum, oratione.

Apoca. 14.

Et Deo iudici vniuersi, *qui est iudicaturus viuos, & mortuos. Iudicis autẽ nomen venerabile sanctis, & formidabile malis. Ecquid exuitis veternum, & oscitantiam; cùm postremò ad vestrum, & omniũ iudicem acceseritis? Etiámne ludere, & insanire nũo libet?*

Et spiritibus iustorum consummatorum. *Hìc intelligo omnes sanctos, qui ante Apostoli ætatem demigrauerãt. Hinc manifestiùs efficitur, quid sibi voluerit in fine præcedentis capitis, dicens Deo visum esse, vt sancti sine nobis ne consummarentur; qui ántequam Christus captiuam abduceret captiuitatem, suæq; mortis consortes efficeret, arcebantur à cœlesti gloria, & perfectione.*

Et Iesu, &c. *aliàs id expositum satis.*

Et aspersioni cruoris meliùs, quàm Abelis, loquentis. *Habemus Christiani sanguinem, nõ pecoris, nõ cuiúsuis hominis; sed filij Dei. Loquitur autem cruor Abelis, siue de celebratione post mortem accipias, vt Theodoretus; siue de petitione vindictæ,*

*vt plurimi; nè tam nefrium parricidium inultum abiret. Christi autẽ sanguis, tametsi pluſquàm parricidio effuſus, meliùs loquitur: quia non vltionem, ſed veniã, & miſericordiam pro ſuis quoque implorat carnificibus; omniaq; benignè, & candidè indulget, tantum vt eius rectè vtamur gratia.*

*Antitheſes autem, quatum ſuperiùs meminimus, licet apud Theodoretum agnoſcere, breuiter, ſed elegantiſſimè notatas.*

*Syr.*

Cauete igitur, nè auerſemini eum, qui de cœlo loquitur vobis. Si namque ii non effugerunt, qui auerſati ſunt loquentem ipſis in terra: multò minùs nos, ſi auerſati fuerimus eũ, qui loquitur nobis de cœlo; cuius vox terram mouit. Nunc autem promittit, & dicit ſe rurſum vno tempore moturum nõ ſolùm terram, ſed etiã cœlum. Quod autẽ dicit vno tempore, ſignifi-

*Vulg.*

*Videte nè recuſetis loquentem. Si enim illi non effugerunt, recuſantes eum, qui ſuper terrã loquebatur: multò magis nos, qui de cœlis loquẽtẽ nobis auertimus, cuius vox mouit terram tunc; nũc autem repromittit, dicens: Adhuc ſemèl, & ego mouebo non ſolùm terram, ſed & cœlum. Quod autẽ adhuc ſemèl dicit, declarat mobilium tranſ-*

nificat trãslationem eorum, quæ mouentur; eò quòd facta sunt; vt maneant ea, quæ non mutantur.

*translationem, tanquàm factorum; vt maneant ea, quæ sunt immobilia.*

*PErspicuum est, quámobrem tam diligenter Apostolus rursum committit nouum testamẽtum cum veteri; nimirum, vt intelligeremus gratiam nobis factam; vt summo studio fugeremus peccatum; & Hebræis longè sublimiorem ageremus vitam, quibus multò potiora sumus adepti beneficia.*

Cauete igitur, nè auersemini eum, &c. *Magnos magna decent: videte nè cœleste stemma obscuretis. Estis enim quodámmodo cœlo affixi; ibi sedet iudex, & caput vestrum; eò migret animus; nè reijcite loquentem, Auersatur autem is, qui vel nè audire quidem dignatur, vel audita non seruat. Moses olim, sequester, stans in terris, nos alloquebatur; & qui nõ paruisset neci tradebatur (agit autem de grauibus culpis) multò igitur grauius, in noua lege esse immorigerum, vbi Deus ipse de cœlo promulgat edicta. Quantò itaque cœlum terra, Deus Mose præstat: tantò magis est obtemperandum. Doctrinam ergo christianam è cœlo profectam locus iste demonstrat; iuxta quod Esaias, & alij prophetæ cohortantur omnes, vt conscendant in mõtem Domini, et ediscãt ipsius voluntatẽ. Extat quorundam diuersus cõmentarius, hanc auersationem interpretantium de renuentibus domini sermonem audire, & dicentibus ad Mosen: Loquere tu nobis: nõ loquatur nobis dominus; nè fortè moriamur. Nec dissimile*

*vero multos ibi tùm fuisse, qui dicerent, quod de aliys póstea scriptum est*, Recede à nobis, viam mandatorum tuorum nolumus; *sicuti Achaz dicebat*, Non petam, & non tentabo dominum; *nè carnis libertatem diuinæ virtutis, voluntatisq;, et veritatis cognitio deprimeret. Si quis autem obijciat*
Deuter. 5. *populum, etiam teste Deo, rectè locutum: parata est responsio. Quia cùm Deus diceret*, Quis det eis talem mentem, vt me timeant; *cum paullò póst ad idololatriam, & scortationes dilapsi fuerint: palàm est in illa tam speciosa promissione, & metu nõ defuisse in plerisq; magnam hypocrisim. Priorem tamen sententiam sequor; vt auersatio ad auditum simul, & rerum auditarum exercitium pertineat. Quid est (inquiat aliquis) cur tantópere miremur istam è cœlo profectam cognitionem? Vide, quid dicat.*

Cuius vox terram mouit. *In illa vtique legis promulgatione. Marisch vox Hebræa Agg. 2. nõ solũ pauere, verumetiã tremere, trepidare, commoueri*
מרעיש *significat. Septuaginta συσεῖσαι verterunt, quasi mons supra seipsum raptus sit. Nec rarum est in scriptu-*
Psal. 73. 76. & 106. *ris, ad Dei vocem terram tremuisse: propriè tamen agitur de monte, in quo lex ferebatur.*

Nunc autem. *Citat Aggæum, sed more suo loco, & authore dissimulato.*

Se rursum vno tempore moturum non solùm, &c. *Hunc locum mirabiliter enarrauit Gregorius Nazian. lib. 5. de Theolog. cap. 3. vbi docet in scripturis triplicem audiri terræmotum. Erat enim terræmotus, cùm ad legem suscipiẽdam à Deo mortales inducerentur; alter factus est à lege ad euangelium*

gelium, vel ab idolis eôdem. Id enim promulgatum, terræ totius incolas permouit. Tertius motus est, quã do homines ab Euangelij rebus, etiam nunc sensilibus, mouentur ad regnum Dei perpetuum, & Sionem cœlestem: quæ Paulus nequaquam disiungit ab euangelio; cùm sint ipsius finis. Cœli igitur motio hoc loco intelligitur de facta per Christi mortem inter mortales, & spiritus cœlestes amicitia, qui nobis proconditoris iniuria fuerant éatenus infensi.

Quod autem dicit, Vno tempore. *Hoc solùm vrget Paulus,* Vno tempore. *Si enim semèl dúntaxat moturus pronuntiabatur Deus cœlum, & terram; déinceps, eo peracto, omnia manebunt immota. Frustrà igitur vel Hebræi, vel alius quiuis expectabit euangelio, & legi christianæ aliam successuram; vt factum est Iudaismo: cùm præsens Christi regnũ sit in immobile tantùm, omnisq; mutationis expers transiturum, nempè cœleste.*

Significat translationem eorum, quæ mouentur. *Istud interpretes aiunt dictum de cœlo, terra, mari, & si velis, etiam gentibus: quæ omnia, quia condita sunt; euanida, & mutationi obnoxia sunt. Nam et si angeli finem non habent: id non solius naturæ est, sed & omnia conseruantis gratia. Mihi tamen videtur ea intelligere Paulus, de quibus est ca. 8. & 9. locutus, altare, tabernaculum, & quicquid erat typici cultus; quod humanum, & próinde labile, fluxumq; fuit. Cùm enim ea versaret, aiebat Christianos habere promissa immobilia, regnumq; perpetuum. Non quòd tertio motu non simus à sensilibus ad cœlestia, ab ænigmate ad speciem migraturi: sed quòd res Christianorũ fine suo potissimùm æstimẽtur.*

*Iudæi igitur moti primò fuerunt ad res iterum mutabiles: Christiani autem, quia cœperunt à secundo motu, post quẽ in hoc seculo nõ erit alius; ideò res ipsorum æternæ sunt; vt quæ prætérea minimè artificum manibus, instar Iudaicarum, factæ fuerint.*

## Trecentorum octodecim Patrum, & Regũ fidelium *commemoratione.*

*Satis nota est ex Areopagita, & alijs, veteris Ecclesiæ consuetudo referendi in diptica migrãtium in pace, & quorũ de sanctitate non esset penitùs cõpertum, nomina; vt sub tremendis mysterijs recitarentur. Cæterùm hæc inscriptio mihi hactenus non videtur illi commemorationi seruiuisse, quæ fiebat ad poscendum refrigerium defunctorum spiritibus; cùm illi rei sint aliæ scripturæ partes, vt inscriptiones indicant, adsignatæ: sed ad festiuã, & solennem, quæ apud Syros quotannis fiebat, regum, & Patrum commemorationem. Nam quanti fecerint illi reges suos, vt penè omnes Orientales; licet ex Balsamone ad can. 12. Ancyranum discere.*

| *Syr.* | Vulg. |
| --- | --- |
| Ideoque nos, qui adepti sumus regnũ immobile, apprehẽdamus gratiam, qua seruiamus, & placeamus Deo, cum reuerentia, & timore. Nã Deus noster est ignis de- | *Itaque regnum immobile suscipiẽtes, habemus gratiã; per quam seruiamus, placẽtes Deo, cum metu, & reuerentia. Etenim Deus noster ignis con-* |

deuorans. *consumens est.*

HInc discimus immobilitatem regno adscribere cœlesti, ad quod iam spe Christiani peruenerunt, in quod nulla cadet vnquàm mutatio; nè in ipsa quidem religionis dogmata, quod indocti quidam videntur formidare, quantúmuis ab hæreticis exagitentur. *Quid igitur æquum est nos facere?*

Apprehendamus gratiam. *Liquet ἔχωμεν imperandi modo reddendum. Sensum autem à gratiarum actione, & animi grati demonstratione longè diuersum Syrus contextus ostendit. Cùm per Dei gratiam ad consortium æternorum bonorum peruenerimus: fortiter arripiamus ea, quæ nobis offeruntur, neque sinamus effluere; vtamur gratia Dei; neque nostra negligentia eius iacturam faciamus, quæ nobis non deperibit, nisi sponte eam abiecerimus. Iudæi enim, ad quos scribebat Apostolus, magna sibi præsidia meritorum comparauerant, peneq; iam in portu nauigabant; tãtùm supererat, nè effecti negligentiores naufragium facerent. Quómodo vtemur ea gratia?*

Qua seruiamus. *Latriæ vocabulum est, Græcis significans summum Dei cultum. Sic ergo rectè vtemur ea gratia, si ea fretimeditemur Dei cultum.*

Et placeamus *Hoc faciet eiúsmodi seruitus; siquidem non labamur in Iudaismum; si more Christiano Deum colamus, offerentes ei agnum immaculatum, diuina mysteria peragentes. Verbum syrum* נשבר *neschphar habet mirabilem epitasim. Si enim liceret ita loqui; périnde fuerit dicere, Deo pulchrescemus. Is, nimirum, nostro obsequio, vt re quapiam pulcher-*

*rima delectabitur: neque patietur nobis regnum suũ deperire; si non siuerimus nobis à tyrannis, & persecutoribus cultum eius, ac fidem eripi. An tùm licebit de nulla re esse solicitis? Nequaquam.*

Cum reuerentia, *nempè, quæ decet filios; vt cũ honesto pudore suspiciamus cœlestis nostri parentis maiestatem.*

Et timore. *Pudorem sequitur timor, nè offendamus; contra stultissimæ fidei, hoc est, certæ damnationis adsertores fiduciarios, qui cùm alibi fidei cuncta promittant; hoc loco naturam nostram tam labilem, fluxamq; depingunt; vt omni momento corruat. Quorsum (obsecro) timor; si credere debeam certò me peruenturum ad cœlũ? Noluit Paulus Hebræos omnia sibi in tuto posita credere: ideoq; subdit.*

Nam Deus noster est ignis deuorans. *Sic Moses lata iam lege hortabatur Hebræos, nè committerent, vt per idololatriam, & alia peccata Deũ irritarent; & vt hoc persuaderet, Deus noster, inquiebat, in cuius partes, relictis peccatis, transijstis, est ignis deuorans, siue comedens. Spectat autem Paulus naturalem illam ignis proprietatem, qua vniuersa consumit, & ad nullum inquinamentum dissimulat. Deus enim sanctorũ quoque leuiores noxas igne animaduersionis concoquit: próinde oportebat Hebræos nihil ligneum, aut fœnaceum, tam vicinos Deo factos, habere; nè toti deflagrarent propinquo incendio. Nihil igitur facit hic locus ad Hebræorum consolationem, quasi hũc ignem eorum aduersarys ominaretur Paulus; sed ad metum incutiendum, vt in officio persisterent formidine vicinæ vltionis. Consolationem autem est proximo capite subiunctarus.*

Cur ignis vel natura, vel nomen Deo, vel angelis tribuatur, docet Areopagita ca. 13. de diuinis nominibus.

CAPVT

# CAPVT XIII.

Syr.

CHaritas fraterna permaneat in vobis; & amoris hospitum non obliuiscamini. Hoc enim quidam meruerunt, cùm minimè sentirēt, angelos accipere.

Vulg.

*CHaritas fraternitatis maneat in vobis. Et hospitalitatē nolite obliuisci. Per hanc enim placuerunt quidam, angelis hospitio receptis.*

*IN ista fraterna dilectione, cum Chrysostomo, & Theophyl. maximum amorem fratrum intelligo, quire ipsa præstetur, & sensum exhibeat viscerum misericordiæ. Et intelligit Paulus Christianos debere, vtpote fratres, sese mutuò iuuare; nec vicissim sibi deesse. Nec intempestiuè admonet eius rei; cùm horribiles persecutiones à iuuando sese inuicem deterrerent: atque óbiter ostendit illos olim non caruisse hac virtute, vti cap. 10. vidimus; sed quadántenus propter pericula intæpuisse.*

Ioseph. li. 2 ca 12. belli Iud.

Et amoris hospitum non obliuiscamini. *Loquitur de susceptione fratrum peregrinorum; quibus olim erat nefas ad gētilium ædes, & hospitia diuertere; sed in Episcoporum domos suscipiebántur, & à viduis tractabantur; vt videre est apud Athanasium in tractatu virginitatis. Neque solùm primitiua virtutem istam Ecclesia coluit: sed etiā ante plùs minùs quadringentos annos nostris fuit maioribus magno in pretio. Nā D. Burchardus libr. 1. decret.*

Vide cap. 5 de originibus monasticis.

De clericorum hospitalitate vide lib. 2. synodorum ca. 104. 105 106. Tridētina mque synodum sess. 25. c. 8.

Ambr.li. 2. ca.21.lib.3. c.7.offic. Aug. lib. 5. confess. ca. penultim. Lib.19.c.5 Burch.

*cap. 93. interroga. 71. docet Episcopos etiam tunc in solenni lustratione interrogare, num essent, qui ad se venientes hospites reiycerent; & tantam fuisse decretam pœnam, quanta mortiferis indicebatur.*

Hocenim quidam, &c. *Latini tam constanter retinent verbum* placuerunt; *vt homo diligentissimus Nicolaus Sigerus adserat se in nullo codice aliter legisse. Quod autem Robertus Stephanus citat ex codice B. Germani (Latuerunt) factum vitio librariorum videri potest. Non desunt tamen, qui id verbi super Lot, & eius filiabus explicent; quòd latuerint, hoc est, subterfugerint commune periculum: sed phrasim nequaquam adsequutos probat Syrus Paulus. Cùm igitur plerique sancti hoc minimè futurum sperarent, fuerunt hoc honore donati à Deo. Accepisse autem elegãter vnico verbo Syri, pro hospitalitatis præstito munere, dicunt. Plerique de Abrahamo accipiunt. De Lot nulla est quæstio; qui etiam in suas ædes coëgisse refertur, quos angelos esse nè somniabat quidem. An autem idem de Abrahamo dici queat, ambigit Chrysostomus: si tamen pedum lotionem, mensam, cibosq; paratos cogites; facilè dices angelos ab ipso pro hominibus habitos. Et cũ dicit,* Domine diuerte ad famulum tuum, *non est nomen tetragrammaton; & vnum alloquitur, in quem sermo inciderat, nihilominus omnes intelligens: vndè quòd adorarit interpretes accipiunt de officiosa δόλιος, quòd se putaret affectum iri beneficio, si hospitium non renuerent. Vbi tamen cœperunt sese, atque promissionis sacramenta, & Sodomiticam cladem aperire, mox Deum agnouit.*

Syr.

*Syr.*

Mementote vinctorum, haud secùs, quàm si vnà vincti essetis. Recordamini eorum, qui in angustiis sunt constituti, velut ipsi quoq; carnem induti. Honorificum connubium in omnibus, & thorus eorũ est purus: fornicatores autẽ, & mœchos iudicat Deus. Affectus vester nè adamet argentum; sed sufficiat vobis, quod sufficit vobis. Nã ipse Dominus dixit, Non derelinquam te, neq; dissoluã tibi manus: & est quàmobrẽ dicamus confidenter, Dominus meus adiutor meus; nõ timebo, quid faciat mihi filius hominis. Memores esto-

Vulg.

*Memẽtote vinctorum, tanquàm simul vincti, & laborantium, tanquàm et ipsi in corpore morantes. Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Fornicatores enim, et adulteros iudicabit Deus. Sint mores sine auaritia, cõtenti præsentibus. Ipse enim dixit, Nõ te deseram, neque derelinquam: ita vt confidẽter dicamus, Dominus mihi adiutor; non timebo, quid faciat mihi homo. Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei; quorũ intuentes*

estote antistitum vestrorũ, qui vobis loquuti sunt verbũ dei. Intuemini in finẽ regiminum ipsorum, & imitamini fidẽ eorũ. Iesus Christus heri, & hodiè, & ipse in seculum.

*tes exitum conuersationis, imitamini fidem. Iesus Christus heri, & hodiè, ipse & in seculum.*

MEmentote vinctorum. *Putatote vos simul teneri in vinculis, completos situ, pædore, et alijs innumeris ærumnis: & tum quod vobis ab alijs exhiberi cuperetis, ipsi præstate. Loquitur autẽ de confessoribus, & Christi seruis.*

Recordamini eorum, qui in angustijs sunt. *Compactis in vincula ecclesiarum proceribus, alij dimittebantur; sic tamen vt in calamitate vitam retinerent: quorum nunc etiam haberi iubet rationem, propter Christum spoliatorum, tametsi nè alij quidem sint contemnendi.*

Velut ipsi quoque carnem induti. *Fingite vos esse eos ipsos, illorum personam induite: vel vt alij, Putatote vos esse in eorũ corporibus. Nec abludunt ista ab eo, quod vult Apostolus: sed ij mihi rectissimè sentire videntur, qui volunt istud intelligi de corpore huiusmodi malis obnoxio. Mementote oppressorum, perpendentes vos circumgestare corpus, cui forsitan propediem possit idem contingere. Putate à vobis humanum nihil esse alienum: & sicuti videtis istos vrgeri miseris modis, tẽtari de desperatione*

*& mur-*

*& murmure, ita vobis futurum, ni seruet Deus, si eodem essetis nunc loco. Huius rei exemplum videre est, rem hanc planè ob oculos ponens, apud Gregoriũ Nazianze. vbi disputat contra Nouatum, qui périnde agebat erga digamos, & lapsos, ac si homo ipse non esset.*

Oratione de sanct. luminibus.

Honorificum coniugium in omnibus. *Syrum meiakaru pretiosum significat. Hæretici autem mirè deprauãt illud,* In omnibus: *alij, Inter omnes; alij etiam, homines, addunt; quasi nullus à matrimonio sine scelere liber agere possit. Quod penitùs impudens, & pecuinum, quibus persuadeant, ipsi viderint. Quis enim dãnare audeat tot vtriusque sexus virgines laudatissimos? Alijs igitur hæresiarchis Lutherus axioma suum de continentiæ impossibilitate probare non potuit, adserentibus quosdam eam præstare posse; sed quibus est datum. Nimis quam tamẽ hi superbum esse contendunt, Venere se abdicare, sine certo experimento accepti muneris. Verùm & istos relinquamus, satis conuictos germana huius particulæ expositione. In syro igitur manifestum est de hominibus intelligendũ. Nã cùm de rebus alijs intelligendum est, apponitur dictio medem vt 1. Petri 4. & 1. Cor. 1. Hîc autem nihil simile. Et hoc postulat sensus eorum, quæ sequuntur.*

מיקרו

Ignatius epist. 6.

מרם

Et thorus eorum purus. *Num & eorum, qui votum nuncuparunt? Num fratris cum sorore; filij cum matre, aut nouerca impias coagmẽtationes laudari credis? Horrendum est: absit. Nec puto ratum fore, iudicibus licet hæreticis, quod ab infantibus fieret. Si igitur ad certum tempus restringendum istud tunc censeas: quid nì ad eos etiam, qui apti, & liberi*

*sunt*

*sunt ad contrahendum pertineat? Est autem non decernentis, & præcipientis, sed definientis sententia, Matrimonium qui contraxêre, præ vobis despiciendi non sunt; vt qui in honesto, & sancto loco versentur. Tametsi enim Græci, Latiniq; verbum (est) non exprimant; subaudiendum est. Nulli est dedecori legitimè contractum, etiam secundò, tertiò, &c. matrimonium; quamuis olim digami ad pœnitentiam cogerentur. Noster interpres Lucæ dictionem alibi trãstulit congressum, siue concubitum; hìc thorum: ipsa tamen propriè lecticam, seu grabbatum significat, vti & Syra aarso: sed Apostolus metonymicòs pro castitate maritali vsurpat. Fas est vxorem ducere, & ducta vti. Erat in Ecclesia veteri magna horum præceptorũ necessitas; adeò vt vbique feruente continentiæ, virginitatisq; studio, coniugatorũ quoque sacerdotum oblationes non abijci fuerit præcipiendum; & Gangrenses Patres seuerè præceperunt, nè virgines in tumorẽ elati maritos contemnerent. Hoc loco nos incessunt hæretici; atque illud Paulinum in nos cõpetere vociferantur,* Prohibentium nubere; *Veteresq; trahunt in inuidiam, quasi matrimonium pro immunditia duxerint; ac nominatim Syricium, Hieronymumq; perstringunt. Et illum quidem citãt ex epist. ad Episc. Hispaniæ, quæ nunc non extat, aut quæ saltẽ ad Tarraconensem inscribitur. Hunc autẽ mirũ est audere in ista caussa nominare: cùm ita testetur se gaudere matrimonij laudibus; vt cũ Ecclesia subiectũ velit virginitati; diuersos tamen esse fructus, & præmia; nec rarò sanctos coniuges præstare virginibus; quamuis vbi spiritualis eunuchiæ encomiasten agit, excidant interdum voces, per aduersariorũ improbi-*

*tatem*

Ignatius epistola 6. Clemẽs in diataxibus sæpe.

Rom. 9. κοίτη.

עדסא

Buchardus lib. 2. ca. 30 lib. 4. cap. vltim.

Li. 1. cõtra Iouinia. Aduersus Heluidiũ.

tatem extortæ. Sed apertè Syricius quinto, & octauo eius epistolæ capitibus agens de publica pœnitentia, nuptias vocat illicitas cupiditates, pollutionem, &c. Non abnuo, sed inspice contra quos agat sanctiss. pōtifex; nempè, contra sacerdotes, & diaconos, qui post emissa vota sese nuptijs immiscebāt, & eos, qui cōtra interdictum Ecclesiæ abutebātur matrimonio. Quibus enim imponebatur publica pœnitentia, priùs ab eis continentiæ perpetuæ votum exigebatur. Eorum in Hispanys plurimi non solùm repetebāt vxores, sed & promiscua se Venere polluebant. Hos damnare, quid est praculi? Sacerdotum, & monachorū si quas videas impuras coagmentationes, & in matrimonij simulachro perpetuum sacrilegium, & adulteriū dānes: nū erit ea nuptiarum iniuria? Damnetur ergo Paulus, qui damnationem eas manere, immò iā habere scripsit, quæ post votum ad nuptias conuolabāt.

Fornicatores autem, & mœchos iudicat Deus. *Vox ista Græcis, Syris, & Latinis præter adulterij vitium, reliquas interdū libidinis species significat. tamen de solis hoc loco videtur adulteris accipiēda, maximè quòd fornicatores adiuncti sint. Adulteros igitur, & scortatores, denique omnes impuros iudicat Deus, phrasi syra, iudicaturus est, id est, rei sunt mortis æternæ. Non enim agitur de pronuntiatione sentētiæ: sed per metalepsim id, quod per sentētiā irrogatur. Deus eos perdet, nisi agāt pœnitentiā.* Mœchus. μοιχος. נאף

Affectus vester nè adamet argentū, &c. *Nolite congerendis pecunijs operam dare, sed eas potiùs in miseros, & captiuos dispensate. Sufficiat vobis panis quotidianus.*

Nam ipse Dominus dixit. *Vtinam vel Pythago-*

thagoræos imitaremur ad illud, αὐτὸς ἔφα. *Sunt, qui petitam scripturam volunt ex ca. 1. Iosue, vbi Deus ad strenuè agendum cohortatus*, Non dimittam, nec derelinquam te. *Et proculdubiò gessit heros ille typũ Christi, & deinde cuiuslibet Christiani. Aliis placet ex 45. cap. Esaiæ sumptã, vbi Deus, tametsi diuersis verbis, huius loci sententia Iudæos alloquitur. Interim neutrum locũ voluisse referre Paulum arbitror; sed generatim ex toto scripturæ corpore sensum depromere. Dissoluere autem manus, idiotismo syrò hominem impedire, & cunctabundum reddere, vt operi nõ sit accinctus, dicitur. Aliâs diximus ignauiam significare. Deus igitur non tantùm innuit se subuenturum; sed etiam repentè, & cùm erit maximè opportunum. Quod cùm ita sit.*

Est quamobrem dicamus confidẽter, Dominus meus, adiutor meus, &c. *Est nomen tetragrammaton.* Filius hominis, *mortalis, miser. Quid enim is faciat: cùm Deus te in sinu gestet? Ita scripturæ nos de Deo sentire docent.*

Memores estote antistitum vestrorum, &c. *Certum est agi de fidei doctoribus, apostolis, episcopis, sacerdotibus: sed de viuisne, an defunctis, ambiguum; interpretibus in diuersas abeuntibus sententias. Si de iis, qui etiam tùm erant superstites, interpreteris; ista memoria curam, ac rerum necessariarũ subministrationem significabit; vti Gal. 6. & Thess. 5. Subministrate vestris antistitibus, qui maximè sunt tribulationibus obnoxij. Aliorum commentarius de Stephano, Iacobo, & alijs, qui iam mortẽ obierant, exponit. Recogitate, quales fuêre primi doctores, quàm constantes, & rerum perituraru in signes*

contem-

*contemptores.* Argentum, & aurũ non est mihi[a] *inquiebat ille. Et eò vergit, quod sequitur.*

Intuemini in finem regiminum. *Considerate quàm potestis diligenter, quo pacto vos rexerunt, docuerunt, tractauerunt; & vitæ rationibus expressa doctrina, quem in ea sortiti sint exitum.*

Et imitamini fidem eorum. *Catholicam, an antè traditam? Sensus vterque bonus. Sicuti vos ipsi docuerunt; ita in ea fide manete. Sed istud magis arridet, Imitamini eorum fidem, & constantiam, animiq; fortitudinem. Illi enim vt rectè crediderunt, & fortiter sunt confessi, ac pro fide mortui: ita parati estote quiduis pro fidei confessione perpeti.*

Iesus Christus heri, & hodiè, & ipse in seculum. *Apud veteres theologos duplex est sensus huius loci, aduersus Arianos, qui Christum creatum adserebant, & Sabellianos, siue Eutychianos, humanitatem à diuina natura absumptam, & in sanctissimam Trinitatem traductam adserentes. Nec aliter Ambrosius vsurpat locis aliquot,* heri *ad æternitatem,* hodiè *ad carnalem generationem referens. Eã tamen interpretationem neque antecedentia, neque consequentia ferre videntur. Christi merita (inquiũt alij) & effecta perpessionis, sunt eadem semper: neque iustitia vlli contigit, vel dabitur vnquàm; nisi ex eodem fonte hauserit. Est reliqua sententia, recentibus interpretibus adlubescens; vt indicetur fidem in redemptorem & olim fuisse, & fore semper. Quid si per occupationem ista dicta quis adserat? Iusserat Paulus Hebræos imitari constantiam, & fortitudinẽ doctorum suorum: nè autem eam sibi défore gratiam quererentur, qua ducibus religionis præsto fuerat,*

Lib. 5. de fi de cap. 2. De sacr. Incarnationis cap. 6.

*nèue Christi sanguinẽ deferbuisse causarẽtur, it obuiã tacitæ quæstioni. Nè putate christũ abfore vobis conãtibus; quasi lãguidius nũc suis opitulari queat. Vt enim Iacobo, Stephano, et alijs adfuit; aderit et vobis. In illis luctatus est, ac vicit; immò in ipso illi vicerũt: sic eius præsidio nulli rei impares futuri estis.*

Hora nona feriæ sextę crucifixionis, & sacerdotum, *nempè festo, Syr cúm ob crucis, túm ob altaris mentionem his verbis vtũtur. Nec enim mysticam, vt hæretici, sed nostrum, id est, catholicũ altare tremendorum ministerijs initiatum intelligunt.*

| *Syr.* | Vulg. |
|---|---|
| Doctrinis alienis, & variis nè abducamini. Bonũ namque gratia vos corda cõfirmare, & non cibis: eò quòd nihil iuuerint versantes in iis. Est autem nobis altare, è quo potestatem vescendi non habẽt, qui in tabernaculo seruiunt. | *Doctrinis varijs, & peregrinis nolite abduci. Optimũ est enim gratia stabilire cor, non escis; quæ non profuerunt ambulãtibus in eis. Habemus altare, de quo edere non habẽt potestatem, qui tabernaculo deseruiunt.* |

DOctrinis alienis. *Syrus hæc ordine verso proponit. Peregrinis aliunde allatis opinionibus. Quicquid non consentit cum apostolica fide, & maiorum dogmatibus, alienum est. Quæcunque ex Homero, & philosophis à Simone, alijsq; hæreticis inuecta fuerunt, aliena sunt. Hacq; præscriptione semper*

*vsi sunt*

*usi sunt maiores nostri, Peregrina est ista doctrina; aliunde importata, atque à diabolo conficta. Non autem solùm aliena hæresis; sed & varia.*

Irenæus epist. ad Florinum, & Blasium.

Et varijs. *meschachalaphe significat omnimodã commutationem, & refictionẽ. Interpretes dicunt, & res est, sentire Paulum de hæreseon mutabilitate, nunquàm sibi constantium, sed religionis, & erroris formas subinde mutãtium. Hæc igitur esto hæreseos altera nota. Sola ecclesia supra petram fundata, est columna, & firmamentum veritatis. Quod obseruatum in æstuosissimis opinionum, errorum, & hæreseon contentionibus, mirum in modũ firmat orthodoxiã. Initio videntur bellè consentire, & syncretismũ fingere hæretici: sed mox fucus euanescit, & erumpit odium; cùm sibi quisque plurimũ, vel miserrimus, reliquis nè pilum quidem concedat. Sic olim Nouatiani primùm quidem lapsis claudebant Ecclesiã, ob illud,* Qui me negauerit coram, &c. *Hoc vbi tueri nõ potuerunt, incertum aiebãt, an Deus sit recepturus; hinc etiam deiecti à catholicis, sacramenta, quibus id fieret, insiciabantur; postremò eò deuoluti sunt, vt ostentatione Pharisaica se solos puros putos, alios omnes impios dictitarent. Sic Pelagiani quondàm simpliciter negabant gratiam; deinde eam duntaxat magistram agnoscebant, ac tãdem, vt solùm faciliùs bonum fieret, se ea aduitari docebant. Ea est hæreticorum inconstantia; & varietas.*

Nè abducamini. *Syra voce dicitur alibi Christus actus in desertum, montem, ac pinnam templi. Græco verbo* περιφέρεσθε *(quamuis nonnulla exemplaria legant* παραφέρεσθε*) volunt interpretes aliqui notari maniam, & vertiginem hæreticorum, quibus familiares*

miliare est rotari perpetuò, & ex vna in alteram hæresim corruere.

Bonum nãque gratia vos corda confirmare. *Vt quorundam partim de sacramentis, partim de gratiarum actione imperfectam, minimeq; solidam sententiam omittamus: theologi veteres huius gratiæ nomine fidem vndecimo capite descriptam accipiũt, cuius eam efficacitatem hîc Apostolus intelligit, qua homo obdurat aduersus omnes aduersitates. Hoc enim dono cùm homo vtitur legitimè, dæmonum, & hæreticorum solicitationes omnes prolixè deridet.*

Et non cibis, &c. *Ista perstringũt Merinthianos, & Cerinthianos, qui Christo synagogam adglutinare moliebantur; magnamq; partem religionis in epulis, & cibis sacrificalibus, quasi bearent homines, Deoq; gratos redderent, collocabant. Satis enim indicat Paulus se de vulgaribus epulis nequaquã agere, seu vt Iudæi vocabant, communibus, quibus contaminari se credebãt, & à quibus oportuerat, eos ante Christum abstinere, vt ab Eleazaro obseruatum, & Maccabæis cernimus; sed de sacrificalibus, quas maioris esse momenti isti ex Pharisæorũ schola nati hæretici, qui in sacrificijs consenuerant, suosq; in ijsdẽ detinebant, arbitrabantur. Est igitur tempus Deo sese nequaquàm cibis, vt illi seductores inuisi Deo cõrendebãt; sed fide, spe, charitate, spiritu, veritate approbandi: nec est ampliùs Iudaicis incumbẽdum; sed ad verum Christianorum cultum confugiendũ. Tãtùm abest, vt hi cibi, ad quos Merinthiani vos inuitant, cuiquam sint profuturi; vt nè tùm quidem, cùm lex viueret, staretq; tabernaculum, quicquam eos iuuerint, quibus ita mandatum erat. Tùm quidem*

laudа-

laudabatur obedientia: sed cibis nihil virtutis inerat. Quia autem illi hæretici ferè Iudaicũ sacerdotium administrabãt, nè quid hac in parte Christiani Hebræi desiderarent, addit.

Est autem nobis altare, &c. Communis interpretum sententia hæc est. Habemus Christiani oratoria, & in ijs altare, seu mensam Domini, vbi quotidiè immolatur incruenta victima. Sic veteres, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, & alij, quorũ fides, integritas, diligentia, antiquitas, hæreticorum longè superauit exceptiones. Audent tamen aduersarij exclamare hoc sermone semèl euerti, quicquid orthodoxi de sacrificio, templo, altari, & reliquis eò pertinentibus docent: itaque contra tenebras, quas hic offundunt densissimas, germanam oportet diligẽter interpretationẽ eruere. Geneuensis expositio tam parcè attingit, vt nè altaris quidem mentionem faciat: tantùm dicit nullũ Christi meritum ad eos peruenire, qui etiã nunc tabernaculo affixi deseruiunt; Numer. 19. quemadmodùm ex vacca, cuius sanguine populus aspergebatur, incenso extra castra cadauere, nihil in vsum cadebat sacerdotum. Interim latet fucus non exiguus, dum alteram solùm allegoriæ partem explicant. Etsi enim exusta vacca, Christi carnẽ designarit: non tamen omittenda fuit lustrationis, & aspersionis, quæ ibi refertur, allegoria. Próinde Beza diuerso itinere gradiẽs, ait altare pro victima positum. Si quanã ea sit, roges: preces, officia pietatis, & quicquid est religionis, dempto sacrificio dúntaxat intelligit. Ad quid ergo vescẽdi verbo vsus est Apostolus? Respondet dandum id decoro metaphoræ. Quorsum autem addit, De eo; nisi vt duo intelligamus, ipsum

(inquam) altare, & quod ibidem mactatum fuit? Verùm vt id euidentius fiat; fingamus agi de precibus. Gētiles, Iudæi, & alij persecutores Ecclesiæ, nónne sunt precum christianarum participes? Canones Mileuitani adserunt ea ratione multos ad fidē quotidiè traduci; quemadmodùm & liturgiæ græcanicæ fidem euidentissimam faciunt. Paulus iubet seruos esse ethnicis dominis verbo audientes; vt ea promptitudine inescati, fidem suscipiant. Valeat igitur Besanum commentum, scripturis, & receptæ patrū sententiæ contrarium; quibus accedit vsus Syrarum ecclesiarum, quæ hanc scripturam vsurpant in initiatione sacerdotum: vndè facilè altaris colligitur intelligentia. Quòd si quis adhūc dubitet; videat, quibus in locis scripturæ mensam dominicā nominant, num idem Patres, & catholica traditio constanter inculcet. Quid enim aliud Paulus 1. cor. 10. sibi vult, cùm ait nō pòsse Corinthios mensæ Domini, & mensæ dæmoniorum esse participes, hoc est, altaris, in quo carnes immolantur, & in quo agnus immaculatus mactatur? Malachias cap. 1. dicit mensam Domini cōtaminatam: quia Iudæi vitiosas, mutilasq; victimas instruebant. Num hæretica impietate dapsilem mēsam intelliges? Consule Dauidē Kymhium, & alios: videbis schulchan per mizbetho, id est, sacrificatorium exponentes. Adeas simili curiositate Ezechielem; & eum, sodes, interpretare secùs, quàm de sacris altaribus. Et residuus est canon vetustissimi concilij Remēsis apud Burchardum, vbi nostrum altare mensa vocatur. Quemadmodùm ergo docet Apostolus infideles, & qui in idolia conferunt, non posse fieri mensæ dominicæ participes, hoc est, Eucharistiæ: sic isto loco,

שולחן מזבח

Ezec. ca. 40

Lib. 4. decret. cap. 97

qui

*qui iam pernicioſis Iudæorum ritibus, & vmbris occupantur, ab altari noſtro ſunt alieni. Nec omittendum eſt græcum huius loci* θυσιαστήριον, *et Syrũ midbecho vocabulum, quod mactatoriũ, ſiue ſacrificatorium ſignificat: quoniã priſci theologi, cùm de hoc ſacrificio diſſerunt, mactari, & immolari Chriſtũ aiũt.* מדבחא

*Si autem iſte locus non ſatisfacit curioſorum improbitati; ſuppeditat Matthæus alterum, vbi clariſſimè iubet Chriſtus munus ante altare deponi. Num putas imaginarium, & Caluinianũ? Non ſanè. Dicẽt de Iudaico altari ſermonẽ fieri. Quaſi autem ibi Seruator nõ informet, ac perficiat homines Chriſtianos: cùm antiquorum appellatione Iudæos poſtea quàm oſtendit, mox diſcipulos ab eis diſtinguens,* Matth. 5. Ego autem dico vobis, *inquit; declarãs chriſtianam ſe condere legem; ac próinde altare, quod ad eã pertineat, ſe intelligere. Sic Irenæus, mirè ſugillans iſtos nouatores, oſtendit multò, quàm in veteri lege, congruentiùs Chriſtianos, & maiori cum Dei, & Chriſti gloria offerre oblationes, & ſacrificium ad altare; atque id ampliori ſimplicitate, & innocentia eos debere facere ex hoc loco demonſtrat. Et nè nos arguãt inopiæ teſtium hac in parte; Cyprianus idem docet tribus locis, libello de vnitate Eccleſiæ, in expoſitione orationis dominicæ, & li. 3. ad Quir. ca. 3. Eodem modo Adamantius Origenes hom. 26. ad Numer. Tertullianus quoque in libello de oratione dicit in ara Dei peragi ſacrificium, è quo edant corpus, & ſanguinem Chriſti fideles. Si longiùs deſcendas, Optatus Afer vnus pro multis ſufficere poteſt in libri ſexti initio aduerſus Parmenianum. Quid, quòd idem ligneorum altarium meminerit, quibus ait hæ-* Irenæus li. 4. cap. 34. aduerſ. hæreſ. Burchard. li. 3. decret.

*reticos peperciſſe, tantumq; propter inunctionem, nè quid cum catholicis habere videretur commune, deraſiſſe? Atqui id patrabāt hæretici, Caluine, nō Chriſtiani; vt ſocios agnoſcas tui ſceleris. Tamen pōſtea vetitum in Epaunenſi concilio lignea altaria cōſecrari. Taceo Chryſoſtomum, cùm ad eum locum Matthæi, tùm in ſermone de perpeſſione Domini; & Hieronymum in commentario, & lib. 2. aduerſus Pelag. & in epiſt. ad Ioannē Ieroſolimitanum. Præteriui D. Hilarium in canone quinto ſic exponentē, nempè, de altari chriſtiano, & alios innumerabiles; nè ſuffragatorum numerus tadiū adferat. Cùm habeamus igitur in ſcripturis triplicē locum, qui iuxta ſanctorū patrū expoſitionē docet Chriſtianos habere verum altare, & aram, vndè plebs ſacram victimam accipiat: quid eſt, cur aduerſarij nugentur, & ad preces, inaniaq; phantaſmata nos reuocent? Quòd ſi de expoſitione putes nondum conſtare: licet ampliora iungere præſidia. Vbi can. 3. prohibent apoſtoli quicquam offerri in altari, præter ea, quæ Dominus inſtituit; quis eſt tā inſulſus, vt imaginarium altare cogitet? Sequenti autem canone, vbi iubetur nè impoſita altari rurſus à populo vſurpentur; num tibi videtur obſcurè alludere ad illam munerum, cuius meminit euangeliſta Matthæus, oblationem? Ignatius, Chriſti delicium, & apoſtoli Ioannis diſcipulus, multis epiſtolis altare prædicat: Areopagita autem* προσεχῶς τοῦ θείου θυσιαστηρίου *honorificam, & crebram mentionem, dicit etiam ſancto chriſmate conſecrari ab Epiſcopo; quod hæreticos habet peſſimè. Liturgicos ſcriptores quorſum attinet vel referre, vbique menſam Domini, & altare inculcantes? Clemens*

Epiſto. 2. 6. & 11.

Ca. 4. & 5. Eccl. Hier.

*quoque*

*quoque Romanus in altera ad Jacobum, & in diataxibus huic orthodoxiæ vehementer opitulatur. Adde Martialem ad Burdegalenses, qui dedicatorum, & non dedicatorum altarium meminit. Nec omittas Philonem in Therapeutis, & Eusebium lib. 2. c. 16. Eccle. Hist. Recentiores nè prorsus neglexisse videamur; Nicephorus refert Antiochiæ altaria septemtrionem versus constitui solere: cùm in alijs locis ex apostolica traditione, vti etiam Damascenus docet, versus orientem collocentur. Burchardus quoque Hormisdã, & Hyginium producit huius rei suffragatores. Hæc non prorsus dementatis fidem faciant necesse est: cùm & scripturæ dicãt esse altare; & habeat sacrosancta traditio altaria, aras, oblationes, sacrificia; in ijs cibum proponi, qui constet carnibus, & sanguine agni immaculati. Meritò igitur admonet Paulus, Christianos habere altare: nè sibi Iudæi displicerẽt; et vt haberent, quo se exercerẽt in religione. Nam quotiescunque aliquid Iudaicũ abrogat, solet semper aliud substituere; vti in circumcisione, & alijs rebus videre est.*

Lib. 3. ca. 6

Libr. 3. decret. ca. 62.

E quo potestatem vescendi non habent, &c. *Hoc altare Christianorum tam est præstans; vt nè summi quidem Iudæorum pontifices queant esse participes victimarum, quándiu adhærent ceremonijs Mosaicis, & tabernaculo typico deseruiunt. Eadem phrasi dictum est,* Non potestis mensæ domini, & mensæ dæmoniorum esse participes. *Non agi autem de vmbris, & phantasmatibus Caluinianis, sed de veris, & quæ sub sensum cadant, atque in visum christianæ plebis veniãt, oblationibus, spiritum suum interim tamen habentibus; ea quæ sequuntur, ostendunt.*

Iustin. apolog. 2. extra docet, qui sint Eucharistiæ participes.

*Syr.*

Etenim eorum animalium caro incẽsa fuit extra castra, quorũ cruorẽ princeps sacerdotum intulit in sanctuarium pro peccatis. Quámobrem Iesus, vt sanctificaret populum suũ sanguine suo, extra ciuitatem passus est. Igitur & nos exeamus castra, opprobriũ eius induti. Neque enim nobis ciuitas est permanẽs hîc: sed eam, quæ futura est, expectamus. Et per eum offeramus sacrificia laudis omni tempore Deo, id est, fructus labiorum, quæ confitentur nomini ipsius.

Vulg.

*Quorum enim animaliũ infertur sanguis pro peccato in sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod et Iesus, vt sanctificaret per suũ sanguinem populũ, extra portã passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium eius portantes. Nõ enim habemus hîc manẽtem ciuitatem: sed futurã inquirimus. Per ipsum ergo offeramus hostiã laudis semper Deo, id est, fructum labiorũ confitentium nomini eius.*

PAulus ostendit non solùm eos, qui tabernaculo deseruiunt, id est, sacerdotes (eorum enim est periphrasis)

*riphrasis) sed & eorum cooperatores, qui à iudaica superstitione deficere nolunt, nostri altaris participes esse non posse: quòd hoc non in templo, vel tabernaculo sit, neque in ipsis castris; sed extra ipsam ciuitatẽ, & castra.*

Etenim. *Didicimus ex 9. & 10. capitibus peculiares fuisse hostias summi pontificis, de quibus disseruit, ac præcepit Moses Numer. 18. & 19. Earum sanguis dùntaxat inferebatur in sanctum sanctorum: reliqua extra castra igni tradebatur; & de his nunc agit Paulus.*

Eorum animalium. *Pontificalium, & alys interdictorum.*

Caro incensa fuit. *Nihil relinquebatur ex istis præcipuis sacrificijs, maximè Christi sacrificium designantibus; sed cremabantur, idq; extra castra, cùm synagoga degeret in deserto. Mox enim de ciuitate.*

Quorum cruorem princeps, &c. *Dé inceps ex noua lege producit antitypum; probatq; victimæ quoque nostræ sanguinem fusum extra castra, & ciuitatem. Neque obstat, quòd sanguinis fuerit non nihil illatum in sanctum sanctorum; cùm plurimum funderetur extra castra.*

Quamobrem Iesus, vt sanctificaret populum, &c. *Hinc patet eiusdem rationis ciuitatem, & castra fuisse; & nostræ hostiæ sanguinem extra templum, ac tabernaculum effusum esse: próinde non debere Christianos Ierosolimitanis sacris distineri. Græci, & Latini addunt particulam (&) quæ proculdubiò ad rem facit; arguitq; non rectè, nec plenè à quibusdam, etiam catholicis, hoc altare de cruce intelligi. Mirantur interpretes nomen Iesu tã crebrò inser-*

*insertum; quod proculdubiò conciliandæ gratiæ, & venerationis caussa factum est. Hæc autem sanctificatio procurationem denotat eius pretii, quo omnes sancti, et ex iniustis iustificati sunt: vnde Christiani sancti, & Ecclesia sancta, & sine macula, & ruga. Nam tametsi populus iste propriè Iudæos significet, quibus facta erat promissio: simul tamen omnes intelliguntur electi.*

Extra ciuitatem passus est. *Designatur locus nostri altaris. Cùm enim inexplicabilia tormenta Christus, antityū, p sit ibi perpessus: necesse est intelligamus altare nostrum separatum à ciuitate, tabernaculo, castris, temploq; Iudæorum, Quid vis nos docere, Paule?*

Igitur & nos exeamus castra, &c. *Cumulati opprobrijs, & consputi, milleq; probris oppleti, gaudentes exeamus; vt quondam de apostolis legimus. Vox syra chesed non tam verba, quam verbera significat. Exeamus igitur extra castra: & si isti Iudæi etiámnum infideles nos blasphemijs, conuitijs, & contumelijs onerent, nihil moremur; sed putemus nos cum duce nostro egredi Ierusolimis ad altare nostrum. Vt enim ille ciuitatem suam, regnumq; deseruit; vt omnipotens offerret sacrificium, suam in humeris crucem baiulans: ita quisquis vult videri verus Christianus, gestet suam necesse est crucem.*

חסד

Neque enim nobis ciuitas est permanens hîc. *Qui desciuimus ab vmbris, & osaicis ad lucem euangelicã non habemus ciuitatem Ierusolimam in Palæstina. Videtur innuere Paulus templi ciuitatisq; deuastationem, vti ex Epiphanio, Eusebio, Iosephoq; Christianis fuisse persuasum colligimus.*

Hæres. 29. Lib. 3. ca. 5 Eccl. Hist. Lib. 7. c. 12

*Ciuitat*

*uitas hæc temporaria est, non perstabit. Nequaquã tamẽ ea est mẽs Apostoli: qui hoc dũntaxat sibi vult, omnia, quæ sunt legis, ad christianos nõ pertinere. facessereq; proinde, ac in pretio habere cessare oportere.*

Sed eam, quæ futura est, expectamus. *Ingredimur Ecclesiam, quæ est veluti vestibulum illius supernæ Ierusalem, quæ est mater nostra. Eam qui ingreditur, iam capessit cœlum. Loquitur autem scriptura de perfectis, & ijs, qui nihil impedimenti, nihil expiandum conferunt.*

Et per eum offeramus. *Illud* Offeramus *plerique interpretes accipiunt de sacrificio laico, quale est baptismus, oratio, & huiusmodi: sed arbitror Apostolum missam intelligere, quæ nõ semèl in scripturis sacrificij laudis appellationem sortitur. Sed mox hac de re nonnihil: nunc de eo, quod habet Latinus interpres,* Per ipsum. *Tractatores id ad Christum referunt, per quem offerimus Deo sacrificium laudis, vti in omnium precum christianarum clausulis videre est, vt adiuncto filij nomine, citiùs impetremus. Debet sanè istud fieri: verùm potest alius quoque verborum esse sensus; nempè, vt nè sibi quisquam admirator sui, quod est in sacrificijs, orationibusq; præcipuum, præstare videatur, cùm virtute Christi omnia perficiantur, atque adeò verbis ipsius,* Hoc est corpus, &c. *Sed vtrùm hoc sibi velit Apostolus, quæstio est. Admodùm videtur probabile, sicum Græcis legamus δι' αὐτοῦ, peti commendationis argumentum à persona filij, apud patrem suprámodum gratiosi. neque syrum vocabulum abhorret bijedeh; quod tamen vertere licuisset, Per manum eius) vt græcæ, & latinæ conueniat lectioni; vt dicamur* באידה

*offerre*

*offerre per ipsum, id est, adiuncto, & implorato eius auxilio, & merito. Sed quarè tandem missa laudis sacrificium nuncupatur? Quia à Christo domino Deo patri primùm fuit oblata ingratiarum actionẽ, & laudem; nosq; vt id ageremus is instituit, dicens,* Hoc facite in meam commemorationem: *& olim in psalmis,* Sacrificium laudis honorificabit me. *Et quia in præcedentibus Tertulliani fecimus mentionem; qui eius lectionem oscitantiùs aggreditur, iudicabit fortassis nullum ab eo veri nominis sacrificium commendari: sed si loquendi modum, adiuncta, circunstantiasq; diligenter expendat; videbit Tertulliano quoque non incognitum fuisse verum sacrificium; tametsi dissimulanter precum, orationis, & laudis per synecdochen sacrificium vocitet. Nec aliter in Iustino versandum (nolebãt enim Veteres nostra sacrilegis prodere mysteria) qui Iudæis nihil quàm preces, et Caluinianas figurationes in isto agnoscentibus respondet, altero quidem illo genere cultus priscos heroas Abrahamum, Dauidem, &c. placuisse; nosq; eundem accepisse ritum colendi Deũ: sed nè decipiaris rationem synecdoches minùs intelligens, dicit prætereà Seruatorem præcepisse nos hoc sacrificium peragere in cibo arido, & humido, siue in corpore, & sanguine ipsius.*

Fines sacrificij præcipui.

Lib. 3. & 4. aduersus Marc. libr. aduer. Iudæos, li. de oratione.

Omni tempore. *In his verbis omnium Hebræorum personã, plebis, ac sacerdotum, Paulus induit. Est enim liturgia opus publicum, & commune, quod requirit & sacrificos ministros, & comprecatores, ac testes. Offeramus ergo, ait Apostolus, quisque pro suo munere, & officio; & quidem diebus singulis, vt quondàm huius scripturæ sententiam adsecuti sanctissimi*

Cypria. li. 1. epistо. 2. lib. 3. co. 1. lib. 4. epist. 10.

*ctissimi factitarunt Patres. Cyprianus enim ait se quotidiè ore mundo offerre Deo; & Hippolytus in libello de Antichristo dicit hoc nomine Christum diuis applausurum, quòd liturgijs suis quotidiè præstiterint obsequium; & Basilius ad Gregorium presbyterum dicit cessationis rationem redditurum; vt omittã Vldaricum, & alios interdum quoque sæpiùs in die sacrificasse.*

Fructus labiorum. *Videtur alludere ad 14. ca. Oseæ, vbi preces, & gratiarum actiones vituli labiorum vocantur; neque ob aliud, quàm vt dissimulet rem archanam. Reddit verò causam, cur rei diuinæ tã sedulò operari debeamus: contrà quàm vix semèl post multos menses quidam factitant, quod nullo die fuerat omittẽdum. Vis autem scire, quisquis es, cuicunque Deus electione sancta contulit hanc prouinciam, quid à te desideretur? Lege beati Irenæi lib. 4. aduers. Valent ca. 32. Nisi enim sacris opereris; vitis es infrugifera, sarmentum inutile, malignus ager, ficus ingrata; excidêris, colligêris, comburêris. Quòd si autem gratus sis, et quotidiè honores cultorem tuũ, suauissimisq; fructibus afficias: is te ampliùs repurgabit, vt fructum plùs afferas. Fructus autem labiorum dicuntur; quia pronuntiantur labijs: deinde est periphrasis catholici constantis, & in christiana pietate perseuerantis, cuius catholicæ confessionis fructus est quotidiana sacrorum operatio.*

| *Syr.* | Vulg, |
|---|---|
| Et nè obliuiscami ni miserationis, & benig- | *Beneficentiæ autem, & communionis* |

nignitatis in paupe-
res; quibus sacrificiis
placet quilibet Deo.
Subiecti estote anti-
stitibus vestris, tan-
quàm qui reddãt ra-
tionem vestram; vt
cum gaudio id faci-
ant, & non cum ge-
mitibus: eò quòd nõ
expediat vobis.

*nis nolite obliuiſci. Talibus enim hoſtijs promeretur Deus. Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis. Ipſi enim peruigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri: vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes. Hoc enim non expedit vobis.*

*CVM ſuperiore pericope egerit Paulus de proprio ſacrificio; ſicq; plebis officium admiſcuerit; vt præcipuè tamen ſacerdotum rationem, eorumq; muneris habuerit: nunc tacitæ plebis quæſtioni reſpondet. Iudaicum enim vulgus non prorſus vacabat; nec ſolùm ſpectabat ſacrificia: ſed ipſum quoque in adducendis victimis, coquendis carnibus, & alijs cooperabatur. Nè igitur nihil peculiaris cultus habere viderentur Chriſtiani laici: nunc Apoſtolus, præter illud ſuprà declaratum, & proprium ſacrificium, aliud, quòd nunquàm non frequentent, oſtendit.*

Et nè obliuiſcamini miſerationis, &c. *Id eſt, miſeremini pauperum: niſi quòd vocabulum Syrum merachmonutho, maximã ſignificet commiſe-*

רחמנותא

*ratio-*

*rationem. Putate vos ipsos miseriam experiri.*

Et benigitatis. *Commiserationem animi, rodat opitulatio, & necessariorum suppeditatio. Et in syra dictione schauthophuto studium eleemosynarum ostenditur sicuti Loth non solum venientes excipiebat: sed cõquirebat, hortabatur, cogebat: quibus benignum sese præberet. Chrysostomus, cum suis, observat vocem* κοινωνιας: *quia qui pauperi dat, vndè miseram vtcunque sustentet vitam, regnum ipse sibi parat æternum, quod voluit à pauperibus redimi Christus, iubens diuites amicos eos comparare sibi de mamona iniquitatis. Quid Paulus in secundis ad Corinthios libris de sanctis Ierosolimitanis dixerit, notum est.* 2. Cor. 8.

Quibus sacrificijs placet quilibet Deo. *En vobis laicum sacrificium. Charitate, misericordia, liberalitate, pietate fit homo gratißimus Deo. Vocabulum Pauli propriè expresseris, si pulchrescere dicas. His enim fit, vt Deo simus voluptati: denique iustus Deum promeretur (vt habet communis interpres, ægerrimè ferentibus hæreticis) magis amicum, peccator propitium. Sic Apostolus Iudæos non vult otio torpescere, sanctißimisq; occupat exercitijs.*

Subiecti estote antistitibus vestris. *Declarandum esset, hæc ad pastores, & episcopos pertinere sed post nostros maiores, hæretici vltrò de pastoribus interpretantur. Hanc autem subiectionem de maxima obedientia, & quæ operibus cõstet intellige. Quicquid vobis præcipitur, quod sanctum, & sanum est, facite. Ieiunium, orationes, ferias, supplicationes, & similia imponit Episcopus; obtemperate.*

Ipsi enim vigilant pro, &c. *Immò, inquiet aliquis,*

*quis, non vigilant, non visitant, negligunt gregẽ. Ipsi viderint certè vigilandi incumbit eis necessitas: cùm ab eis olim sit omnium exigenda ratio.*

Vt cum gaudio. &c. *Sic 1. Cor. 9. & 1. Petri 5. docemur hilariter facere, quod penè nunc detrectant omnes, Causa tamen est gravis.*

Eò quòd non expediat vobis. *Dum enim antistites vident nullam spem esse proventus: oves non esse dicto audientes: se contemni: fere sit, vt lãguidiùs incumbant officio; vt variùs ineant gregis rationem; ac postremò vt desinant, luculento damno gregis iminorigeri. Sic probat Paulus non esse consultum detrectare obedientiam. Locus hic vtilissimus pastoribus, & ouibus; vt illi, quid à suis ouibus desiderare, hæ vicissim quid pastoribus præstare, & quid vtrinque hodiè desideretur, ediscant.*

| *Syr.* | Vulg. |
|---|---|
| Orate pro nobis. Confidimus enim nobis bonã esse conscientiam: eò quòd in omnibus rebus cupiamus honestè versari. Ampliùs peto à vobis, vt faciatis istud, vt citò reuertar vobis. Deus autem pacis, qui eduxit è mortuis pastorẽ magnum | *Orate pro nobis. Confidimus enim quia bonã conscientiam habemus, in omnibus benè volẽtes cõuersari. Amplius autem deprecor vos hoc facere; quò celeriùs restituar vobis. Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem* |

gnum gregis sanguine testamenti æterni, id est, Iesum Christū Dominum nostrum; ipse perficiat vos in omni opere bono, vt faciatis voluntatem eius; & ipse faciat in vobis, quod sibi placitum est per Iesum Christum, cui laus in seculum seculorum. Amin.

*storem magnum ouium in sanguine testamenti æterni Dominum nostrum Iesum Christum, aptet vos in omni bono, vt faciatis eius voluntatem; faciens in vobis, quod placeat coram se per Iesum Christum, cui est gloria in secula seculorum. Amen.* 2. Cor. 8.

*VT solent alij scriptores in epilogis, quid habitæ orationis decursu egerint, repræsentare; sic Paulus hac pericope miram lucem hactenus enarratæ inferet epistolæ.*

Orate pro nobis. *Hinc gemina decerpitur vtilitas Primùm enim liquet agitari prorsus diuerso Spiritu eos, qui deridiculamm iudicant precum communicationem. Quis enim Paulo vel præstantior, vel alienæ precis minus indigus? Is tamentantus à miserabilibus, inq; infidelitatem, & apostasiam propendentibus, vt pro se orent, expetit: nec eum pudet nè nos eiusdem orthodoxiæ partis dispudeat. Prætereà hinc discimus, quanti sit eorū criminatio pendenda, qui nos accersunt iniuriæ in Christum, quòd Diuos inuocemus: cùm priùs eodem absolui crimine Paulū*

oportet, qui hoc miseris deferat, quod nos beatis; si id crimen erit. Sed hæc mittamus. Interpretes hoc argumentum esse volunt non solùm amoris Pauli erga Iudæos; verumetiam mutuum sibi pollicentis, vt qui pro illorum salute, quantùm per satanæ, & carnis stimulum & colaphizationem licuerat strenuè laborarat. Nec immeritò dici queat, eum se, tametsi dissimulanter, antistitibus accensere: quibus morem vt gererent priùs hortatus, nunc vt pro se orent exoptat.

Rom. 9. 2. Cor. 1. 1. Tim. 1. Actor. 24.

Confidemus enim nobis bonam esse conscientiam. Id verò Paulinum. Alibi enim testimonio conscientiæ sibi frequenter placet Apostolus. Ego planè persuasus sum, quòd mihi sim optimè conscius.

Eò quòd in omnibus rebus, &c. Omni studio, cura, & officio dedi operam, vt Deo placerem: quicquid interea de me confingant pseudoapostoli; quicquid Merinthiani de Moyse, de legis abrogatione, ac discessione commniscantur; mereum iure facient nunquàm. Quod Græcus, & Latinus: ἐν πᾶσι In omnibus ambiguè dixerunt, non ad personas referendum Syrus ostendit, adiuncta voce medem

Amplius peto à vobis, &c. Iam id petierat, quod nunc repetit solicitiùs; vt ei liceret ad eos tutò redire, gemino cum argumento bonæ conscientiæ. Fugitat, qui sibi malè conscius est: qui autem enixè petit, vt redeat, parati ad bene merendum animi dat indicium; deinde verò cùm audet in conspectum venire, & hominum experiri iudicia; suorum operum examen vt non vereatur, necesse est.

Deus autem pacis. Hebræa phrasis. Qui pacẽ

*suam elargitur, & veniam, sine qua pax esse non potest. Videtur autem potißimùm Apostolus agere de quiete à persecutionibus.*

Qui eduxit è mortuis. *Ad verbum, De inter mortuos: quod fœliciter exprimunt galli, D'entre les morts. Istud ab Apostolis Deo patri semper tribuitur potißimùm cùm est negotium cum rudibus, & qui nullam in diuinis, præter patrem, personã agnoscebant, neque rectè de Christo sentiebant.* Act 2. 1.4. 10.

Pastorem magnum gregis. *Hæbreos alloquens Paulus seruat decorum gentis, apud quam pastores olim fuerant in pretio, & pastorum principes. Christo autem angelorum, & electorum hominum grex est à patre commissus, vti capite decimo vidimus.* Genes. 7. 1. Reg 22. 1. Petri 5.

Sanguine suo. *Id est, quod apud Ioannem futurum testabatur ipse, vt pro suis ouibus funderet sanguinem: vt non putemus mercenarium, qui tam fidus, & amans ouium suarum extitit pastor: vt eas propria morte redimere non sit cunctatus. Nam quod quidam explicant, quòd suum nobis veluti testamento legarit sanguinem; etsi verum: non tamen huius est loci.*

Testamenti æterni. *Siue secularis, & vt ad verbum exprimas, seculi. Arbitror iterum vocari testamentum æternum, nè Iudæi mutatum iri suspicarentur; vti superius diximus. Nam hoc loco Paulus refricat longißimam illam disputationem capitis tertij, & quarti de apostolatu, & sacerdotio Christi.*

Ipse perficiat vos in omni &c. καταρτισαι habent Græci, *quod ad luxatorum membrorum restaurationem pertinet: nec illud incongruum. Nam cùm Hebræi magna ex parte titubarent, Apostolus optat*

*eos à Deo colligari, & ita componi, vt in compage Christi firmiter persistere valerent. Syrum autem consummare, & omnibus numeris absoluere, quemadmodùm Græcorum plerique verbum suum exponunt, significat.*

Vt faciatis voluntatem eius. *Eadem acie Manes, Pelagiúsque iugulantur. Vt enim nihil arroget sibi liberum arbitrium, à Deo istud petit Paulus; & nè damnetur libertas, addit* Faciatis: *vt homo faciat, contra Manem; sed per auxiliamtẽ gratiam, quod negauit Pelagius.*

Et ipse faciat in vobis, &c. *Veterum nonnulli sic exponunt, vt Deus postquàm hos, quemadmodùm nunc dictum est adiuuerit; habeat tùm in illis, quod postulat: Videri tamẽ posset superuacanea huiusmodi oratio, hoc saltem loco: cùm plus sit antè dictum, nempè, vt ipsi adiuuante Deo adimpleant ipsius voluntatem: próinde magis est consentaneum, petere Paulum, vt Hebræis gratia fretis, & ope Dei, strenuecq; functis officio, Deus quicquid expediat ipsorum gloriæ, & coronæ, patiatur euenire. Si confessio fidei requiratur, detur à Deo occasio; si persecutio, si proscriptio, & similia vobis cumulum sint allatura; decernat Deus in eum modum. Quod si cui istud non placeat; est tertius commentarius. Reddat ille vobis pro laboribus vestris præmia sanctis reposita. Et huic fauet quod additur,* Per Iesum; *cuius merito parta, & arbitrio repromissa, & adsignata fide sunt præmia.*

Cui laus in seculum seculorum. *Sic scripturæ totum æuum, & æternitatem vocant.* Amin. *Hæc particula partim rem certã, partim sermonis finem signifi-*

*significat; partim fieri, quod prædictum sit, optat.*

*Syr.*

Rogo autem vos, fratres mei, vt sustineatis verbũ exhortationis; quandóquidem paucis scripserim vobis. Scitote verò fratrem nostrũ Timotheum dimissum; qui si citò veniat, cum eo vos visam. Impertimini pacem cunctis antistitibus vestris, & omnibus sanctis. Precantur vobis pacem cuncti, qui ex Italia. Gratia cum omnibus vobis. Amin.

Vulg,

*Rogo autem vos, fratres, vt sufferatis verbum solatij. Etenim per paucis scripsi vobis. Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum: cum quo (si celerius venerit) videbo vos. Salutate omnes præpositos vestros, & omnes sanctos. Salutant vos de Italia fratres. Gratia cum omnibus vobis. Amen.*

ABsoluta est epistola, quæ ad Hebræos scripta est ex Italia Romana per manus Timothei.

*Nunc quod ex industria in initio omiserat, re demonstrata, facit; & cum eis agẽs familiarius, vocat fratres suos.*

Vt sustineatis, &c. *Verbum Græcum* παρακλήσεως *& Syrum huioo, ad consolationem, & exhorta-*

*cionem est ambiguum, adeò vt Oecumenius id, quod noster habet Latinus, retineat: quamuis alterum isti loco magis quadret. Boni consulite; ne offendamini mea libertate exhortantis vos ad maiora pro Christi perferenda.*

Quandóquidem paucis, &c. *Quidam ad istud tantùm caput restringunt: sed ob vocem græcam ἐπιστολὴ, satiùs ad totam refertur epistolam. Breui epistola vos exhortatus sum. Pauca enim sunt scripta, si cum ijs conferantur, quæ scribi potuerunt; vt capite sexto præcipua tantùm capita perstricta vidimus. Se autem purgat, quòd eos docuisset, quibus non deerant antistites. Coëgit amor, vt in doctorum copia ego nonnihil etiam paucis conferrem. Id autem vel ideò maximè; quòd acriter eorum vulcera defricasset. Nobisq; istud esse debet exemplo, solam aut vocem, aut lectionem nequaquam sufficere; sed vtramque commiscendam. Audita persluunt facilè; domi quoque si te legere posse dixeris, poteris & domi nihil intelligere: itaque auditio lectionem condiat, & hæc alteram firmet.*

Scitote verò, *Imperandi modo intelligendum docet Syrus.*

Fratrem nostrum Timotheum. *Ephesinus hic Episcopus, & Apostoli discipulus, à Paulo in Iudæorum gratiam circunciſus: ac próinde vt gratum nomen profertur à Paulo. Stolidum est autem hanc epistolam Pauli esse negare, quòd vocetur Timotheus frater; cùm eadem opera debeant eundem in censum venire, quæ ad Philippenses, ac Thessalonicenses, & aliæ, in quibus partim filius, partim frater idē nuncupatur, & adiutor Apostoli.*

1. Thess. 3. 1. Cor. 4. Rom, vlt.

Dimis-

Dimissum *Chrysostomus cum suis* Dimissum *nempè, Athenis inquit. Vox autem Syra deschtheri vinctorum solutioni conuenit; vti quando dicitur in euangelio solutum vinculum linguæ: neque desunt veteres, qui in eam exponunt sententiam. Fuit enim constantissimus, & imperterritus heros Timotheus, licet imbecillo corpore & dum orgijs popularium iret obuiàm, occubuit: vt qui martyrium non expauit, mirum non sit alicubi vinctum fuisse: licet ea de re nihil proditum sit historijs. Quod tamen placuit veteribus, rerum apostolicarum seriem exactius doctis, contemni non debet.*

Qui si citò veniat, &c. *Si nunc liberatus è carcere veniat ad me; eo comite in Iudæam repedabo. Ergo Pauli hæc epistola esse non potest, aiunt hæretici; vt qui Romæ vinctus fuerit. Verùm istud de prioribus vinculis intelligendum, quibus solutis perrexit in Hispaniam. Aduentus autem caussa erat, partim vt Iudæos infensos conciliaret; partim vt nullius criminis conscium se demonstraret.*

Impertimini pacem cunctis antistitibus vestris. *Percũctantur, cui non potiùs id antistitibus demandarit, quorum est precari populo pacem. D. Theodoretus optimè respondet, Paulum scribentem plebi voluisse hoc honore sibi eam cõciliare magis. Antistitibus nomen est medabboro à dabar, quod habuimus, vbi Paulus dicebat se cupere in omnibus honestè versari: vt partim Apostolum ea, quæ antistitum erant, præstitisse; partim quòd ipso nomine officij sui antistites admonerentur, intelligamus. Vertunt alij hic (Postulate pacem) sed obliti phraseos Syricæ, qua schoal impertiri, nõ sibi petere significatur.*

Precantur vobis pacem. *Impertiri, seu precari (est enim Syris idem verbum) pacem dicunt, intelligentes, quod Latini dictione salutis.*

Qui ex Italia. *Iudæos intelligit Chrysostomus Romæ degentes, ad Christi fidem conuersos. Rursus autem obturbant hæretici, vt Paulo fœtum hunc suffurentur;*

quòd ex Italia, non ex vrbe Roma dixerit. In primis igi-
Hæres. 27. tur ignorat nemo, apostolos (vt copiosè docet Epiphanius)
non semper Romæ hæsisse; sed creatis pontificibus Lino,
& Cleto, latè per orbem diuagatos, Euangelij spargendi
gratia. Adhæc non iniuria quis diceret Paulum osten-
dere voluisse fidem quaquaversus extra ciuitatem per Ita-
liam incrementum accepisse. Postremò, quod solidissimum
reor, vbi legimus in actis Apostolorum Claudium ab
Vrbe Iudæos expulisse, dicitur Aquila cum vxore ab I-
talia venisse: quod retexens Nicephorus, dicit Roma ve-
Nicephor. nisse, pulsos ab Italia; Eusebius autem solius meminit
lib. 2. ca. 24 Vrbis. Ex quibus liquet, qualis sit aduersariorum obie-
Ecc. Hist. ctio. Omitto Syricam clausulam Romæ, seu Romanam
Eusebius li Italiam, vndè epistola sit data, indicare: quo confirmatur
2. cap. 18. Vrbem Italiæ titulo in huiusmodi locis esse accipiendum.
Eccle. Hist. Gratia cum omnibus vobis. Hæc quidem innu-
merabilia complectitur: sed quia nutantibus, & varijs
criminibus irretitis scribit; hoc loco peccatorum remis-
sionem, & expiationem conscientiæ cum Græcis accipe-
re æquum est. Amen.

FINIS.